





1126.

Tomus SECVNDVS

CONTINENS HOmilias F. Ioannis Hoffmaisteri, Augustiniani, Ecclesiastæ Colmariensis, tám de tempore, quam de sanctis á Paschate usq; ad primam Dominicam Aduentus.

M. D. LV.



DOMINICA PASCHÆ.

Mar. 16.

14121

748a 1952



IN illo tempore. Cũ transisset sabbatum, Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salomę emerũt aromata, & uenientes ungerent Iesum. Et ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monumentum, orto iam sole, & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidẽ ab ostio monumenti? Et respicientes uiderunt reuolutũ lapidem, erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt, qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenũ, crucifixum, surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis

eius,& Petro, quia præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.

EXPOSITIO.

TRactaturi articulum fidei nostrę de resurrectione Domini nostri Iesu Christi, quæ ad plenitudinem historię pertinęt, & à Marco, cuius Euangelij historia legitur, cõscripta nõ sunt, ex alijs huc adducemus. Cęterũ quoniã in proximis concionibus auditum est, quomodo Ioseph sanctus in Aegyptũ ueniens in carcerẽ fuerat detrusus, & Sampson in ciuitate Gaza cõclusus, & Ionas in mare proiectus, atq; à magno Ceto deuoratus fuerat, tẽpus iam postulat, ut etiam uos doceamus quam mirabiliter Ioseph fuerit liberatus, Sampson sublatis Gazę ostijs, effugerit, Ionas è uentro Ceti tertia tandẽ die emerserit. Ioseph erat à fratribus uenditus, Samson à Philistęis captus. Ionas à Nautis in mare proiectus: Sic Christus Iesus dominus noster, à Iuda traditus, à Iudæis captus, à gentibus crucifixus & occisus est. Nunquid igitur qui alijs subuenit, semetipsum perire sinet? Nequaq;. Belua illa immanis cogetur euomere pium Ionam. Infernus cogetur reddere saluatorem

Ge. 39. Iudi. 16. Ioan. 2. Math. 12. Osee. 13.

torem nostrum, iuxta illud prophetæ. O mors, ero mors tua, morsus tuus ero ò inferne. Et Diuus Petrus in concione illa quam ad Iudæos habuit, sic loquitur. Impossibile erat illum teneri ab inferno, Dauid enim dicit in eum. Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Et Diuus Paulus. Et si Christus crucifixus est ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute Dei. Quid quod Christus ipse prædixit sæpissime se resurrecturum tertia die. Destruite, inquit, Templum domini, & in triduo reædificabo illud. Et alibi. Sicut fuit Ionas in uentre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita & filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Et quoties fere passionis suæ meminit, resurrectionis pollicitationem non intermittit. Nisi enim granum illud mortuum rursum floruisset, nullam unquam fructum attulisset. Et hanc rem prohibere quidem conatus est Satanas per suos Satellites Iudæos & gentes, sed frustra, sicut antea præfiguratum diximus, & ex ipsa historia Euangelica aperte uidemus. Christo Iheſu enim iam crucifixo, mortuo, & sepulto, altera die post parasceuen, conuenerunt Princi-

Act. 2. Psal. 15.

2. Cor. 13

Ioan. 2. Mat. 12.

Ioan. 12.

Satanas uoluit occultare dominicæ resurrectionem.

pes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum di-
Mat.27. centes. Domine recordati sumus, quia se-
ductor ille dixit adhuc uiuens. Post tres dies
resurgam Iube ergo custodiri sepulchrum, us-
que in diem tertium, ne forte ueniant Discipu-
li eius,& furentur eum, & dicant plebi, Surrexit
à mortuis: & erit nouissimus error peior prio-
re. Vide consilium Iudæorum, & quomodo
omnia Typis suis respondeant. Non putaue-
rant fratres Iosephi unquam fore, postquam
uenditus erat Hismaelitis, ut fieret secundus
post Regem Aegypti, & ut scriptura dicit, sal-
uator mundi. Et principes Gazę, occlusus super
Samsone portis, quæ in ciuitate erant, non spe-
rassent unquam fore, ut Sampson manus ipso-
rum effugeret. Et quis credidisset Ionam unq̃
Pro.21. ex tanto periculo emersurum. Verum quid
Isa.46. dicit scriptura? Non est consilium, non est sa-
pientia, non est prudentia contra Dominum.
Imo qui conantur impedire consilia Dei, co-
guntur aliquando mirabiliter addiuuare,& pro
mouere consilia Dei. Scribe enim & Phari-
sæi, summique sacerdotes, ideo ponunt cu-
stodiam ad sepulchrum, ne uulgo persuadea-
tur Christum à mortuis resurrexisse: hoc au-
tem facto ipsorum ministri primi futuri sunt,
qui testimonium ferant resurrectioni Christi.
Quod uero postea dicunt corpus Iesu à disci-
pulis ipsius furto sublatum, tam impudens
mendacium est, ut nulla responsione dignum

iudicemus

iudicemus. Dico enim illis quod, olim Diuus Augustinus, Si dormierunt, quomodo furtum uiderunt? Si nõ uideruut, quomodo testes sunt? Si uiderunt, cur fures non detinuerunt. Vere formam mendacij habebãt, quod dicebant. Qualiter enim furarentur, homines pauperes, Idiotę, & neq; apparere audentes. Si enim Christo uiuente fugerunt, qualiter eo mortuo non timuissent tot militum multitudinem? Nunquid ostium sepulchri potuerunt euertere? Lapis imminebat magnus, multis indigens manibus. Et Sigillum erat appositum, & omnia sic obseruata, ut impossibile fuerit, discipulis Dominum furari. Adde quod discipuli etiam postquam resurrexerat Dominus, non audebant in publicum prodire. Sed propius ad rem. Nos certo scimus Christum uere ex mortuis resurrexisse, eiusque habemus certissima & quam plurima testimonia. Nos contenti iam simus eo testimonio, quod in hodierno Euangelio legimus. Istud sic habet.

Cũ transisset Sabatũ, Maria Magdalenę, et Maria Iacobi, et Salomæ emerũt Aromata &c. Hę honestæ, ac piæ mulieres secutæ fuerant dominum à Galilæa, & de suis ipsarũ facultatibus ministrauerãt Christo, & eius discipulis necessaria: perstiteruntq; apud dominũ usq; in mortem ipsius. Et pẽdente illo in cruce, Maria Magdalenæ & Maria Iacobi, *Mat. 27.*

& Ioseph mater, & Mater filiorum Zebedæi
Matth. 27 stabant à longe uidentes quæ fiebant. Cum
uero Nicodemus & Iosephus illum Sepultu-
ræ traderent, aspiciebant illæ, ubi Iesus po-
Mar. 15. neretur. Et reuertentes parauerunt Aroma-
ta & unguenta: & Sabbato quidem siluerunt
Luc. 23. secundum Mandatum. Cum uero transis-
set Sabbatum, ualde diluculo, uenerunt ad
monumentum, portantes quæ parauerant
Luc. 24. Aromata. Quid dicemus de pietate harum
Matronarum? Primum necesse est, fateamur
Mulierũ imbecillaj fides. illas non admodum magnifice sensisse de Chri-
sto, ut quem putabant, ad instar aliorum ho-
minum uere mortuum, in sepulchro corrum-
pendum: quod ne fieret, parauerant unguen-
ta illa ad unguendum corpus Christi, ne cor-
rumperetur. Sed hoc auget aliquo modo illa-
rum laudem. Si enim tam beneficæ fuerunt
in Christum, quem tamen non credebant uni-
Mulieres charitate abundãt. genitum Dei filium esse: quid non beneficio-
rum contulissent in eum, si certo cognouissent
eum? Magnum quid est, quod mulieres Chri-
stum tam longo itinere sequuntur, non ut ali-
quod temporale commodum ab illo accipi-
ant, sed potius ut illi ministrent. Nec tan-
tum illi adsunt libere quo uelit circumeunti,
sed etiam in cruce morienti. Quibus modis pu-
tas illas fuisse à Iudæis CHRISTVS ho-
stibus tractatas? Haud dubie multa con-
uitia, multas irrisiones, grauissimumque

contem-

contemptum pertulerunt propter Dominum. Nõ putas Iudæos bonis Matronis dixisse: Vbi est Messias uester? Videte cũ bene collocaueritis beneficia uestra: Videte quem fucum uobis fecerit? Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Addo, admiratione dignissimũ esse, quod piæ mulieres uidentes Christum uere mortuum, nihil de amore remiserint, sed beneficium beneficijs addiderint. Postremo & hoc ne quaq; negligendũ uenit, quod piæ mulieres sic moderatæ sunt suũ officium, ut nullo modo præhẽdi possint. Primum enim faciũt quod lex dictabat, deinde quod nulla lex iubebat, sed tãtum pius animus admonebat. Lex iubebat sabbato nihil operis facere, sed quiescere, ergo dum Sabbatũ ingrederetur, cum prius emerant aromata, quieuerunt, ac nihil contra legẽ Dei commiserunt. Altera uero Sabbati, & hoc summo mane, dum adhuc tenebræ essent (ut intelligas illarum studium) ingrediuntur uitã ad domini sepulchrum, non sine maximo periculo. Nam non uacabat periculo illi benefacere, ac magnũ honorem impendere, quem uterq; Magistratus supremo supplicio affecerat. Obseruandum ita, q; hoc loci (quod etiam alias sæpius admonuimus) nõ omnino mala esse opera, quę nulla lex præscribit, sed sola pietas animi dictat, modo nõ sint contra legem Dei. Certe in duobus prioribus mandatis, multa pendent, quę pius animus sibi facienda putat. Latum mandatũ tuũ nimis

Mulieris bus illustrium.

Mulierũ prudẽtia in rebus agendis.

Bona opera.

Psal. 118. 1. Cor. 9.

ait Propheta. Ordinauerat dominus ut qui Euã gelium annunciarent, etiam de Euangelio uiuerẽt. Atqui Paulus Apostolus posthabita illa ordinatione, respexit ad priora illa duo maxima mandata, & manibus suis laborare maluit, quã uiuẽdo de stipe Ecclesiastica, minori fructu prædicare. Sed hæc hactenus. Obseruandum secundo, pium nostrum affectũ, hoc est, ea quæ nobis uidentur bona & salutaria, Deiq; mandatis nõ repugnantia, nõ debere præponi, Dei expressis mandatis. Hæc enim ante omnia oportet facere, & illa non intermittere. Neq; enim mihi probantur, nec excusare uolo eos qui suas constitutiunculas pluris faciunt, quam Dei, aut huius Ecclesiæ mandata. Cæterum, ut ingrediamur unde digressi sumus, iam uidendum est quibus testimonijs probet Euangelista Christum uerè ex mortuis resurrexisse. Testatur tres illas honestiss. Matronas, Mariam Magdalenæ, Mariam Iacobi, & Salomæ, emptis ac|paratis antea unguentis, iter arripuisse ad Domini sepulchrum, unctura uidelicet Dominum. Porro, bonæ Mulieres tanto amore ardebant ad ungendum Christum, ut non antea præmeditarentur quale esset sepulchrum, accedere ne possent an non? Iam igitur proximæ Monumento, cogitant tandem de Monumento, & super imposito lapide, & dicunt adinuicem.

Mandata Dei ante omnia implenda.

Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio

ſtio monumenti: Erat quippe magnus ualde, ſicut Euangeliſta teſtatur. Nam omnes teſtantur magnum lapidem admotum fuiſſe ſepulchro. Hoc autem ideo factum eſt, non humana, ſed diuina diſpenſatione, ut quanto magis hoſtes Chriſti conantur reſurrectionem ipſius occultare tanto magis ea pateat. Si enim tã uaſtum et graue ſaxum admotũ fuit ſepulchro, nulla ratione credibile eſt, potuiſſe fieri, ut diſcipuli, dormientibus etiam cuſtodibus, furati, fuerint CHRISTVM. Sed nõ opus erat Mulieribus ſic ſollicitas eſſe. Nam ſicut Matheus ſcribit, Angelus domini deſcenderat de cęlo, & deuoluerat lapidem ab oſtio monumenti. Huic iã ſubĩciendũ uenit, quod apud Marcũ legimus.

Et reſpicientes uiderunt reuolutum lapidem. Prima facie uidetur Angelus tum tandem deuoluiſſe lapidem, quando Mulieres acceſſerunt: uerum ſi alios quoq; Euangeliſtas conſulas, rem ſe aliter habere intelliges. Angelus enim in nocte, cum magno terræ motu deſcendit & reuoluit lapidem, non CHRISTI, ſed noſtri gratia. Non enim poterat CHRISTVS claudi uel cohiberi lapide, qui potuit clauſo exire uirginis utero. Sed noſtri cauſa illud factum eſt, ut re ipſa uideremus Chriſtum uere à mortuis reſurrexiſſe. Quoniã enim Mulieres certò nouerant Chriſtum in hoc monumentum poſitum, in eodem illum quæſierunt.

Quando lapis deuolutus.

Quoniam

Quoniam uero non inueniunt, certò uident eũ
Ioan.20. resurrexisse. Et ne putent eum furto sublatum (hoc quod Maria Magdalena putabat) adest Angelus, qui illas de omni re certas facit.

Et introeuntes in monumentum, uiderũt iuuenem sedentẽ in dextris etc.

Qui hic uocatur iuuenis, ab alijs Euãgelistis dicitur Angelus, cuius aspectus erat sicut fulgur, uestimenta uero eius sicut nix. Hic uero adest Angelus, tum ut exterreat custodes, tum etiam ut consoletur mulieres, easq; diligenter instruat. Sic enim scribit D. Matheus. Præ timore autem eius, Angeli scilicet, exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui, & abierunt in ciuitatem et nunciauerunt principibus sacerdotum omnia
Gen.45. quæ facta fuerant. Succurrit mihi iam hystoria ueteris testamenti de Ioseph illo innocentissimo senis Iacob filio, qui ab ijsdem fraribus qui eum uendiderãt, & mortuum esse dixerant, prædicatus fuit uiuus. Sic qui Christi resurrectionẽ prohibere uoluerũt, primi sunt qui illam annũciare coguntur. Hic porro obseruandum, quantum, aut potius quam nihil ualeat hominũ po-
Christi doctrinã nemo prohibere potest. tentia cõtra potentiam Dei. Quãuis enim Christus crucifixus, & in cruce blasphemijs atq; sanis amarulentis adopertus, uirtutis tamẽ tantæ est ille, ut ad unius ministri eius aspectũ hic concidant armatæ phalãges. Pulchre uero hic adũbratur Christum, eiusq; doctrinã in uniuersum

mundum

mundum exituram, etiamsi totus mundus reluctaretur: immo Christus nunc̄ magis suas uires exercere, quam dum mūdus se illi opponit. Iam quomodo Angelus mulieres quæ & ipsæ ad conspectum eius obstuperant, consolatus fuerit, & de rebus gestis informauerit, audite. Nolite, inquit, expauescere. Iesum quęritis Nazarenum, Crucifixū. Surrexit, non est hic: Ecce locus ubi posuerunt eū. Hæc nulla expositione opus habēt. Quoniam Mulieres pietatis ergo aduenerāt, & haud dubie in animo propter mortuū Christū plurimū turbatæ fuerant, merito consolationē accipere debent, ne tristitiam super tristitiā accipiant. Iā nihil magis eos cōsolari poterat, quam si audirent Christum resurrexisse. Angelus itaq; diligēter eas de rebus omnibus instruit. Nolite, inquit, expauescere. Scio quo nomine huc uenęritis. Quæritis Iesum Nazarenum, quē uidistis Crucifigi, & postea in hoc loco sepeliri. Non est hic. Vbi igitur? An alio translatus? An tā cito putrefactum & corruptū cadauer eius? Nequaq̄. Surrexit reuixit. Ecce locus ubi posuerūt eū. Venite, uidete locū ubi positus erat dñs. Credamus ergo Angelo, qui dicit Dñm resurrexisse. Addit. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quod præcedit in Galilæam:

ibi

Mulieres ministræ mortis et vitæ.

ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis. Magna res est & admiratione dignissima, quod Mulieres, post Angelos, primi testes sunt resurrectiõis dominicę. Haud dubie dñs eo respexit, quod etiam miseria nostra per Mulierem incepe rit. Eua enim fons & origo omniũ malorũ nostrorũ fuit, & prima mortis nostræ nuncia. Sic Maria uirgo, nimirum sexu mulier, fons nostræ fœlicitatis est. Deinde Elizabeth & ipsa mulier prima intellexit Messiam incarnatũ. Vnde, inquit, mihi hoc, ut ueniat mater Domini mei ad me? Audis eam Intelligere Dei filium iã in utero Virginis fuisse conceptũ. Sic etiã alibi, Mulier de turba magnificum Christo prębet testimonium Beatus, inquiens uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Sed hæc alias. Hic uide quod Euangelium, hoc est, bonum nũncium Apostolis mittitur, & potissimũ Petro haud dubie maxime omniũ perturbato. Quia surrexit Dominus & iuxta quod condixerat, præcessurus est eis in Galileam, ubi eum uidebũt ac familiariter cum eo conuersabuntur. Iam debebam de fructu, & usu Dominicæ passionis non nihil dicere, sed quoniã sermo longius productus est, quam ut illi plusculum addi debeat, iam hic finẽ faciemus, & tractatum de illa re in aliud tempus differemus. Nobis hic sufficerit scire certò ex hac historia Christum uere à mortuis resurrexisse & hoc propter nostram salutem, ut intelligamus & nos olim resurrecturos. Secundo di-

scamus

scamus exemplo Mulierum quærere Dominũ cum aromatibus, hoc est, ut illi inseruiamus. Tertio perseueremus cum ipso siue Nazarenus sit, siue crucifixus, hoc est, tam in prosperis quã aduersis. Sic enim fiet ut & nos cum illo resurgamus in gloriam. Quod utinam nobis concedat gratia &c. Amen.

FERIA SECVNDA PAschæ. Luce. 24.



IN illo tẽpore: Duo ex discipulis Christi ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus, & ipsi loquebantur adinuicẽ, de ijs omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, et secũ quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cũ illis. Oculi autẽ illorum tenebantur,

ne

ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt ij sermones, quos confertis ad inuicē, ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus, cui nomē Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalē, & non cognouisti quæ facta sunt in illa ijs diebus? Quib. ille dixit: Quæ? Et dixerūt. De Iesu Nazareno, qui fuit uir Propheta potens in opere et sermone, corā Deo et omni populo, et quomō eum tradiderūt summi sacerdotes, et principes nostri ad damnationē mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel: Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, cp hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius uenerunt dicentes, se etiam uisionem

nem angelorū uidisse, qui dicūt eum uiuere. Et abierunt quidā ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendū, in omnibus quę locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiēs à Moyse, et omnib⁹ Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello, quo ibāt, & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscū Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cū illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt

eum, & ipse euanuit ex oculis eorũ. Et dixerunt ad inuicem. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia & aperiret nobis scripturas? Et resurgentes eadẽ hora regressi sunt in Hierusalem, et inuenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes, ꝙ surrexit Dominus uere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in uia & quomodo cognouerũt eum in fractione panis.

EXPOSITIO.

QVantũ situm sit in resurrectione Domini nostri Iesu Christi, ex uerbis D. Pauli ad Corinthios satis intelligimus, quando dicit. Si Christus nõ resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra. Et rursum. Quod si Christus non resurrexit, uana est fides uestra, adhuc enim estis in peccatis

1.Cor. 15

peccatis uestris: & qui dormierunt in Christo perierunt. Necessarium itaq; fuit nos habere certa testimonia dominicæ resurrectionis, quę etiã Euangelicæ, & Apostolicæ literæ nobis certo & abundanter subministrant, ita ut nulla nobis relinquatur dubitatio. In hesterno Euãgelio audiuimus Angelum dissertis uerbis testificantẽ, quod Iesus Nazarenus uere surrexerit, sitq; Discipulos suos præcessurus in Galilæa. In hodierno Euangelij lectione, Christus ipse se conspicuum reddit discipulis suis, probatq; uerum se dixisse promittendo in tertia die resurrectionem. Sed excutiamus historiam ipsam.

Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio, &c. stadiorum &c. Castellum hoc postea uocatum est *Nicopolis*, hoc quod ueteres hic adnotarunt. *Nec curiosa hic inquisitione opus est, quale nam illud castellum fuerit, quid negocij discipulis in illo quantum distitum fuerit ab Hierusalem, quidue illic fecerint, qui discipuli fuerint*, Quod uero dicitur hic eos, locutos fuisse ad inuicem de omnibus quę acciderant illis diebus, in sequentibus explicabitur manifestius. Quod uero Iesus appropinquat Discipulis suis *Math. 18.* de ipso loquentibus, non solum confirmat quod alibi fuerat pollicitus, ubi duo uel tres fuerint cõgregati in nomine meo, ibi ego in medio eorũ futurus sum; sed etiã indicat ad illos tantũ

uenturum Christum, qui de ipso pie & ex animo loquuntur. Sicut enim Satanas se immiscet confabulationibus de rebus impuris, illicitis, & inhonestis, ita & Christus loquentibus de rebus pijs libenter & perpetuo solet adesse. Locus hic certe postularet nos aliquid dicere contra impuros & illicitos huius seculi sermones: sed Euangelij prolixitas non patitur longam digressionem. Ex alio Euangelio discimus nos oportere de omni uerbo ocioso reddere rationē Domino Iesu æquissimo Iudici. Hinc est quod D. Paulus nos admonet dicens. Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et iterum. Deponite turpem sermonem de ore uestro. Et D. Petrus. Si quis loquitur, tanq̄ sermones Dei. Huius mundi sermones raro faciunt ad ædificationem, sed fere semper ad destructionem. Aut enim dum læti sumus de rebus impurissimis loquimur: aut, dum serio agimus, uel blasphemamus, uel proximis nostris detrahimus. Qui uero sanctiores uideri uolunt, & de rebus bonis & sacris loquuntur, hij raro ex animo, & ad ædificationem, sed sæpius ad ostentationem, & aliorum fugillationem loquuntur. Nec admodum conuenit bene potos inter pocula sacros miscere sermones. Docet quidem D. Augustinus sic nostra instituenda esse prandia, ut nō solum fauces sumant cibum, sed etiam aures hauriant Dei uerbum.

Christus pijs confabulationibus libenter adest.

Math. 12

Eph. 4.

Colos. 3.

1. Pe. 4.

Sed

Sed hæc satis libenter admittemus, modo fiant à sobrijs & pijs mentibus. Cæterum, ut redeamus ad contextum, quod sequitur oculos discipulorum fuisse detentos, ne Christum agnoscerent, Marcus sic explicat, Post hæc, inquit, duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in uillam. Et alibi sic apparet Magdalenæ, ut ipsum pro hortulano alloquatur, Quid igitur fit? **Qui sunt, inquit ad illos, hi sermones quos confertis ad inuicem, ambulantes & estis tristes?** Interrogat quasi illorum sermones non intelligat, cum etiam cogitatus ipsorum perc̃ pertiss habeat. Facit autem hoc, ut ex responsione ipsorum, sumat occasionem instruendi eos. Erant autem boni uiri tristes & turbati, ignorantes quid nam sentirent de Christo, cum longe aliud sibi persuasum habebant, quam uidebatur ipsis contingere re, Vnde amplius rogati, qua nam de re cõferrent, libere omnia fatentur. **De Iesu, inquiunt, Nazareno loquimur, qui fuit uir propheta &c.** Magna quidem hic tribuunt Christo Iesu, sed non sufficientia. Alibi loquitur Petrus rectius. Nos scimus & credimus, quia tu es Christus filius Dei uiui. Et alibi, Tu es Christus filius Dei uiui. Est quidem Christus iuxta humanitatem assumptam uir, sicut etiam D. Petrus eum in Actis uocat.

Io. 6. Math. 16

cat. Vocant prophetam, cum & propheta sit & prophetarū Dominus. Addunt fuisse Iesum potentem opere, & sermone, quibus uerbus totum Euangelij negotium complectuntur, uidelicet Christi sermones, & ipsius miracula. In hūc
Act. 2. fere modum loquitur etiam D. Petrus de Christo. Iesum Nazarenum, uirū approbatū à Deo in uobis, uirtutibus, & signis, & prodigijs, quæ fecit Deus per illum in medio uestri, sicut uos scitis &c. Hunc interemistis. Hoc etiā addunt duo discipuli; summi sacerdotes nostri, & principes nostri tradiderunt eum in damnationē mortis,
Psa. 129. & crucifixerunt eum. Quid amplius? Nos autē sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Recte sperauerant Christum redempturum Israel: sed non intellexerunt ueram redemptionē, nec ueros Israelitas. Vis audire ueram redemptionem Israelis? Quia apud Dominum misericordia, inquit Psalter, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eorum. Audis quā liberationem siue redemptionē intelligant prophetæ nō eam quā stultus Iudæorū populus cupit, scilicet redem-
Math. 1. ptionē à iugo Romanorū sed à tyrannide Satanæ & peccatorū. Vocatū est nomē eius Iesus, inquit alibi scriptura, ipse enim saluū faciet populū suū à peccatis ipsorū. Breuiter, eā redemptionē & liberationē desiderabāt, quā Rusticus populus, à nouis prophetis delusus, sibi pollicetur ex Lutheri Euangelio. Et hæc quidē hactenus.

Iam

Iam rursum ponderandum uenit, quod dicunt. **Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.** Videnť hic uelicate ꝓmissionē Christi promittentis se tertia die resurrecturū, quasi scilicet falsi sint & uana spe delusi? Atqui Christus certo pollicitus fuerat, se tertia die resurrecturū: necꝫ tamē certā diei horā constituit, nec sese oībus & singulis discipulis suis manifestaturū ꝓmisit. Quid igitur habent isti quod cōquerātur? Tertia dies à morte Christi nondū præterijt. Et forte iam aliꝰ uisus est Chriſtus. Proinde si Discipuli, isti, uera Dñi recte intellexissent, nō tā temere de ipso locuti fuissent. Nō em̄ suffecerit allegare uerba Christi, nisi earundē uerū & genitiuū sensum adferas. Sed opus est, ut tandē Christi responsum audiamus. **O stulti et tardi corde ad credēdū in omnib⁹ quę locuti sunt Prophetę etc.** Hic est pulcherrimus docendi mos non tantū arguere & repræhēdere, sed etiā docēdo instruere. Primū reprehendit eos quod nō credant scripturis. Secūdo, ne dicāt nihil tale de Christo inueniri in scripturis, ipse Christus exponit ipsis scripturas, incipiens à Mose, & omnibus Prophetis, ostēdens quę de ipso intelligēda & interpretāda sint. Verū hęc Christi interpretatio nō extat: quę si extaret, haud dubie multū posset nos cōtra uniuersos Christi hostes adiu-

Nō *uerba sed sensus scripture sequendus.*

De sermone Domini in uia hac.

sermo uare. Non tñ dubitamus illas Prophetias, quas Apostoli subinde inoucunt in suis scriptis, etiã fuisse à Domino explicatas. Sed non est cur plurimum doleamus de sermone illo domini in quo duobus istis discipulis interpretatus est Prophetas, Psalmos & Moysen, Nam adhuc in Ecclesia nostra Catholica uerus est interpres scripturarum, nimirum Spiritus sanctus, spiritus ueritatis, qui nos docet omnia, & qui nos ducit in omnem ueritatem.

Et appropinquauerunt castello, quo ibant: & ipse finxit longius abire.

Simulat se Christus longius abiturum, ut nobis pateret, quantum illi duo profecerint ex sermone illo domini. Et certe aliquando simulat Dominus ac si uellet à nobis recedere, ut periculũ nostri faciamus, quid de ipso sentiamus. Nõ sunt boni filij, qui ad abitum parentum suorum plurimum lætantur. Quid igitur discipuli?

Et coegerunt eum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit &c. Pulchra sunt hæc & obseruatione dignissima. Ex pia & sancta Christi confabulatione, tantam delectationem acceperunt, ut non potuerunt ab illo auelli. Et hoc signo cognoscuntur ueri & germani filij Dei. Qui ex Deo est, ait Christus, uerbum dei audit. Deinde uidemus exemplum in discipulis duobus, magnæ

Ioan. 8.

gnæ hoſpitalitatis, qui non tantum rogant, ſed & cogunt Chriſtum, quatenus apud ipſos maneat, dicentes, incommodum eſſe, ut noctu uelit longius abire. Dominus itaq; morem illis gerens, intrauit cum eis. Neq; enim temere in ſcripturis loquitur, Delitiæ meæ ſunt, eſſe cum filijs hominum. Et rurſum. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit uocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Sic iam pulſauerat ad oſtia cordium diſcipulorū, & ſic pulſauerat, ſicut ſequetur, ut corda ipſa omnino inardeſcerent: aperuernnt ergo ei, uocauerunt eum, & ingreſſus eſt cum eis. Et factum eſt dum recumberet cū eis, accepit panem etc.

Pro. 8. Apo. 3.

Quum hic legimus Chriſtum à diſcipulis non niſi in fractione panis cognitum, non uulgarem panem fuiſſe libenter intelligimus. Fregit enim eis eum panē (ſicut Auguſtinus Ser. 140. de Tempo. intelligit, & poſt eum Theophylactus in Lucæ 24. Caput) de quo in cæna dixerat, Accipite & manducate. Hoc eſt enim corpus meum. Chriſtus enim ſuo corpore pauit eos. Quod uero ex hac re illum cognoſcunt, non inepte colligimus, Apoſtolus ipſos non ſiluiſſe apud reliquos Chriſti Diſcipulos, quę in nouiſſima cæna facta fuerant. Obſeruanda itaque duo ſunt circa præſentem locum. Primum quod Chriſtus diſcipulos ſuos communicauerit in

rit in hac cæna, & hoc, quantum ex contextu liquet, sub altera tantum specie: unde docti colligunt Ecclesiam non impie sequi Christum, dū extra sacrum (in quo sacerdotes utramq; speciem Eucharistiæ sumunt) filios suos communicat sub altera tantū specie. Et Ecclesiasticam hanc consuetudinem tutius sequuntur, quam Schismatis temerariam præsumptionē. Nouimus Christū dixisse de corpore suo. Hic est pa-
Ioan. 6. nis qui de cælo descendit. Qui manducat hunc panem, uiuet in æternū. Contenti igitur simus nos certo sumere uerum corpus domini, de speciebus parum sollicíti, maxime cū sciamus nos super hac re nullum habere ab ipso Christo præceptum. Enimuero ego puto me nō imprudenter sumere interpretationē Euangelij, ab ea Ecclesia quæ me de Euangelio Christi certum reddidit. Nec curo quid mihi contradicant hostes Ecclesiæ, qui cum antea nobiscum docuerunt ea quæ nos iam docemus, iam non solum contra Ecclesiā Catholicā, sed etiam contra semetipsos, & contra suos complices docent. Quod uero dicunt uerba Christi plana esse, in crastina contione, si Dominus uoluerit, diligentes excu-
De utraq; specie Sacramenti. tiemus. Hoc unum iam addam, Lutherum ipsum Noui Euangelij ipsorum fontem, iam olim negasse aliquod præceptum esse de communione siue sub altera, siue sub utraq; specie. Et alibi scribit. Nemini nisi generali concilio permittente, licere consuetudinem hanc Ecclesiæ

inuertes

inuertere aut immutare, Tertio scribit Zuinglianos (maxima uero pars nouorum concionatorum Zuinglianí sunt) non habere Eucharistiam. Quarto de ijsdem scribit, His spiritibus credat doceri ueritatem, si quem perire delectat. Iam ego his addam. Si habent ueram Eucharistiam, certe illa extra Ecclesiā Christi nihil prodest. Agnus enim Paschalis in una Ecclesia cum fructu editur. Quod si dixerint nos non habere Ecclesiam, age dicant nobis, ubi illi baptizati sint, & unde Euangelium acceperint. Dicant item, ipsi ne à nobis, an nos ab illis desciuerimus? Postremo qui legitima uocatione & ordinatione non peruenerunt ad Ecclesiasticum ministerium, potestatem non habent conficiendi Eucharistiam. Et hæc quidem hactenus. Restat iam ut de fractione panis in qua Apostoli Christum agnouerunt dicamus. Et breuibus quidem. Hoc certissimum est, Christum institutione huius uenerabilis. Sacramenti satis declarasse, quanti nos faciat, quibus suum proprium corpus in cibum, & sanguinem in potum dedit. Nam hoc esse signum magnæ, immo ardentiss. dilectionis nemo non libenter fatetur. Quomodo enim non intelligimus nostrum esse Christum, qui semetipsum uobis tradidit, non tantum in turpissimam mortem, sed etiam in uiuum, & uiuificum cibum? Deplorandum tamen est, Symbolū dilectionis

lectionis Christi in nos, & nostrum in proximos, uersum esse in tesserā odij & inuidiæ. Tollat deus & eijciat tantas pestes ex Ecclesia, et reddat nobis ueram pacem & tranquillitatem, ut uno corde & ore honorificemus Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. Qui est Deus benedictus in secula, Amen.

FERIA TERTIA PAscæ, Luc. 24.



IN illo tẽpore: Stetit Iesus in medio discipulorũ suorũ, & dixit eis: Pax uobis, ego sũ, nolite timere. Conturbati uero et conterriti existimabant se spiritum uidere. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra? uidete manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate, & uidete, quia spiritus carnem & ossa

sa non habet, sicut me uidetis habere, & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerũt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cũ manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc sunt uerba, quæ locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quoniã necesse est impleri omnia, quę scripta sunt in lege Moysi, et ꝓphetis, et psalmis de me. Tũc apperuit illis sensum, ut intelligerẽt scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptũ est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine eius pœnitentiã, & remissionem peccatorum in omnes gentes.

EXPOSITIO.

Etsi

ET si tempus ipsum postularet, et ego non libenter sermonem instituerem de fructu & usu Dominicæ passionis, tamẽ tot occasiones ex consuetis lectionibus Euangelicis sese offerũt, de rebus alijs dicẽdi, ut uelim nolim, cogar relinquere quę propositurã, & sequi q̃ Dñi bonus spiritus nos duxerit. Placet mihi frequens, & celebris cõuentus uester, congratulor pijs uestris studijs, et precor dñm, quatenus labores meos sic moderet, ut ex illis maximus fructꝰ ad uos redeat, nec dubito qui dominus noster Iesus Chrs, sic multiplicaturus sit panẽ uerbi sui in manibus meis, ut bene & felicit pasti, cũ gaudio spiritus uestri, sitis reuersuri domum. Cæterum quoniã Euangelij hodierni lectio nobis magnũ & latissimũ dicendi campũ aperit, age præt morem nostrũ, nõ suo ordine, ab initio ad calcẽ usq; Euangeliũ interpretabimur, sed ea quę nobis uidentur maiori excussione opus habere, primum excutiemus. Et quoniã multi putant scripturã sacram intellectu esse facilimã omnibus expositam, de hac re primo omniũ dicemus. Sũt enim hoc nostro, satis supercq; calamitoso seculo, qui ubiq; iactitant, quã clara & aperta sit scriptura diuina, ut non aliunde expectanda sit interpretatio. Et hoc quidem uerbis dicunt, cum factis ac reipsa longe aliud testentur, Sed agemus libere, ut nemo nos non intelligat. Si scriptura sacra tam clara est, atq; hostes Ecclesiæ multis persuasum

De scripturarum claritate.

um esse uellent, qui fit, quod tam uarie à tam multis exponitur? Et si loquuntur de Scripturarum claritate, & luce, libenter uelim ab eis scire, quas uelint scripturas? Rogo item de uerbo ne scripto, an uiua uoce prolato intelligant. Iudæi habebant Mosen, Prophetas, et Psalmographos: Si hæc omnia tam clara sunt, qui fit, quod fere nihil in his Iudæi intellexerunt? Venio ad nouum Testamentum, audio Christum loquentem uiua uoce, & tamen non semper à suis intellectum. Non iam loquor de Paraboli cis illius locutionibus, sed de rebus apertis. Alibi loquitur ad Mariam, & Ioseph: & Lucas testatur filium à parentibus, non intellectum. Quoties legimus in Euangelijs Apostolos ipsos non intellexisse ueteres Prophetias, immo nec Christum ipsum loquentem. Vbi igitur claritudo illa Scripturarum sanctarum? An non *legimus Thesaurum hunc in agro iacere* absconditum? *Quæro rursum. Si sacra scriptura* tam clara est, ut à quouis & iudicari, & intelligi queat, quid opus est uerbi diuini interpretibus? Suffecerit cognoscere apices, & figuras literarum: Concionatoris & interpretis officium, obibit spiritus sanctus. Sed dicam quæ magis intelliges. Si scriptura sacra omnibus pijs esset perui a, nullo modo opus fuisset aliqua illius interpretatione, & frustra in illa interpretanda sudassent, tam multorum Græcorum & Latinorum Patrum erudita ingenia.

Luc. 2.

Luc. 18.

Math. 13.

Quid,

Quid, quod etiam ipsi, qui nusquam non dicũt, ac scribunt, scripturam nulla luce opus habere, scribunt ingentia comentariorum uolumina? Quare tantos labores frustra insumunt, & bonas horas, in re non necessaria tam male locant? Rursum dico, Si scriptura per se clara est, ac seipsam interpretatur, cui nam clara est? Aut quãdiu hanc claritatem habuit? Si perpetuo eam habuit, qui fit, quod Noui Euangelij ministri tã tarde ad illius cognitionem uenerũt? Si scriptura tam clara est, sequitur, Nouas Prophetas, non per ignorantiam, sed per malitiam populum tam multos annos seduxisse. Sed dicunt, scripturam pijs tantũ esse peruiam. Quos pios uocant? Luteranos ne an Zuinglianos? An Anabaptistas? Nam de nobis iam prædicatum est. Qui igitur fit, quod omnes illi scripturarum claritatem ostentant, & tam misere inter se de illarum intelligentia digladiantur. Sed scio quid dicant. Eas res quæ ad salutem animarum præcipue pertinent, tam clare in uerbo dei esse traditas, ut etiam omnibus illæ pateant. Atqui, nec sic euincent quæ uolunt. Si enim Articuli fidei nostræ, & Sacramenta Ecclesiæ nostræ ad animarum salutem non pertinent, non uideo quæ ad iliam pertineant. Iam Aduersarij nostri in utrisq; non solum à nobis, sed etiam à semetipsis, & inter seipsos dissentiunt. De incarnatione uerbi, an non crudeliter alter in alterum inuehitur? Qui mihi hæc dicenti diffidit, legat partium

An scriptura omnibus pijs clara.

Quæ in scripturis clara.

tium scripta de Eucharistia, & iudicabit me hic nihil fingere. De Christo ipso quid multi ex illis scripserunt, hoc est quã impie, ille solus ignorat, qui ipsorum scripta non legit. Nisi prudenter à Luthero sit scriptum, Christum ut alium sanctum, non uidisse, nec audisse, nec sensisse semper omnia. Et nisi pie scripserit Melanchton Christum in Cruce desperasse. An non est articulus fidei nostræ, Christum descendisse ad Inferos, hoc quod Zuingliani fere omnes negant? An cognitio peccati Originis, leuicula res est? Certe in eo dissentiunt Lutherani & ab Ecclesia, & à Zuinglianis. Quomodo conueniant de Baptismo inter se testatur partium comentarij. De Eucharistia notius est, quam illi ipsi uelint. Vbi igitur claritas illa S. Literarum, de qua illi tam glorioſe scribunt? Sed facillimum intellectu est, qua de causa illi Aduersarij nostri, plebi persuadeant scripturas nullis glossis opus habere. Hoc enim astu cauent ne plebs de ipsorum interpretatione dubitet, nec se patiatur ab alijs admoneri. Quid igitur, si plebs sic colligere. Si scriptura tam clara est quam claram eam esse uos dicitis, quare ergo uos soli in illa inuenistis, & hoc tam tarde, quæ alij hactenus uidere non potuerunt? Sed hæc puto tam clara esse, ut pluribus argumentis opus non sit. Vbi igitur uerã & certam inuenies S. Literarum cognitionem? Dicã & quidẽ paucis. In ea Ecclesia, quæ te certum reddidit de S. literis. Ecclesiæ enim Catho-

Lutherani in maximis discordes.

licæ promissus est spiritus sanctus, qui eã ducat in omnẽ ueritatem. Et illa habet suos ministros uerbi, qui S. scripturas interpretẽtur. Qui si Ecclesiam audiunt nõ noua dogmata cõminiscentur, sed uetera magis explicabunt, & diligenter propugnabunt. Christus enim sponsus Ecclesiæ sponsam suã non negliget, non patietur eam perduci in pernicioſos errores, sed erit cũ illa usque ad consummationẽ seculi. Nec tamen ex æquo omnibus Ecclesiæ membris impartitur spiritum sanctum, alias enim nullo uerbi ministerio opus esset in Ecclesia. Quoniã uero Christus uerbi ministeriũ instituit, latis re ipsa testatum fecit, nõ omnibus fore Sacram scripturam peruiam. Vt autẽ multis patere possit. Ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autẽ Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad cõsummationẽ sanctorũ, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Iam et in hodierno Euangelio legimus.

Ephe. 4.

Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.

Ecce, omnia scripta sunt in lege Mosis, Prophetis, & Psalmis: tamen illa non intellexerunt Apostoli, nisi postquam Christus ea ipsis interpretatus fuit. Sic impossibile est nos aliquid in scripturis

scripturis intelligere, nisi illud ipsum nobis interpretetur Christus. Non autem interpretatur Christus scripturas, nisi in Ecclesia Catholica, nec alijs interpretatur, nisi eis qui sunt membra Ecclesiæ, & huius ordinem sequuntur. Obseruandum hic, quod Christus dicit omnia debere impleri, quæ scripta sunt in lege Moysis & Prophetis & Psalmis de ipso. His tu adjice quæ alibi dicit, Amen dico uobis, Iota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Item, Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in Regno cœlorum. Et iterum. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt. Hæc certe multum faciunt contra eos qui scripturas sacras truncatim citant, uel unum locum contra alium interpretantur: quæ de re antea sæpissimæ diximus. Iam quando forte longius quam par sit, digressi sumus, ad initium hodierni Euangelij reuertemur, discussuri quæ ad ædificationem nostram uel aliquo modo facere possunt. Et primum quidem obseruatione dignum putamus, quod Christus dum de ipso loquuntur, discipuli, statim in medio eorũ stat, & nihil nisi pacem eis precatur. Quicquid enim egit Christus nostro nomine, in hoc egit, ut haberemus pacẽ, primo ad deũ, uidelicet ut hic nobis faueret, & nos illi per omnia morẽ gereremus. Secũdo ut et nos pacificarer, quatenus nos inuicẽ pacifice ac benigne conuersaremur.

Math. 5.

Pacem nobis dedit Christus.

Colligimus & hoc, nullam esse ueram pacẽ, niã
Io. 14. si quam Christus nobis dare solet, & solus dare
potest. Pacem meam do uobis, inquit alibi, pa-
cem meam relinquo uobis. Non quomodo mũ
dus dat, ego do uobis. Mundi pax nihil aliud
est, quã impune posse licentiosius, & pestilentius
uiuere, qua de re suo loco non nihil dicemus.
Esa. 48. Non est pax impijs, dicit dominus. Et rursum.
2. Thes. 5 Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus
eis superueniet interitus, Secundo. Quod Apo-
stoli putant hic se spiritũ uidere, arguit quandã
opinionẽ fuisse etiã apud Iudæos, defũctorũ spi-
ritus aliquando hic in terris obambulare: quæ
res etiã testimonijs S. scripturæ probari posset.
De spiri-tuum ob-ambula-tione. Confitetur hoc nobiscum uniuersalis Ecclesiæ
consensus: confessi sunt antea nobiscum eadem
Lutherus & Caroloſtadius. Hæc nõ alio nomi-
ne attingere uolui, nisi ut intelligatis non usq;
adeo fabulosa esse, quæ alibi in Doctorum pio-
rum pijs commentarijs, de defunctorũ spiribus
hic in terris obambulantibus scripta leguntur.
Sed nihil opus fuerit hæc pluribus tractare. Ter
tio. Quod Christus ostendit manus & pedes
atq; sese palpandum præbet, diligenter obseruã-
Resurre-ctio car-nis. dum est. Neq; enim tantum confirmat Chri-
stum uere corpore & anima resurrexisse, sed e-
tiam probat nos omnes uere & corpore & ani-
ma resurrecturos: iuxta hoc quod credimus &
in Symbolo fidei nostræ confitemur. Credo
huius carnis resurrectionem: sic enim ueteres
olim

olim locuti fuerunt. Quarto quod Christus ad eximendam discipulis suis omnem dubitatio- *Christus*
nẽ, quærit cibum, et eo oblato uescitur quãuis ci *comedit.*
bo nullo egeat, etiã præter causam nõ fecit, hoc quod ex alijs sacrę scripturæ locis satis colligi- mus. Eo enim facto, hoc est, quod cibum sum- psit, probauit se uerum corpus habere, quod li- cet cibo ad sui sustentationem opus nõ habeat, tamen citra sui lęsiõem manducare ualeat. Quo- modo uero Christus ederit, & quo cibos illos transfuderit, quis explicabit? Enimuero tur- pissimum est Christum Iesum Deum ac Dei ui- uentis filium, uelle subijcere Aristotelicæ Philo- sophiæ. Cuius stulticię cum Lutherani nostros, non omnino temere aliquando insimulauerint, isti ipsi iam Christum Dialecticorum Silogis- mis, & sponsam Christi, Grãmaticorum regulis subijcere conãtur. Postremo obseruãdũ & hoc, q̃d dñs Iesus dicit, sic scriptum esse atq; sic opor- tuisse Christum pati, & resurgere à mortuis ter- tia die: & addit, q̃d diligenter obseruare debetis.

Et prędicari in nomine eius pęniten- tiam, et remissionẽ peccatorũ in om- *Mat. 4.*
nes gentes etc. Videamus an hunc docen- di modũ obseruauerint Apostoli Profecto Chri- *Mar. 1.*
stus ipse in Euangelio sic intonare solebat. Pæ- nitentiam agite, appropinquabit enim regnum cęlorũ. Et sicut Marcus refert, Resipiscite & cre- *Mat. 28*
dite Euãgelio. Sub finẽ Euãgelij secundum Ma-

thæum legimus Christū his uerbis amandasse
Math. 28 Apostolos. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docētes eos seruare omnia quęcunq; mādaui uobis. Hæc dñi uerba, sic intellexit Diuus
Acto. 2. Petrus, ut dñi rogaretur à Iudęis, Quid faciemus uiri fratres? statim respondet, pœnitentiā agite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorū, & accipietis donū spiritus sancti. Sic in eodē libro, unde priora hausimus, testatur D Paulus se prędicasse & Iudęis & gētibus, pœnitentiā in Deum, et fidem in dñm nostrum Iesum Christū.
Acto. 20. Hūc prædicādi morē si secuti fuissent Noui Euāgelij Noui ministri, nō cōcitassent tantas turbas in populo Christiano. Conantur quidē illi ipsi noui prophetę, iā populo persuadere, se nūquā nō sane ac prudenter de fide predicasse, sed diuersum tam uerū est, ut uerius nihil esse possit. Quid enim dicemus [illegible] populis, cum de ipsis Magistris & præceptoribus [illegible]utherus & Melanchton conqueruntur. Multos ex illorū uerbi ministris fidem docere, pœnitentiam non docere, Sed hæc iam suffecerint: Det dominus, ut potius pœnitentiam re ipsa præstemus, quam illam ipsam multis, nudis tamen uerbis commendemus, Sic enim fiet, ut Christum dominum nostrum uere resurrectionis primitias fuisse, & nobis uiam strauisse intelligamus. Quod utinam nobis contingat &c. Amen.

FERIA

FERIA QVINTA PA-schæ. Ioan. 20.



IN illo tẽpore: Maria ſtabat ad monumentum, foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentũ, & uidit duos Angelos in albis ſedentes, unũ ad caput, & unũ ad pedes, ubi poſitũ fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerũt dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & uidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat, quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei. Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eũ, &

egō eū tollam. Dicit ei Iesus. Maria. Conuersa illa dicit ei. Rabbani, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus. Noli me tangere, nondū enim ascēdi ad patrem meū. Vade autē ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad patrē meū & patrē uestrū, Deum meū, et Deum uestrum. Venit Maria Magdalenæ annuncians discipulis. Quia uidi dominum, & hæc dixit mihi.

EXPOSITIO.

QVoniam resurrectio mortuorū res admodū mirabilis, & creditu difficilis uidet hominibus non exacte potētiā dei perpendētibus, nō immerito Euangelistę multas ac uarias dñi nostri Iesu Christi apparitiones conscribere uoluerunt, ut nos certo cognoscētes Christi resurrectionē, de nostra nō dubitaremus. Si enī credimus, inquit, Apostolus, q̄d Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus
1. Thes. 4 eos qui obdormierūt per Iesum, adducet cū eo. Et iterū. Nūc aūt Christus resurrexit à mortuis primitiæ

primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominẽ resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Quoniam igitur omnis spes nostræ resurrectionis cõsistit in resurrectione Iesu Christi seruatoris nostri, rectè ac merito nobis proponitur quibus modis & quoties Christus suis post mortem apparuerit: Euangelistæ tamẽ non omnia conscripserunt, sicut ex D. Lucę & Pauli scriptis claret. Lucas ab initio Apostolicorum actuum, scribit Christũ per quadraginta dies apparuisse Apostolis, ac cum eis locutum multa de regno Dei. Quis autem nõ uidet quam pauca horũ scripta sint? Iam D. Paulus in Corinthijs scribit, quæ Euangelistæ nõ conscripserunt. Resurrexit Dominus tertia die, inquit Paulus, secundum scripturas, & uisus est Cephæ, & post undecim. Deinde uisus est plusq̃ quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde uisus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: Nouissime autem mihi &c. Hic multa ponit D. Paulus, quæ in Euangelio non ponuntur expresse, ut intelligamus Christum sæpius apparuisse multis, quam ab illis conscriptum fuit. Sed uideamus iterum quam apparitionem nobis hic describat Ioannes Euangelista. Maria stabat ad monumentum foris plorans.

1. Cor. 15.

Acto. 1.

1. Cor. 15

Ante hanc historiam scribit D. Iohannes, quod Maria Magdalena mane uenerit, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, & uiderit lapidem sublatum à monumento, & addit. Cucurrit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum quem diligebat IESVS, & dicit illis. Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Petrus itaq; & Ioannes cucurrerunt ad monumentum, ingrediuntur, uident linteamina posita, & sudarium super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum, unde & ipsi, nondum intelligentes scripturam (de resurrectione scilicet Messiæ uaticinantem) crediderunt Christum non surrexisse, sed sublatum, Et ideo abierunt rursum eo unde digressi fuerant, forsan nihil minus sperantes, q̃ Iesum iam resurrexisse, & ipsis appariturũ. Et uerisimile mihi uidet Apostolos forsan nõ admodũ dubitasse de resurrectione animæ Christi, quã nouerãt, sicut & aliorũ animas, imortalem esse, & forte sic spiritũ Christi ad ipsos uenturũ putabãt. Quod uero deberet integro corpore resurgere, hoc non credebãt: unde uidemus ipsos ualde sollicitos esse de corpore Dñi: & uidemus Christũ multis argumẽtis cũ ipsis agere, ut intelligãt eum uero et integro corpore resurrexisse. Cęterũ quũ Petrus & Ioañes de monumento abirẽt, Maria magno amore Christi estuãs, nõ comitat illos, sed expectat ad monumentũ, & plorat. Quare q̃a uidet se frus

Apostolorum dubitatio de Carne Christi.

se frustratã bona spe, qua sperabat se posse unge re corpus Dñi, qđ in non inuenit. Quid igit fit? **Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentũ, & uidit duos Angelos in albis &c.** Honesta matrona tãto ardebat desyderio uidẽdi corpus Domini, ut nõ contenta semel prospexisse in monumentũ identidẽ inclinat se, intuetur sepulchrũ, rimatur loca ubi nouerat Christum fuisse collocatũ, omnia diligẽter contẽplatur, uidelicet quomõ sublatũ corpus an integrũ, an nihil de illo reliquũ in ipso monumẽto. Sic enim solemus diligenter quẽrere quę amamus. Igitur dũ sic flẽdo quęrit, & quęrendo flet, præter omnem opinonẽ uidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unũ ad pedes, ubi positũ fuerat corpus Iesu. Quare Angeli huc uenerint, statim audiemus. Diuus Gregorius per duos Angelos hoc loci intelligit duo testamẽta uetus & nouũ, quæ utraq; testimoniũ reddunt resurrectiõi Iesu Christi dñi nostri. Quod enim uetus testamentũ prædixerat futurũ, hoc ipsum iam testatur Nouũ testamentum factum esse atq; completũ. Quod uero sedent alter ad caput, alẽ ad pedes, significare putãt, nõ solũ de capite, sed etiã de pedib. esse prędicandũ, hoc est non solã diuinitatem Iesu Christi, sed etiam eiusdem humanitatem populo Christiano proponendum esse. Sed audiamus dialogum illum inter Angelos & Magdalenam.

Duo Angelos quid significẽt.

Dicunt

Dicunt illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis. Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Vi-
Can. 3. detur mihi hic agi quod in mysticis canticis legimus de Christo, & huius sponsa Ecclesia. Locus sic habet. In lectulo meo per noctes quęsiui quē diligit anima mea: quæsiui eum & non inueni. Surgam & circūibo ciuitatem per uicos & plateas, quæram quem diligit anima mea: Quæsiui illum, & non inueni, inuenerunt me uigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea uidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ. An non uidetur tibi talis res hic geri? *Maria tota accensa est amore Christi, nihilque magis cogitat, nihil magis cupit q̄ Christum* & quanto *propriùs accedit Christus* (licet illa nesciente) *tanto magis illa accenditur*, & quoniam quæsitum non inuenit, ardentiss. emittit lachrymas. Adsunt igitur Angeli, interrogāt eam, Mulier, inquiunt, Quid ploras? Illa respondet. Tulerunt Dominum meum, & ego nescio, ubi posuerunt eum. Nihil de resurrectione meminit, sed ab alio quo forte sublatum credit. Iam quod sequitur, ualde pulchrum est.

Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum,

sum, & uidit Iesum stantem &c.

Et quæ nam hęc consequentia, inquit D. Chrysostomus, cum illos alloqueretur, & nihil adhuc rrspondissent, respicere? Vt ego iudicare possum, loquente Maria cum Christus repente appareret, obstupuerunt Angeli: & uultu, & motu & gestu se Dominum uidisse significarunt, ideo Mulier respexit, et uidit Iesum stantem, quẽ tamẽ non agnouit. Potuit enim hoc Dominus facere, ut ab Angelis quidem cognosceretur, à Maria uerò non cognosceretur. Intelligimus autem hic duo, Primum eos nunq; recte ac exacte Deum cognoscere, qui malunt suis rationibus q; Dei uerbo credere. Alterum est, quod uidemus Deum aliquando nobis adesse etiam cum nihil minus putamus, hoc est, rem nostram non curare, dum maximè curat. Exempla in scripturis sunt notiss. *Conuersa Maria quare.*

Dominus cognoscitur à solis credentibus.

Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? Quem quæris?

Nouerat haud dubiè Dominus quid, siue quam ob rem ploraret Maria, & quid quæreret, unde non interrogauit ut quæ nesciret, illa exponente intelligeret, sed ut quærendo eius desiderium augeret, & nobis amorem Mariæ exponeret.

Illa existimans hortulanum esse, dicit ei, Domine si sustulisti eum, dicito mihi &c. Nemo miretur tantum in Chri-

sto

sto uarietatem, sed potius cogitet Christum dei sapientiam, nihil imprudenter instituisse. Alijs
Luc. 24. Discipulis proficiscentib. Emaus, apparet, in specie peregrini, alijs sic apparet, ut ne homine quidem, sed spiritum potius putent, alijs etiam presens non apparet, hoc in loco speciem hortulani in se suscepit, quod haud dubie non caret ratione. Christus enim Dominus noster etiam iuxta Euangelicas parabolas hortulanus est, & habet
Luce. 13. Agros & uineas suas. Lucæ decimo tertio legimus eiusmodi Parabolam. Arborem fisci habebat quidam plantatã in uinea sua: & uenit quærens fructum in ea, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sunt &c. In
Ioan. 15. Euangelio Ioannis apertis uerbis uocat Patrem
Math. 20 suum agricolam. In Euangelio Mathæi, destinat operarios in uineam suam. Et in eodem Eu-
Math. 21. angelio, minatur infrugiferis et putribus Arboribus exitium: immo etiam alibi maledictione & execratione penitus arefacit arborẽ infrugiferam. Et nos Christiani debebamus esse sicut oliua fructifera in domo dei nostri. Sed hæc alias.

Christus hortulanus est.

Dicit ei Iesus. Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister) Dicit ei Iesꝰ, Noli me tangere. Nomine, pprio uocat Christus Mariã, unde illa statim eũ agnoscẽs alloquitur, & prę nimio amore, sicut ex textus cõsequẽtia intelligimus, sicut antea consueuerat, Iesum cõplecti cupiebat uerum

utrũ Christus Iesus eã prohibuit dícẽs. Noli me tãgere. Quid hoc est, q̃d Christus nõ uult se tãgi à Maria? De alijs mulieribus dicit in Euangelio Mathæi q̃d tenuerint pedes eius. In Euangelio Lucę ostendit Dñs manus et pedes suos discipulis, inuitat ad tactũ, inquiens. Videte manus meas & pedes meos, q̃a ego ipse sum: palpate & uidete, quia spiritus carnẽ & ossa non habet. Sic in Euangelio Ioannis Thomę dicit, Infer digitũ tuum huc, & uide manus meas, & affer manũ tuã, & mitte in latus meũ &c. Quare ergo negatur Mariæ, q̃d cõceditur Discipulis? Ego puto eius rei hanc esse causam. Discipuli in hoc constituti fuerant, ut non ita multo post testificarentur de Resurrectione Dñi, unde necessario permittũtur primũ omnia quo ad fieri potest, certò explorare, ut deinde cõfidentiores sint in ferẽdis testimonijs. Addã his, quoniã Apostoli non credebant Christũ surrexisse uel surrecturũ cũ carne: necessariũ fuit ut hoc certò, ceu diximus, experimẽto discerẽt, Christũ uidelicet cũ pristino suo corpore, iã tamẽ clarificato et impassibili, resurrexisse. Quoniã uero Maria audiẽs Christi uocẽ, eumq̃ agnoscens, nihilo magnificẽtius de ipso sentiret postq̃ surrexerat à mortuis, quã de illo adhuc possibili senserat, indigna fuit quæ admitteretur ad cõtactũ. Breuiter Apostoli et Maria diuersas habuerũt de Christo opiniones. Apostoli nõ credũt esse hominẽ corporeum, Maria nihil nisi hominẽ eũ esse credit, Vtrisq̃ medet. Apris loquit de cara

Quare non uelit se Christus tangi à Maria. Luc. 24. Ioan. 20.

de carne, hoc est, de ipsa humanitate, cum Maria de diuinitate. Nondum inquit ascendi ad Patrẽ meum. Quibus uerbis ostendit, se patrẽ habere in cęlis, quo etiã sibi abeundũ sit. Hinc sequitur.

Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum &c.

Pulchrum hoc est, & cõsolatione plenissimum, quod Christus Apostolos fratres suos uocat, Vade, inquit, ad fratres meos, non dicit, ad errantes, fugientes, uel latentes: sed ad fratres meos. An hoc non magnum est, an non iucundũ, quod Apostolos loco fratrum habẽ? Quod dicit etiam se cum Apostolis communem habere patrem ac Deum. Hic autem duo considerandasunt, ne aberremus. Primum est, quod Christus hic Apostolos sibi quasi ęquare uidetur, dicens, Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Sed nõ sic nos sibi coniungit, quin aliquam differentiam ponat. Quod enim nos sumus per gratiã, ille est per naturam. Eramus enim nos natura filij iræ &c. Sed uide quàm distinctè loquatur. Ascendo, inquit, ad Patrem meũ & Patrem uestrum. Deum meum, & Deum uestrum. Non dicit. Ascendo ad Patrem nostrum & Deum nostrum. Sed meum & uestrum: ut intelligeremus, Deũ longe alia ratione esse Deum & Patrem domini nostri Iesu Christi, quam Deus & pater noster est. Nec unq̃ in Euãgelijs inuenies Christum

Differentia inter germanũ et adoptatiuum filium.

Christum dixisse de se loquentem, Pater noster, uel Deus noster. Sed pater meus, & Deus meus, Alterum obseruandum, quod non soli Apostoli sicut & uocantur & sunt fratres Dñi nostri Iesu Christi, sed omnes Christiani, quotquot Christo, fide & Sacramentis incorporati sunt, fratres ipsius sunt & dicũtur. Huc pertinet quod Apostolus in Hebræis scribit. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quã causam non confunditur fratres eos uocare dicens, Nunciabo nomẽ tuũ fratribus meis. Sic in Romanis scribit Apostolus nos gloriari in spe gloriæ filiorum Dei: item. Nos esse hęredes Dei cohæredes uero Christi. Et D. Ioannes in Canonica sua. Videte qualem charitatem dedit nobis deus, ut filij Dei nominemur, & simus. Nec inepte huc transfertur quod Christus in extremo Iudicij die dicturus est. Amen dico uobis, quãdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Hæc omnia probãt omnes Christianos in genere, & esse & dici fratres Christi, ac filios dei. Quod uero non sit uana appellatio, id arguit quod etiam dicimur Hæredes Dei, & cohęredes Iesu Christi. Et ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei. Tamen hoc obiter dicendum uenit, quod multi iã digladiãtur de ratione, qua adoptemur in filios dei, & inter omnes conuenit, illud fieri ex mera Dei gratia, & per meritũ Christi. Ego uero malim nos agere quæ decent filios Dei, ut fieremus

Omnes Christiani sunt fratres Christi.

Heb. 2.

Psal. 21.

Rom. 8.

1. Ioan. 3.

Math. 25

Rom. 8.

Ambulemus uocatione nostra digna.

participes donatę,& promiſſæ hęreditatis, quã ſic multis contendere,quid uel præcedat, uel ſequatur in iuſtificatione,ſiue adoptatiõe in filios dei. Notũ eſt q̃d Diuus Ioañes dicit.Chariſſimi, nunc filij̃ dei ſumus: nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniã cũ apparuit,ſimiles erimꝰ, quoniã uidebimus cum ſicuti eſt. Et omnis qui hãc ſpẽ habet,ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus
1.Ioan.3 eſt. Sanctificemus ergo nosmetipſos, hoc eſt, uiuamus & ambulemus ſicut decet ſanctos, ut exantlatis huius mũdi laboribus,etiã liceat nobis aſcẽdere ad patrẽ noſtrum & deũ noſtrum, Quod utinã nobis contingat &c. Amen.

FERIA SEXTA POST Paſcha. Math.28.



IN illo tẽpore. Abierũt diſcipuli in Galileã,in montẽ, ubi cõſtituerat illis Ieſus.Et uidẽtes eum adorauerũt, quidã aũt dubitauerunt. Et accedens Ieſus, loquutus eſt eis,dicens, Data eſt mihi

hi omnis potestas in cœlo et in terra. Eũtes ergo docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine patris, et filij, & spiritus sancti, docẽtes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis, & ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus, usq; ad consumationem seculi.

EXPOSITIO.

QVod ad uerba huius Euangelij adtinet, breue quidem est, sed si quis uellet singulas eius partes, ut merẽtur, explicare, quis non uidet quam prolixam postularet interpretationem? Cæterum D. Mathæus paucas apparitiones Christi conscripsit, uidelicet nõ ratus necessarium esse, rem omnibus manifestam, multis consignare testimonijs. Et spiritus sanctus (cuius impulsu omnes Euangelistæ scripserũt) satis nouerat, quid, per quos, & quando, & quõ scribẽdũ esset. Nec aperte cõscribitur in historijs Euãgelicis quãdo Apostoli post resurrectionẽ dñi in Galilæã ierint, nec qñ rursum in Iudeã redierint. Certũ est Apostolos in Galilæam fuisse, hoc ꝗd Matheus in hodierno Euãgelio testatur. Cũ itaq; eo uenissent ac in eo mõte essent congregati quẽ ipsis peculiariter designarat dominus

minus, adest & ipse inter eos ac manifestissime se his uidendum cõtrectandumq; exhibet, quo ueritatem resurrectionis clarissime perspicerent. **Et uidentes adorauerunt, quidam autẽ dubitauerunt.** Hic factum est, quod etiam hodie in mundo hoc fieri solet, ut ueritate proposita, alij quidem credant, alij nonnihil dubitent, licet omnibus ex æquo ueritas Euangelica proponatur. Sic ex discipulis quidam uidentes dominum, credunt eum uere resurrexisse, & tanquam deum & hominem adorant. Alij uero neq; credunt eum resurrexisse, neq; porro negant, sed tamen dubitant: hoc quod alij Euangelistæ etiam alijs in locis diligenter adnotarunt. Apud Marcum exprobat Apostolis suam incredulitatem & duritiam cordis, quia his qui uiderant dominũ resurrexisse, nõ crediderant. Lucas scribit Apostolos ad conspectũ Christi fuisse cõturbatos & conterritos, item eosdem etiam post uisas domini manus & pedes, adhuc dubitasse. Bona fuit nobis hęc Apostolorũ incredulitas, quæ facit ut nos tutius credamus. Ne enim infideles Gentes, aut perfidi Iudæi dicerẽt, Apostolos ut homines simplices & facile credulos fuisse deceptos, nõ erubuerunt Euangelistæ etiã ea scribere, quę illis ad uituperium potius quam ad laudẽ uerti possunt. **Et accedens Iesus, locutus est eis dicens. Data est mihi omnis**

omnis poteſtas in cœlo & in terra.

Nemo hic putet Chriſtum nō plura locutū fuiſſe, quā hic recenſentur ab Euangeliſta. Nam & Lucas teſtatur Chriſtum multa locutum fuiſſe cū Apoſtolis ſuis de regno dei. Et mihi fit ueriſimile, Chriſtum multis ſermonibus expoſuiſſe, quā poteſtatem acceperit à patre, & quomodo acceperit poteſtatē quā nunq̄ non habuit, hoc eſt, quā ab æterno habuit. Sæpiſſime legimus in Euangeliſs Chriſtū dicere quę & quanta accepe rit à deo patre cœleſti. Math. 11. dicit. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et apud Ioannē dicit Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manibus meis. Et rurſum. Sciebat quia omnia dedit ei pater in manus. Et apud eundē, cap. 17 Pater dediſti filio tuo poteſtatem omnis carnis &. Sed omnium clariſſimum eſt, quod D. Paulus ad Philippenſes ſuper hoc negotio ſcripſit. Poſtq̄ eā expoſuerat quomodo Chriſtus Ieſus homo factus patri obedierat uſq̄ ad mortē, ſtatim addidit. Propter quod & deus exaltauit illum, & dedit illi nomē quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine dñi Ieſu omne genu flectatur &c. Quod enim ad naturam diuinam adtinet in Chriſto, nihil ei datū fuit, quod non antea habuerit: Sed quod humanam naturā adtinet, certe accepit quod ante nō erat. Nam ante domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem & ad cœlos aſcenſionem, nemo au-

Act. 1. Io. 10. Io. 13. Philip. 2. Heb. 1. et 12.

sus fuit dicere. Messiam filium deiparæ ad dexteram patris, hoc est, æqualem Deo sedere. Iam uero frater noster, caro nostra, caput nostrũ, & mediator noster sedet ad dexteram patris in excelsis. Quoniam itaq; hoc ex scripturis certo scimus, quod scilicet Christo Iesu seruatori nostro, à Deo patre, omnis potestas tradita est in cœlo & in terra, magnam spem concipiamus fore, ut & nos ad se recipiat. Deinde si qua re opus habemus, recta ad eum properemus, auxilium & consilium in omnibus aduersitatibus nostris ab illo postulantes. Nam quoniam filius hominis, id est, frater noster est, non dubitamus, quin nobis ex animo uelit auxiliari: quoniã uero omnis potestas in cœlo & in terra ei data est, intelligimus eum omnia posse. Debet etiam præsens locus nos omnes admonere, ne contẽpto Christo spem nostrã in aliquam creaturã ponamus.

Quæcunquæ Christus accepit, nobis cum eo sunt communia.

Euntes ergo doceté omnes gentes, baptizantes eos &c. Quatuor mandata hic sunt, primum est, ut non permaneant sic quasi conclusi in Ierusalem, sed prodeant & obambulent. Alterũ, ut non tantum ad Iudæos, sed etiam ad Gentes eant. Ab initio Euangelij eis dicebatur. In uiam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Iam uero iubet Apostolos ire ad omnes gentes. In hoc enim constituti erant à domino, ut Sal essent terræ uniuersæ, & Lux totius mundi. In Marci Euangelio

Lu. 10.

Mat. 5.

nãgelio clarius exprimitur, nimirum his uerbis, Euntes in mundum uniuersum, prędicate Euãgeliũ omni creaturæ. Apud Lucam rursum clarius. Oportet, inquit, prædicare in nomine Iesu pœnitentiam, & remissionem peccatorũ in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma. Sic in Actis. Eritis mihi testes in Ieruſalē, & in omni Iudęa, & Samaria, & usq; ad ultimũ terræ. Tertium est, quod debeãt docere, hoc est prædicare. Quid? Docentes, inquit, eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Locus hic diligenter expẽdendus est. Primo enim militat cõtra eos, qui uerba dei omnia non eodem loco habent, sed de lectum quendã in his faciunt, illa tantum amplectentes, quæ minus uoluntati carnis nostræ aduersari uidentur. Sic multi sunt, qui nusq; nõ misericordiam dei prædicãt, Iustitiæ ne semel quidẽ mentionem facientes. Sic multi uehementes sunt, in extollenda fide, & temeraria illa sua fiducia, sed de pœnitẽtia, & huius operib9 plus satis muti sunt. Quod Christus dixit, Quod intrat in os, non coinquinat hominem, ualet. Quod adiecit. Quæ de corde exeũt coinquinant hominẽ non ualet. Quod Paulus dicit. Omne quod in Macello uenit, edite, frequenter in ore habent. Quod idẽ dicit. Non est regnum Dei esca & potus, uix conspectu dignãtur. Sic illud. Bibite ex eo omnes, nusq; non urgent. Sed quod Paulus dicit Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, raro referunt.

Mar. 16. *Luc. 24.* *Actu. 1.* *Omnia docenda.* *Math. 15.* *1. Cor. 10* *Rom. 14.* *Math. 26* *1. Cor. 11.*

Non omnia conscripta.

Sed hæc tam clara sunt, quam quæ sunt clarissima. Secundo hic obseruandum est, quod Christus iubet omnia docere quæ discipulis suis mãdauerat. Sed ubi hæc omnia perscripta sunt? Quis nos omnium illorum certos reddet. Aut quis tam stultus est, ut existimet Christum non alia nec plura dixisse, dum in terris egit, quam quæ in corpore Euangeliorum perscripta sunt? Item si nihil prædicandum est nisi quod in Euãgelio scribitur, quid prædicarũt Apostoli antequã scriberetur Euãgelium? Atqui nemo Christianorum dubitat Christum multa fecisse, multaq; dixisse, multa Apostolis præcepisse, quæ in nullo Canonico libro perscripta sunt. Exemplo res clarior euadet. Euangelista Marcus testatur Apostolos Christi exũisse, prædicasse pœnitentiam, eiecisse item Dæmonia multa, & unxisse oleo multos infirmos, siccq; eos sanatos. Iã quod prædicant, dæmonia ẽjciunt, & egros sanant, in præceptis inuenio, sed quod ad unctionem adtinet, in præceptis nõ inuenio. Atqui malim credere Christũ de hac unctione præcepisse Apostolis, necq; tamen ab Euangelista conscriptum fuisse, quam Apostolos hic aliquid nõ iussos fecisse. Sic dicit Paulus ad Ephesios suos Christum dixisse. Beatum est magis dare quam accipere, quam tamẽ eius rei nullus Euãgelista meminerit. Necesse est igitur, ut post cõsulta Euangelij, etiam ad traditiones ueterũ patrũ curramus, Sed hęc hactenus, Iã sequitur. Quartum.

Mar. 6.

Acto. 20.

Baptizantes

Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.

Hic multa essent mihi dicenda, sed nec tempus nec locus hoc admittit. Tempus breue est, & ue strum, hoc quidem die, pauci. Vnde tractatū de Baptismo in aliud tempus differemus. Hoc au tem dico aduersarios nostros in hoc Sacramēto non minus pugnare contra Ecclesiam, q̄ in alijs Sacramentis. Et nō sunt contenti hac dissensio ne à nobis, nisi & inter ipsos etiām minus conue niant. Nesciunt enim quæ uis sit Sacramēti hu ius, & quomodo administrandū. Quod ad cęre monias Baptismi adtinet, etiam inter ipsos non conuenit. De loco baptismi & tempore cōsen tiūt, sicut & in alijs: hoc est per omnia dissenti unt. Breuiter sic tractarūt Baptismū, ut ex malo illo ouo infeliciss. aues Anabaptistę prodierint. Et licet Lutheriani & Zuinglianis & Anaba ptistis ansam insaniendi dederint, tamen Zuin gliani & Anabaptistæ, ab illis condemnantur. Anabaptistę uero ab utrisq; condēnantur. Ego aūt liberè dico, Anabaptistas non male sentire, quando certò constiterit Lutheranos & Zuin glianos non male docere. Mirum autem est eos qui nostrum baptismum calumniantur, quo ta men ipsi Baptizati sunt, nō reiterare baptismū, ut toti fierent Anabaptistæ. Profecto, si quis me audierit, & Catholicum Baptistam habere po terit, non sinet liberos suos à Zuinglianis bapti

Aduersarij nō consentiūt de Baptis.

1.Cor. 6. zari. Cæterũ hoc tantum uos admoneo, ut per-
Heb. 10. petuo ob oculos habeatis ueſtrũ Baptiſmum,
in quo & à peccatis abluti, & donis Dei dotati
eſtis, & in quo Deus ſe uobis, & uos Deo conſe-
craſtis. Nam quid aliud eſt baptiſmus (ut recte
quidam ſcribit) quã fœdus Dei cum homine,
1.Pet.3. & hominis cum deo? Nam quatenus homo Sa-
tanæ, & mundi glorię, pompiſq; abrenunciat, et
ſe uero deo aſtringit, ad mortificãdum per om-
nem uitam membra peccati, eſt fœdus hominis
Auguſti- cum Deo. Rurſum, quatenus ſi Deus uiciſſim
nus in Io. homini aſtringit, quod peccata illi remittat,
Trac. 80 quod propter filium illum in ſortẽ filij recipiat,
& ſpiritum ſanctum donet, fœdus de icũ homi-
ne dici poteſt. Sed hæc (ceu diximus) alio loco
& tempore, tractabuntur à nobis, ſi Dominus
dederit copioſius. Iam q̃d ſupereſt, expediemus.

Et ecce ego uobiſcum ſum, omnibus diebus, uſq; ad cõſummationẽ ſeculi.

Dominus Eccleſiæ ſuæ nunq̃ deerit. Diligenter excuſſit hæc Theophylactus. Quo-
niam enim Dominus diſcipulos ſuos amanda-
bat prædicatum omnibus gentibus, ne illi de-
ſperarent, ac deſpõderent animos, rurſus animat
& confirmat eos, promittens ſe futurum cum
eis uſq; ad conſummationem ſæculi. Secundo
nemo putet, hęc ſolis Apoſtolis dicta, nam illo-
rum perſonæ (ut loquuntur) non perdurabunt
uſq; ad conſummationem ſæculi. Quod igitur
illis hic dictum eſt, toti Eccleſiæ dictum eſt, nam
illam

illam Christus nunq̃ deseret. Et hæc quidē sententia nobis multum preciosa esse debet. Si enim perpetuo cum Ecclesia sua (cuius nos filij sumus) Christus se futurum pollicetur, quid ergo mentiuntur Hæretici iam ab aliquot annorum centenarijs Ecclesiam nostram Catholicā errasse? Sed hac de re alias, quando nobis licebit priuilegia Ecclesiæ sufficienter, & pro merito tractare. Iam ergo nihil superest, nisi ut rogemus Dominum, quatenus nobis perpetuo adesse uelit, Quod utinam nobis contingat &c. Amen.

IN FESTO PHILIPPI, ET Iacobi. Iohan. 14.



IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Non turbetur cor uestrum, neq̃ formidet. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multę sunt. Si quo minus, dixissem uobis quia uado parare uobis locum. Et si abiero, & preparauero uo-

ro uobis locum, iterum uenio, & accipiam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego & uos sitis, & quo ego uado scitis, & uiam scitis. Dicit ei Thomas, Domine nescimus q̃ uadis, & quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrẽ meum, utiq; cognouissetis. Et amodo cognoscetis eum, & uidistis eum. Dicit ei Philippus. Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus. Tãto tempore uobiscum sum, & nõ cognouistis me? Philippe qui uidet me, uidet patrem, & quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor, Pater autem in me manẽs, ipse facit opera.

Non

Non creditis quia ego in patre, & pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado. Et quodcunq; petieritis patrem, in nomine meo, hoc faciam.

EXPOSITIO.

ERigenda est nobis, sicut recte D. Augustinus admonet, ad Deum maior intentio, ut uerba sancti Euangelij, quæ modo sonuerunt in auribus nostris, etiam mẽte capere possimus. Si enim uerba illa nõ potuerunt intelligi ab ipsis Apostolis, qui Dominum ipsum loquentem audierunt, satis conijcimus uerba illa Domini non quibuslibet esse aperta. Profecto in hoc Euangelio tractantur summa fidei nostræ mysteria, & talia, quæ nec Iudæi, nec Gẽtiles capere possunt. Imo nec Christiani ipsi res ipsas ut sunt per omnia intelligunt, sed fide ut cunq; intelligunt atq; apprehendunt. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte Prophetamus, 1. Cor. 13.

Sed

Sed omissa longiori præfatione, ad contextum ipsum explicandum accingamur. **Non turbetur cor uestrum.** Hęc uerba locutus fuit Dominus in nouissima cœna illa, post lotiõem pedum, post institutionem Eucharistiæ, & postq̃ Iudas iam exierat ad tradẽdum Dñm suum. Quæ uero causa turbationis in Discipulis? Dixerat Dñs, Amen amẽ dico uobis, quia unus ex uobis tradet me. Et iterum. Quo ego uado, uos non potestis uenire. Et ad Petrũ qui inter Apostolos pręcipuus fuerat, Amẽ amen, inquit, dico tibi, nõ cantabit Gallus, donec ter me neges. Cũ igitur hæc sic prædiceret Christus, & his magnitudinẽ periculorũ quasi adũbraret, turbati sunt Apostoli, & forte sic secum cogitarunt, Qualis quantaq̃ tentatio hęc futura est, qua Petrus, tantus & tam insignis uir adeo quatietur, ut in brevissimo tempore, ter sit negaturus Dñm & Magistrũ suum? Quomodo ergo nos minores euademus? aut quia feret, Petro succumbente? Frustra igitur tot sequendo labores pertulimus: in detrimentum exeunt sudores nostri, quos uitã nobis allaturos sperauimus. Huic igitur turbationi incipit Christus mederi dicendo. Non turbetur cor uestrum: nolite desponderе animos, neq̃ absorbeat uos tristicia Et addit.

Ioan. 13.

Quare Apostoli turbati.

Creditis in Deum, & in me credite. Vt uerba Dñi facile intelligatis, rem sic exponã. Apostoli audientes Christũ in mortẽ tradendũ.

ab

ab uno discipu'orũ ipsius,& audierunt se ab illo fugituros: hinc ergo turbãtur & suo ipsorũ nomine,& etiã ꝓpter Christũ. Timebant em̃ hanc mortẽ omnino in perniciem Dñi cessuram,siccꝫ Christum omnia,quæ hactenus egerat, frustra egisse. Timebãt etiã sibi ipsis, ne scilicet suę fugę aliqñ magnas daturi essent pœnas. Porro Christus Iesus,ut ipsos consolaretur, ac tantã turbationem animis ipsorũ eximeret, ostendit hanc suã passionẽ,sibi nihil nociturã: similiter & fugã Discipulorũ nõ fore ipsis admodũ pernicioſam. Igitur ꝙd ad me attinet,nõ est cur multũ lugeatis,mihi enim passio hęc quæ mihi imminet gra uiss.& mors turpiss. non nocebunt. Creditis in deũ,& in me credite. Creditis deũ nõ posse uinci à quocꝫ,tantũ persuadete etiã uobis de me. Nã licet uerè homo sim, & ut homo patiar ac moriar,tamen nihilominus etiã Deus sum. Mortẽ metuitis huic formæ serui, inquit Augustinus, nõ turbetur cor uestrũ,suscitabit illã forma dei. Potestatẽ habeo ponẽdi animã meã, ait alibi,& iterũ sumẽdi eã. Et, Venit princeps huius mũdi, & in me non habet quicꝫ. Nihil ergo est, cur Christi causa Apostoli plurimũ tristẽtur. Quod uero ad ipsos Apostolos attinet,statim subdit.

Christus Deus.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

In domo patris mei, mansiones multæ sunt. Hoc est, ne putetis quod uos negaturus sim,& solus in cœlo mansurus. Non mihi soli paratus est locus, sed mansiones

multæ

multæ sunt in domo patris mei: non una mansio, mihi uni: sed multæ mansiones uobis multis. Puto hoc CHRISTVM uelle quod alibi dicit. Vos estis qui permãsistis mecum in tẽ-
Luce. 22. tationibus meis, & ego dispono uobis Regnũ, sicut dispossuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam &c. Igitur cũ Dominus hic dicit, Multas esse mansiones in Regno cœlorũ, capacitatẽ cœli ostendit, quod
Heb. 2. cœlum nõ uni Christo præparatum est, sed omnibus ipsius cõmembris & cõfratribus. Decebat enim eum per quem omnia, ut multos filios secum adduceret in gloriam. Cęterum hęc multitudo mansionum, ut pie admonet Cyrillus, differentiam quoq; gloriæ significat: omnes enim uitæ suæ congruentem honorẽ suscipient.
Mansionum multitudo. Nullus alienabitur ab illa domo, ait D. Augustinus, ubi mansionẽ pro suo quisq; accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est om-
Math. 20 nibus, quem Pater familias eis qui operati sunt in uinea, iubet dari omnibus, non in eo discrepans qui minus & qui amplius laborarunt: quo utiq; denario uita designatur æterna, ubi amplius alio nemo uiuit, quoniam uiuendi non est diuersa in æternitate mensura: sed multæ mansiones diuersas meritorum in uita æterna significãt dignitates. Alia enim gloria solis, alia glo-
1. Cor. 15 ria Lunæ, alia gloria stellarũ: Stella enim à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorũ. Quia enim in hac uita nobis est discretio operũ,

erit

erit in illa proculdubio discretio dignitatum: ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. In tam multis uero mansionibus, tanta uis amoris nos sociat, ut quod in se quisq; non ceperit, hoc se accepisse in alio exulter, quia tantum sibi, quantum percerit sufficit. Sed hæc hactenus & quidem prolixius quam ipse statueram. Si quo minus, dixissem uobis. Quia uado parere uobis locum. Si non essent multæ mansiones in domo patris mei, tam chari mihi estis, ut nihil eorũ uos cœlassem. Mansiones itaq; multorum hominum capaces sunt: Quæ ut etiam uobis pateant, uado iam uobis parare locum. Rem exemplis explicabo. In ciuitate multæ mãsiones sunt, sed non omnibus ex æquo paratæ. Domus tua ampla est, & multorum hominum capax, uerum mihi non licebit ideo intrare, nisi & mihi hæc paretur. Igitur patria cœlestis iam à constitutione mundi parata fuerat hominibus: uerum quoniam homines se illa indignos fecerunt, modus inueniendus erat, per quẽ nobis daretur introitus ad illas sedes. Modum hunc inuenit Christus, satis faciens scilicet pro nobis, abluens peccata nostra, & donans liberaliter dona sua: Moriente etenim Christo uelum templi scissum est, ut iam nobis liceat, ingredi in sancta sanctorum. Videtur mihi Paulus hoc mysterium nõ admodum obscure pau-

Gregorius Moralia. lib. 4. cap. 42. & lib. 35 cap. 24.

Mansiones parãdæ.

Ed ciss, uers

Rom. 8. ciſſ. uerbis expreſſiſſe, in hunc uidelicet modum. Quos prædeſtinauit, hos & uocauit, et quos uocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Sed hæc ſuffecerint.

Et ſi abiero, & pręparauero uobis locũ, iterũ uenio, & accipio uos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & uos ſitis.

Quod ſupra dixerat. Creditis in deum, & in me credite, &, In domo patris mei, manſiones multæ ſunt: hoc iam clarius exprimit. Quoniam enim Ieſus Chriſtus Dei filius certo nouit ſe rediturũ ad ſuos, ſatis declarat ſe nihil incommodi ex paſſione illa accepturum. Quod uero polliceatur ſe uenturum, & Apoſtolos ad ſe ipſum ſuſcepturum, argumento eſt, quod ipſos ſtatim uelit in gratiam recipere. Senſus itaque eſt. Ego iam uadam in poteſtatem impiorum, crucifigar, & moriar, meaq; paſſione & morte tantum efficiam, ut uos ſitis hæreditaturi uitam æternã. Verum ſtatim à morte reſurgam, iterumq; ad uos ueniam, eritiſq; apud me eo loco, quo prius fuiſtis, faciamque uos omniũ bonorum meorum participes. Et addit. **Et quo ego uado ſcitis, & uiam ſcitis.** Verum eſt, ſciebant Apoſtoli quo iturus erat Dominus. Audierant
Luc. 18. enim. Vnus ex uobis me tradet. Et ſepiſſ. illud et ſimilia. Filius hominis tradet principibus ſacerdo-

cerdotum & scribis, & condemnabunt eũ morte: & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum, & tertia die resurget. Dicit ei Thomas. Domine, nescimus quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? Sæpius audierant hoc discipuli, ceu diximus, sed intelligere nolebant. Non enim putabant unq̃ fore, ut filius Dei permitteretur furori impiorũ, & ideo quicquid dicebatur de passione Domini, putabant longe aliter intelligendum esse, quam uerba ipsa significare uidebantur. Et forte, putabant, nulla præparatione opus esse ad parandos mansiones illas cęlestes, cũ q̃ operabona oĩbus pateret ad regna cęlorũ ingressus. Nã omnio uidebat Iudęis ridiculũ, neminẽ posse salutẽ conseq̃, nisi crederet lesum esse Dei filiũ. Et hoc est quod pręcipue Dius Paulus in Romanis & Galatis urget, multos quidem saluatos fuisse sine obseruatione legis Mosaicę, neminẽ aũt posse saluari nisi credat in Chrm. Nemo em̃ redimit̃, nisi agnoscat se redemptũ, non corruptibilibus auro & argento, sed pręcioso sanguie, agni imaculati Dñi nostri Iesu Chri. Sed q̃ sequunt̃ sẽtẽtiã nostrã stabiliẽt. Dicit ei Iesus, Ego sũ uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrẽ, nisi p me. Quod Dñs se uiã uocat, qua ratiõe fecerit, statim explanauit dicens, Nemo uenit ad patrem nisi

Iudæi putabant se posse per legem saluari.

1.Pe.1. *Christus uia.*

Ioa. 10. per me, hoc est, nemo uenit ad cælestes illas mansiones, nisi per Christum, hic est enim ostium:
Lu. 10. Per me si quis introierit, saluabitur. Et in actis
Heb. 7. Apostolorum legimus, non esse aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Homo ille descedens ab Hierusalem in Hiericho, & à latronibus uulneratus, & spoliatus, neque à sacerdote, neq; à leuita, sed à solo illo Samaritano curari potuit. Nihil ad perfectũ adduxit
Rom. 8. lex. Et quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem:
Heb. 10. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato peccatum damnauit in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundũ spiritum. Impossibile enim est, sanguine taurorum, & hircorum
Psal. 39. auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi &c. Nemo itaq; uenit ad patrem, nisi per Christum, siue per meritum Christi, qui non solum nobis uitam meruit, sed etiam nos illa dignos fecit, non solum nos redimens, sed
Colos. 1. etiam sanctificans sanguine suo. Dignos fecit nos teste Paulo, in partem sortis sanctorum in lumine: eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ &c. Cæterum quod Christus se dicit ueritatem, & uitam, ad ea referri debet, que in superioribus
Veritas. dicta sunt. Quæ Christus dixerat de morte & resurrectione, & de parandis cęlestibus mansionibus,

nibus, uidebantur Apostolis non consistentia, ergo iam dicit se esse, ueritatem, ut arguat se nec mentiri, nec fallere posse, siue nos intelligamus, siue minus. Vocat se item uitam, ut arguat se posse & se ipsum, & suos discipulos à morte præseruare, uel mortuos ad uitam reuocare. Chrysostomus non abhorret à nostra interpretatione, cum dicit. Ego sum uia, hoc est, quia ad me uenietis. Veritas, quia sine dubio hęc erunt, nec in me mendacium est. Vita, quia nec ipsa mors prohibere poterit, ne ad me ueniatis, *Vita.*

Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis: & nunc cognoscetis eum, & uidistis eum.

Verũ est, qui, ut oportet cognoscit Iesum Christum, non ut Mariæ Deiparæ filium, sed ut filium Dei, *ille etiam cognoscit Deum Patrem. Nec potest fieri, ut quis cognoscat Deum patrem, nisi cognoscat & Deum filium. Hinc est* quod alibi Christus ad Iudæos dicit, Opera quę dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimoniũ perhibent de me, quia pater misit me. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me, nec uocem eius unquam audistis, nec speciem eius uidistis, & uerbum eius non habetis in uobis manens, quia quem misit ille, huic nos non creditis. Et rursum ad eosdem. Nec me scitis, inquit, nec patrẽ meũ, si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. *Io. 8.* *Io. 8.*

An Iudæi cognouerint Christum.

Et in eodem loco. Et pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis: Quia Deus noster est, & non cognouistis eum &c. Quærat aliquis quomodo Iudæi non cognouerunt, quem tamen quotidie inuocauerunt, & à quo se legem accepisse certo persuasum habuerunt? Responsio facilis, & in promptu est, Iudæi cognouerunt Deum, ut creatorẽ cæli & terræ, & ut legislatorem, sed non ut patrem domini nostri Iesu Christi. Iam qui negat filium, etiam negat patrem. Et qui negat patrem, eo ipso etiam negat filium. Pater enim filij pater est, & filius patris filius est. Sic qui Christum Iesum non habet pro unigenito, & coeterno Dei filio, ipsum non recte nouit. Recte ergo dixit Iesus. Si cognouissetis me, & patrem meũ cognosceretis. Quod uero addit. Et nunc cognoscitis eum, & uidistis eum, hoc est credidistis in eum. Nam semel atque iterum antea confessi fuerant, Christum esse Dei uiuentis filium. Et hæc cognitio, siue hæc fides post acceptum spiritum sanctum, magis ac magis in Apostolis aucta est. Videamus itaque quod reliquum est. Dicit ei Philippus. Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Philippus hic, in multis Euangelij locis, nobis depingitur admodum rudis rerum diuinarum. Putat hoc in loco Deum patrem ita posse conspici oculis carnalibus, sicut conspiciebatur Iesus Christus in assum-

in assumpto humano corpore. Atqui filius dei, quatenus Deus est, oculis carnis uideri nō potest, sed credi potest. Sic & Deus pater cū sit spiritus, & inhabitet lucem inaccessibilem, atq; non minus sit inuisibilis quā immortalis, in sua substātia uideri nō potest. Deū nemo uidit unquā, inquit Ioannes. Et Deus ipse loquitur. Nō uidebit me homo, & uiuet. Deū enim uidere, non est huius, sed futuri seculi: Audiamus itaq; quid ad hanc petitionem Philippi respondeat Iesus.

Ioan. 4.
1. Tim. 6
Ioan. 1.

Dicit ei Iesus. Tanto tempore uobiscum sum & non cognouistis me? Philippe. Qui uidet me, uidet & patrem meum.

Verum est, sicut & supra diximus, qui uidet Christum Dei filium, quatenus sciri potest Deus est, patrem Christi etiam uidet. Atqui Apostoli uiderunt Iesum Christum Dei filium, sed quatenus homo est, & quatenus humanis oculis uideri potest. Humanitatem uiderunt, diuinitatem, quæ carnalibus oculis uideri non potest, non uiderunt, Profecto ex hoc loco satis intelligimus Apostolos ipsos, etiam dum maxime uidentur credere Iesum esse filium Dei, non tamen tam perfecte credidisse, atque intellexisse mysterium illud maximum, quomodo scilicet Iesus Christus ab æterno Dei filius existens, in postremis temporibus sic ad nos descenderit, ut

Apostolorum fides imperfecta.

Ioan.3. tamen patris dexteram non reliquerit. Nemo ascendit in cœlum, ait alibi, nisi qui descendit, filius hominis qui est in cœlo. Sed quoniam hæc captum simplicium excedunt, ad alia properandum nobis uidetur. Obseruãda hæc domini obiurgatio, qua obiurgat Apostolos suos, quod in tam longo tempore tam parum profecerint. Quid si etiam nobis simile quid dicet. Tanto tempore Christianum nomen uobis uẽdicastis, sacramentis Ecclesiæ usi fuistis, & uerbum Dei audistis, & nondum nostis, quid cui credendum sit? An putatis Ecclesiam hactenus nescio ubi delituisse, & tandem post aliquot annorum centenarios opera, Nouorum Prophetarum in lucem reuocatam? Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis, quia ego in patre &c. Quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Ac si diceret. Putas tu Deum patrem meum cœlestem, oculis carnis conspici posse? Non credis quia ego in patre & pater in me est? Non dicit Christus. Non uides Philippe, sed non credis, quia ego in patre, et pater in me est. Credi enim potest, oculis uideri non potest, quomodo uerum sit quod Christus alibi dicit. Ego & pater unum sumus. Et tamen non minus uerum sit, quod idem dicit. Pater maior me est. Nemo uidet quomodo Christus homo sit, & tamen ad Dexteram patris sedeat, Et nemo uidet. Quomodo Deus cœlum nõ reliquerit,

liquerit, & tamen ad nos descenderit. Vnde ergo agnoscimus Christum esse Dei filium? Et uultu & habitu cognosci non potest, quoniam in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus, ut homo. Ex uerbis itaquæ & factis suis cognoscitur. Sunt quidem multa alia testimonia, quibus probatur Christum esse Deum, ut Prophetarū uaticinia, Dei patris de cœlo testimonium, transfiguratio illa in monte. Sed facta & uerba Christi satis arguunt, quid de ipso sentiendum sit. Vnde etiam addit.

Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor, pater autem in me manens, ipse facit opera.

Vides, quod Christus nō iubet se agnosci à lineamētis corporis, sed à uerbis & factis, qua de re sæpissime in multis locis agit. Verba ipsius sunt spiritus & uita. Et opera ipsius talia sunt, qualia nullus alius facere potest. Nemo potest hęc signa facere quę tu facis: ait alibi Nicodemo ad Iesum, Et Christus ipse. Si nō uenissem, & locutus eis fuissem, peccatū nō haberent. Et deinde. Si opera nō fecissem in eis, quę nemo alius fecit, peccatū nō haberēt. Et alibi. Opera quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, testimonium perhibent de me. Et rursum. A me facio nihil: & sicut docuit me pater, ita loquor. Sed quid opus multis testimoniis? Vnde intelligimus Deum esse, quem nunc̄ uidimus, nisi ex uerbis & fa-

Ioan. 5. *Ioan. 15.* *Ioan. 5.* *Ioan. 8.*

&is suis. Sed ad reliqua. Amẽ dico uobis, qui credit in me &c. Et hoc magnũ argumẽtum est, Christum esse Deum, Deiq; uiuentis filiũ, quod scilicet nõ ipse solus tanta opera facere potest, sed etiam tantam potestatẽ, operandi paria & etiã maiori miracula, alijs in ipsum credẽtibus dare potest. Sed expendẽda sunt aliquãtulum hæc dñi uerba. Dicit enim. Qui credit in me, opera quę ego facio & ipse faciet. Qualis est hæc fides, cuius hic Christus meminit? An ne fides miraculorum tantũ? Ergo boni Apli duplicem, aut potius triplicem habebũt fidẽ, fidem historicã qua credũt uera esse quę dicunt. Et fidẽ miraculorũ, qua credũt se posse operari miracula, & fidẽ in promissiones dei. Alij uero qui tãtum operãtur miracula, simplicem aut duplicẽ habent fidẽ. Sed ubi tot fides in scripturis? Nos unam fidem nouimus, sicut & unum Deum. Et Deus quidẽ se ipso maior fieri nequit. Fides uero suos auctus & sua incrementa habet: qua de re etiã alibi diximus. Obseruandũ & hoc quod Christus dicit se daturũ nobis, quæ nos patrem in nomine ipsius rogauerimus. Quid igitur? An non habet pater quod det nobis, ut necesse sit filiũ uices ipsius supplere? Non: Sed ideo eo loquendi modo utitur, ut intelligamus summã esse equalitatem inter patrem, & filiũ. Nam alibi dicit. Si quid petieritis patrẽ in nomine meo dabit uobis. Rogemus itaq; patrẽ cælestem, ut

Fides una

propter

propter Christum filium suum dilectum, benigne nos de cœlo respiciat, fidem in nobis augeat, spem consolidet, charitatem in ipsum & proximum nostrũ magis ac magis accendat, ut post absolutam huius uitæ periodum ad cœlestes illas mansiones transferamur, prestante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA QVASI modo geniti. Ioan. 20.



N illo tempore: Cũ sero esset die illo una sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli cõgregati propter metum Iudæorũ, uenit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax uobis. Et cũ hæc dixisset, ostẽdit eis manus, & latꝰ, gauisi sunt ergo discipuli, uiso Dño. Dixit ergo eis Iesꝰ iterũ, Pax uobis. Sicut misit me patꝰ, & ego mitto uos. Hæc

cum

cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum: Quorū remiseritis peccata, remituntur eis, & quorū retinueritis, retenta sunt. Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicit Didymus, nō erat cum eis, quādo uenit Iesus. Dixerunt ergo alij discipuli: Vidimus dominum. Ille aūt dixit eis: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittem manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterū erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis, uenit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorū, & Dixit eis: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, uide manus meas, & affer manum tuā & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit

ei, Do-

ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti, beati qui non uiderunt, & crediderunt.

EXPOSITIO.

LEctio Euangelica quæ iam auribus nostris insonuit, continet grande miraculum: neq; enim contemnendum miraculum est, quod Dominus noster Iesus Christus in carne uera intrauerit ad discipulos per ostia clausa: sed mirari desines, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam Dei, no ad infirmitatem hominis. Ille per clausas ianuas uiuus intrauit, qui nascendo integritatem uirginis matris non uiolauit. Si eius facti rationem quæris à me, non erit miraculum, Si me quæris exemplum, non erit illud singulare. Sunt & alia Christi facta, quæ credere cogeris, sed horum causam & rationem dare non possis. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est, Christus qui carnem suam potuit de clauso sepulchro producere, nõ potuit clausis ianuis ad Discipulos intrare? Quãdo de operibus Dei loquendum est, credamus uera

Eze. 44.

Lu. 1. & 18.

Math. 28

uera esse, quę scriptura uera esse dicit, etiamsi facti causa, uel modus nobis non certo constet. In
Math. 14 trauit Christus per clausa ostia, qui etiam ante passionẽ pedibus super aquas ambulauit. Quid? An maioris uirtutis signum est, posse clausis ianuis ad Discipulos intrare, ꝙ posse demonem superare? Scilicet, qui ab inferno & morte detineri non potuit, ligno aliquo aut lapide excludi potuit. An non maius miraculum est corpus habere incorruptibile, & tñ palpabile, quam per clausas intrare ianuas? Verũ hæc omnia non cogitant, Zuingliani, qui cum uident hinc magnũ argumentũ sumi pro ueritate corporis Christi, in Eucharistia, malunt Euangelium negare, quã uictori manus dare. Sed aiunt, in textu non haberi, quod Iesus per Ianuas clausas intrauerit, sed tantum Ianuas siue fores fuisse clausas, nec additum, quod per clausas intrauerit, unde potius colligendum, Christum per inuisibiliter apertas, quam per clausas intrasse. Egregie scilicet. Inuisibiliter aperire potuit, sed per non apertas ingredi non potuit. Sed quid hæc tam multis? Quotquot ego legi Latinos & Græcos, interpretantur uno ore & uno sensu Christum per Ianuas clausas intrasse ad discipulo. Sed uideamus quæ ad Discipulos suos dixerit Christus.

Contra Zuinglianos.

Venit Iesus, & stetit in medio eorum & dixit eis, Pax uobis. Et cum hoc dixisset,

dixisset, ostendit eis manus & pedes.

Hęc D. Lucas apertius cõscripsit, dicens, Christum ad Discipulos suos dixisse, Videte manus meas, & pedes meos: quia spiritus carnẽ & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Stat autẽ in medio discipulorũ ut ab omnibus & per omnia uideri queat. Impręcatione pacis, quid morte sua nobis fuerit cõmeritus, innuere uoluit. Ipse enim est pax nostra, qui nos reconciliauit Deo. Luc. 24. Ephe. 2.

Gauisi sunt ergo discipuli, uiso Dño.

Hic impletur quod ante passionem suam ad eos dixerat. Vos quidem nunc tristitiam habetis, iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrũ, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Nec mirum est Apostolos plurimum gloriari de præsentia Christi, qui de ipsius absentia tam ualde fuerant contristati. Et certe nulla maior lætitia hominibus uere pijs contingere potest, quam dum aliquando serio cogitãt, quod Christus mortuus fuerit propter delicta nostra, & resurrexerit propter iustificationem nostram. Ioan. 16. Rom. 4.

Dixit ergo eis iterum, Pax uobis. Sicut misit me pater, & ego mitto uos.

Bis dicit Pax uobis, quia duplice pace opus habemus, tum ut non offendamus Dominum, tum etiam ut non offendamus proximum. Sed hæc leuia sunt, quando uero sequuntur maiori examinatione opus habens. Pax duplex.

Christus

Christus em̃ his uerbis ordinauerit Apostolos orbis doctores, & diuinorum mysteriorum, ut Cyrillus ait, ministros Christus à Deo patre in hunc mundum missus fuerat, ut nos de uoluntate patris ipsius certos faceret, atq; tandem se pro nostra omniumq; salute in mortem traderet. Ascensurus itaq; in cœlum, Apostolis suis id in mandatis dedit, inquiens, Sicut misit me
Math. 28. pater, ita & ego mitto uos. Mathæus hanc rem sic descripsit, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ
Mar. 16. cunq; mandaui uobis. Marcus sic, Eũtes in mũdum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit, et Baptizatus fuerit, sal
Luc. 24. uus erit. Lucas uero sic. Tunc apperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in omnes gentes,
Actu. 1. incipientes à Ierosolyma. In Apostolorum actis sic describit. Eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudæa & Samaria & usq; ad ultimũ terræ. Sic Apostolus in Ephesijs dicit Dominũ
Ephe. 4. dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Eius rei etiam meminit

in Co-

in Corinthijs dicēs. Deus erat in Christo, mun-
dum reconcilians sibi: non reputas illis delicta 2. Cor. 5.
ipsorum, & posuit in nobis uerbū reconciliatio-
nis. Pro Christo ergo legatiōe fungimur, tan-
Deo exhortante per nos. Iam uidendū est quo-
modo Apostoli hoc officio usi fuerint. Nam fa
cilius ex illorum operibus intelligemus quod
nam illorum fuerit officium, quam ex uerbis
Christi, quæ sicut breuia, ita & obscura sunt. Pri
mo quidem non dubitamus Apostolos omnia
fecisse ex mandato domini nihilq; propria libi-
dine. Iam Marcus dicit, quod profecti prædica- Mar. 16.
uerint ubiq; Domino cooperante, & sermonē
confirmante sequentibus signis: qua de re nul-
la est cōtrouersia. Nec de eo iam dicemus, quod Ioan. 12.
Diuus Petrus singulariter curam totius orbis
in se suscipere à Domino iussus est: sed de eo tan-
tum quod uidemus Apostolos Christi fecisse,
unde & quibus illorum officium, & autoritatē
metimur. Apostolos uiua uoce prædicasse, po-
pulos Baptizasse, miracula, si quando tempus
postulabat, operatos fuisse, nusq; non testantur
sacræ literæ. Sed sunt etiam alia quæ licet in ex-
pressis mandatis non legamus, tamen contra
uoluntatem domini ipsos nihil egisse, certo cre-
dimus. Clarissimis uerbis, quid uelim, explicare
conabor. Apostoli acceperunt à Christo in mā
datis, ut docerent omnes gentes, ac Baptizarēt
eos: hoc est, ut uerbum dei ac sacramenta omni-
bus gentibus administrarent, siue ut breuissimis

Apostolorum munus curare rē Ecclesiæ.

& uerbo dicam, ut Ecclesiā pascerent, regerent, ædificarent. Ergo Apostolorum est omnia curare quę ad Ecclesię ædificationē uel aliquo modo spectare uidentur. Inde igitur Apostoli non solum uiua uoce docuerunt, sed etiā scripto, fideles scilicet cōfirmando, & infideles ad fidē Christianam inuitando. Iam quod ad Sacramētorū usum & fructū adtinet, magis illud uiua uoce, quā scriptis tradiderunt, nolentes uidelicet sanctū dare canibus, aut proīcere ante porcos margaritas. Item si quæ alia erant necessaria ad ædificationem Ecclesiæ, uel si non necessaria, sed tamen cōmoda, & hæc ipsi instituebant. Tale est uidere in Corinthijs Pauli de uelādis mulieribus in Templo. Eius etiā generis est quod Apostoli in Actis, et Paulus subinde in Epistolis modū et formā præscribunt distribuendi Eleemosynas. Multa enim eius generis Apostolos instituisse, inde conijcimus, quod multis in locis de traditionibus eorū, quas uiua uoce præscripserunt legimus. In actis legimus quod D. Paulus perābulauerit Syriā & Ciciliā, cōfirmans Ecclesias, præcipiēs custodire præcepta Apostolorū & seniorū. Et in altera ad Thessalonicē scribit Itaq; fratres state, & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonē, siue p Epistolā nostrā Superest ut de potestate Apōrum etiā dicā. Quis nō cū tremore etiā legit quā seuere animaduerterit D. Petrus in Ananiam & Saphyrā? Et D. Paulus aliquos tradidit Satanæ in interitū carnis.

Mat.7.

1.Cor.11.

Acto.15.

2.Thes.2

1.Cor.15.

2.Tim.1

Quanta

Quanta grauitate Corinthiacũ fornicariũ excommunicauerit, notius est quam ut multa demonstratione opus habeat. Cæterũ quoniã Apostolici officij fuerat nõ solũ plãtare bona, sed etiã eradicare mala, si qñ incideratquæstio quædam de ijs quę ad Religionem pertinebant, ipsi Apostoli conuocabant concilium, & quid de quæstione proposita sentiendũ esset, edicebant. Hoc in primo cõcilio Hierosolymis celebrato uidere licet. Postremo quoniã & ipsi Apostoli nõ sufficiebant omnibus negocijs obeundis, essentq; & ipsi mortales, ne post eorũ discessũ Ecclesia pastoribus destitueret, sicut ipsi electi fuerãt à Christo seruatore nostro, ita et ipsi elegerũt alios, postatemq; à Christo acceptã in successores suos deriuarũt. Sic statim post Dñi ascensionẽ eligit Mathias. Postea Barnabas, Sylas, Timotheus, Titus et alij. Ita Paulo timotheo & Tito præcipit ut & ipsi etiã alios alijs Ecclesijs pficiant, & pro sua autoritate illis duobus prescribit eligẽdi modum. Ex hijs ergo uidemus quousq; sese extendat potestas siue officiũ Apostolorũ, etiã si expressis uerbis hęc à Chro præcepta et sancita nõ legamus. Verũ quoniã Chris Iesus Apłis dixit. Sicut misit me uiuẽs pater, ita & ego mitto uos, satis intelligimus ipsum Apłis uniuersã Ecclesię curã demãdasse. Videãt ergo quõ se excusabũt corã Deo qui nostris tẽporibus omnia in Ecclesia confundunt, sacra prophanis, & prophana sacris cõmiscentes. Sed uideamus quæ sequunt.

Act. 15.

Act. 1.

Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. In Euangelio Mathæi, post demandatam docendi & Baptizandi potestatē, ad Apostolos dicit, Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi, Marcus testatur Dominum cooperari discipulis. Apud Lucæ Euangelium legimus. Ego mittam promissum patris mei in uos: uos autē sedete in ciuitate, quoadusq; induamini uirtute exalto. In actis uero sic. Accipietis uirtutē superuenientis spiritus sancti in uos, & eritis mihi testes. Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, ait alibi Christus, docebit uos omnem ueritatem. Audi quam diligenter Apostolis polliceatur spiritum sanctum. Quis enim tam arduum officium, quale est Apostolatus, sine singulari gratia spiritus sancti perficere posset? Certe quicquid in hoc officio agunt Apostoli, & Apostolici uiri ad ædificationem Ecclesie, hoc debemus spiritu sancto. Hic est enim patronus, & paracletus Ecclesiæ: & inde Sacramenta Ecclesiæ uirtutē non habent à dignitate ministri, sed omnia ex Deo. Baptizat Petrus, baptizat Iudas: & qui ab hoc baptizatus est, non minus baptizatus est, quam qui à Petro baptizatus fuit, Non igitur ideo uere baptizatus est, quia fidelis minister est, non quia Petrus iustus te baptizauit,

Io. 16.

sed

sed quia Petrus Apostolus te baptizauit. Spiritus enim sanctus non personæ, sed officio adest unde fit ut per malum ministrum aliquando Deus multa bona operetur. Cæterũ quod hoc in loco de remittendis, & retinendis peccatis dicitur, prolixiorem postulat disputationem, quã ut hoc tempore expediri possit. Qui hanc promissionem, aut potius potestatem ad solum baptismum, et prædicationem uerbi dei torquent, indigni sunt quibus cum uir bonus contendat. Exemplum Pauli in Corinthijs, ubi excommunicat fornicarium, & deinde pœnitenti peccatũ remittit, satis probat longe alium usum esse clauium Ecclesiæ, quam Aduersarij nostri iam existiment. Pertinet etiam adhunc locum disputatio de confessione sacramentali: sed nec de ipsa iam possumus tractare: ad sequẽtia igitur uidete.

Thomas unus de duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis &c. *An Thomas ex pers spiritus sancti*

Ergo quis putabit Thomam eo tempore nec uidisse Christum, nec accepisse spiritum sanctũ, nec Apostoli muneris autoritatem accepisse. Sed non ita est. Christum quidem non uidit tũ, sed Apostolatus, et spiritus sancti exors nõ fuit. Adferamus quæ super hac re D. Cyrillus scribit, Quomodo igitur (dicet quispiam) si tunc Thomas aberat quãdo Christus sufflans dixit. Accipite spiritum sanctum, spiritus ipse particeps factus est? Dicimus, inquit Cyrillus, uir-

tutē ſpiritus ex intentione dantis Chriſti in omnes Diſcipulos pertranſiſſe: non enim quibuſdā, ſed omnibus diſcipulis dedit. Quare liberalitate dantis, non ſolum præſentes, ſed etiam abſentes Apoſtoli ſpiritum ſanctum acceperunt. Quod autem nō uiolentia, ſed tuta ueraq; ratio iſta ſit, authoritate S. Scripturæ oſtendimus. Iuſſit Deus quondam Moſi, ſeptuaginta ſeniores Iudæorum eligere. Dixit autem de ſpiritu, qui in Moſe ablaturum ſe atq; impoſiturū in illis. Cum uero duo Heldad & Medad de lxx. ſeniorū numero in ſynagoga remanſiſſent, ac ſpiritus omnibus illis ſeptuaginta immiſſus fuiſſet: prophetabant quidem qui erant cum Moſe, prophetabant aūt etiā illi duo qui aberant. Sic etiā D. Thomas, licet abfuerit, non tamen à participatiōe ſpiritus decidit, eum de numero eſſet eorū quibus digne Apoſtolatus officio decoratis ſpiritus debebat. Proinde ſupra dixi, magis officij, quam perſonę rationē habendā eſſe. Non enim eiuſmodi promiſſiones ad ſolas perſonas pertinent: hoc em̄ ſi eſſet, iam olim nullū haberemus ſacerdotiū. Verū quādiu ſacerdotiū ſtabit in Eccleſia, tam diu etiā firmæ erunt promiſſiones illi factæ. Dixerat Dñs. Ecce ego uobiſcū ſum omnibus diebus uſq; ad conſumationē ſeculi: atqui Apoſtoli nō ſuperuixerūt uſq; ad conſumationē ſeculi. Ergo quod illis ꝓmiſſum, etiā ad ſucceſſores illorum pertinet. Quod ſi non eſſet, iā nullū haberemus uerbi miniſteriū, nulla ſacramēta, breuiter nihil eorum quæ ad ædificationem Eccleſię pertinēt.

Num. 11.

Math. 28

Mirũ aũt est quod Aduersarij nostri Episcopis nostris maximã autoritatem tribuunt in rebus pręcipuis & maximis, in minoribus uero eis aut nihil, aut parũ tribuunt. Ego certe puto tantam habuisse potestatẽ Episcopos creatos ab Apostolis, quantã hñ habuerũt, et licuisse Timotheo in sua Ecclesia, quod Paulo uel alij Apostolo in suis ipsorũ Ecclesijs. Verũ hac de re forsan alias copiosius. Quare. n. multa uelim dicere de officio et autoritate Episcoporũ, cũ nomen quidẽ, et dignitatẽ oẽs agnoscant, ab officio aũt ut plurimũ abhorreãt. Ad sequẽtia igit̃ ꝓgrediemur.

Et post dies octo, iterũ erãt discipuli, intus, et Thomas cũ eis. Quæ hic de Diuo Thoma dicunt̃, q̃d ad uerba adtinet, satis clara sunt, Negociũ igit̃ q̃ breuissimis fieri poterit, expediemꝰ. Primo ergo uidemꝰ in Thoma magnã i credulitatẽ, q̃ obcęcatus, nec ꝓpheterarũ uaticinijs, nec Cr̃i prędictionibꝰ, nec Ap̃lis referẽtibus credere uoluit resurrectionẽ dn̄i à mortuis. Imo nec ꝓprijs oculis credere uoluit, nisi q̃d uideret etiã manibꝰ palparet. Quasi scilicet ipsius sensus oculi et manꝰ minꝰ fallere possint, q̃ deꝰ ipse, Sc̃o satis admirabilit̃ loquit̃ Thomas de resurrectiõe Chr̃i, q̃si scilicet Chr̃s à mortuis possit resurgere, ꝓpria uero sui corporis uulnera nõ possit curare. Tertio uidemꝰ hic quã solicitꝰ sit Dn̄s etiã pro unica seruãda ouicula, & admodũ dura & incredula. Venit, & nõ solum aspiciẽ-

dum, sed & palpandum se illi præbet. Quem amicum affectum, si Ecclesiæ pastores erga oues sibi commissas haberent, melius etiam res nostræ haberent. Sed hac de re non post multos dies dicemus. Quarto cogitemus Thomam sua incredulitate, magnum robur fidei nostræ adiecisse, in eo quod facile credere noluit, sed postea re bene cognita, magnam fidei confessionem ædidit dicens. Dominus meus, & Deus meus: Hic enim certo scimus Christum uerum deum, & hominem à mortuis resurrexisse. Quinto & nos beatificamur, qui licet Christum non uidimus, tamen in ipsum certo credimus, ac speramus. Sexto, quod Ioannes scribit, Christū etiam multa alia signa feciſſe, facile credimus, tū quod nihil sciamus Christo esse impossibile, tum etiā quod credamus nihil non feciſſe quod uel aliquo modo ad salutem nostram facere nouerit. Septimo, quod ex his domini signis, ac miraculis satis claresçat ipsum esse filium dei, etiā nobis persuasiſſ. est: & hac de re alibi Christus multo loquitur. Octauo saluandos esse eos qui credunt Iesum esse Christum & filium Dei, non reluctamur, modo non tantum credant, sed etiam quæ iubemur, diligenter perficiant. Cæterum ut tandem finiamus. Primo audiuimus non esse Christiani hominis uelle in opere Dei curiosius inquirere. Secundo, hoc dominum Iesum Christum uelle, ut neq; Deum, neq; proximum offendamus. Tertio Munus miniſtrorū Eccle-

siæ non

siæ non esse contemnendū: utquod Deus ipse instituit, ac uirtute spiritus sui sancti decorauit. Det Dominus ut quæcunq; diximus memori mẽte retineamus, sic enim fiet ut gratia domini adiuuãte, uia potiamur æterna. Quod utinã nobis cõcedat pater, filius, et spiritus sanctus, amẽ.

FERIA QVARTA POST Quasi modo geniti, in leta, nijs. Luce. 11.



IN illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis. Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi. Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille deintus respõdens dicat. Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, et pueri mei mecũ sunt in cubili, non possum surgere

gere, & dare tibi. Et ille si perseuera-
uerit pulsans, dico uobis, & si nõ da-
bit ille surgens eo quod amicus eius
sit, propter improbitatem tamen ei-
us surget, & dabit illi quotquot ha-
bet necessarios. Et dico ego uobis, pe-
tite & dabitur uobis, quærite & in-
uenietis, pulsate & aperietur uobis.
Omnis enim qui petit accipit, & qui
quærit inuenit, & pulsanti aperietur.
Quis autẽ ex uobis patrem petit pa-
nem, nunquid lapidem dabit illi? aut
piscem, nunquid pro pisce serpentẽ
dabit illi? Aut si petierit ouum, nun-
quid porriget illi scorpionem? Si er-
go uos cũ sitis mali, nostis bona da-
ta dare filijs uestris, quanto magis
pater uester cœlestis de cœlo dabit
spiritum bonum petentibus se?

EXPOSITIO.

Quum

QVum scriptura sacra nos toties ad precandum, inuitat, & Christus ipse nobis fratribus, & commembris suis precandi formam præscribat, nemo non intelligit, magnam esse uirtutem piæ precationis, imo & magnum esse Thesaurum Ecclesiæ nostræ orationẽ. Quid enim est precatio, cẽ ardens ad Deum pro amoliendis malis efflagitatio. Iam quum nemo sit, cui perpetuo omnia ex uoto succedant, quæ maior nobis potest esse consolatio, quam cũ scimus, cui nostra incommoda conqueri, & a quo auxiliũ sperare debeamus? Inuenimus in sacris scripturis, tã ueteris quã noui testamenti, omnes Dei fideles amicos, sæpius et serio orasse, & orationibus suis amolitionẽ malorũ, & adiectionẽ bonorũ ab illo impetrasse. De Enoch, Melchisedech, Abrahã, Isaac & Iacob nihil dicã. Sed uenio ad Mosen: quid ille nõ impetrauit precibus à Deo? *Quoties precationibus suis flagella à Pharaone amouerit, Exodi liber certo testatur.* Quoties minatus est Dñs interitũ Israelitis, & ne ipsos perderet, phibitus est precatiõibus Mosis? Venit Amalech, & pugnat contra Israel in Raphidim. Quid fit? Leuante Moyse manus ad Dominũ, uincit Israel, uincit uero Amelech. Fabricauerat populus Israel uitulum quem adoraret, eoq; facto sic offenderat Dominũ ut uellet illos penitus interficere ac delere: hic rursum Moyses intercedit, dicens. Cur Dñe irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra

Luc. 11. *Precatio.*

Exod. 7.

Exo. 17

Aegypti

Aegypti, in fortitudine magna, & in manu ro-
Exo. 32. busta? Ne quæso dicant Aegyptij, callide edu-
xit eos, ut interficeret in montibus, & deleret de
terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super ne
quitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, &
Iacob seruorum tuorum &c. Placatusq; est Do
minus ne facerer malum, quod locutus fuerat
aduersus populum suũ, Rursum quũ Israelitas
tęderet itineris & laboris, & murmurarent con-
tra Dominũ, dicentes Cur eduxisti nos de Ae-
gypto in solitudinẽ? Deest panis, nõ sunt aquæ:
anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissi-
Num. 21. mo. Quũ, inq;, sic murmuraret populus aduer-
sus dominũ, & hic iratus contra illos, immiserat
serpentes ignitos in eos, rursum adest Moses, ac
precationibus suis sedat irã ac furorẽ Domini,
Sed non est necessariũ plura eius generis adduce
re, quum nemo nõ intelligat, quam preciosa res
sit humilis ac pia precatio. Hoc uideo obseruatũ
ab omnibus fidelibus populis, ut si quando in-
telligerẽt se habere Deũ offensum, et ideo flagel
lari, continuo se uerterẽt ad Deũ, precãtes ueniã.
Imo & Gentium populi non ignorauerunt pre-
cationum magnam esse uim: Sed ignorauerunt
quem precarentur. Hæc igitur cum ita se habe-
ant, sciant & Christiani quid se facere oporteat,
si quãdo à Deo se affligi intelligũt. Quod ad ho
mines priuatos adtinet, & priuatas afflictiones,
nolo hic multa uerba facere. Loquamur potius
de cõmunibus calamitatibus, & afflictionibus,

& quo-

& quomodo hijs resistendum, aut potius quomodo amoliendæ. Communes calamitates, cõmunem dolorem, ac communia remedia postulant. Quas calamitates nobis narras? Forte dicitis. Item facis, ac si quis in mari aquam quæreret. Quid boni apud nos est? Quæ rerum omnium facies? quid incolume? quid suo loco? Vt primum de Religione loquar, quæ huius facies? aut potius, quanta illius confusio? Quã multæ sectæ, quam uaria schismata? Quot hæreses? Quot falsa dogmata? Quanta & quam horrenda Sacramentorum Ecclesiæ prophanatio? Tanta est fidei consonantia, ut centesimus quisq; uix de semetipso, quid credat, uel debeat credere, intelligat. Hinc deinde tot odia, tot insectationes, tot calumniæ, tot seditiones, ac tot bella, Sublata sunt omnia Iudicia. Magistratui, præcipue summo nulla exhibetur obedientia, Fertur equis Auriga suis, nec audit currus habenas. Quæ disciplina tam in Ecclesijs, quam in republica: Venio ad alia. Quam uarias experimur quotidie morborum species, quam horribiles & antea inauditas mortes? Dicam & hoc. An non res misera est, in tanta omnium rerum abundantia, tãtam sustinere famem? Promptuaria & cellaria omnia sunt refertissima, unde igitur tanta omnium rerum caritas? Si quis non intelligit illa omnia esse flagella Dei, huius iræ in nos manifestissima exempla, ille certe etiam communi destitutus est sensu.

Calamitates huius seculi.

Odia & dissensiones.

Morborũ nouitas.

Fames.

Quid

Quid igitur faciemus? Quid faciebat populus ueteris Ecclesiæ? Quid faciebat Synagoga, eius modi malis oppressa? Audiamus scripturam
2. Esd. 8. ipsam. Prædicaui, inquit Esdras, ieiunium, ut affligeremur coram Domino deo nostro, & peteremus ab eo uiam rectam nobis & filijs nostris, uniuersæq; substantiæ nostræ. Erubui enim petere à Rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in uia, quia dixeramus Regi. Manus dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum, Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum pro hoc, & euenit nobis prospere. Nolim hæc pluribus explicare: illi quorum interest hæc intelligere, forsan satis intelligunt, quo nomine Esdram adduxerim. Quid fecerunt Niniuitæ gentilis populus, quum audirent
Ioan. 3. sibi à Domino intentari mali? Crediderunt uiri Niniuitæ in Dominum: & prædicauerunt Ieiunium, & uestiti sunt saccis, à maiore (nota diligenter) usq; ad minorem. Et peruenit uerbum ad Regẽ Niniuæ, & surrexit de solio suo, & abiecit uestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere Et clamauit, & dixit in Ni-
Niniuitarum exemplum. niuæ ex ore regis, & principũ eius dicens, Homines & iumenta, et boues et pecora nõ comedent quicq; nec pascant, nec aquã bibãt. Et operiant saccis homines et iumenta, et clament ad Dñm in fortitudine; et conuertat uir à uia sua mala, et ab iniquis

iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et uidit deus opera eorũ, quia cõuersi sunt de uia sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorũ, & misertus est Deus super malicia sua, quã locutus fuerat, ut faceret eis, & nõ fecit. Notabis hic diligenter, quod crapula mutata est in ieiunium, reiectus est & luxus uestium, abolita sunt etiam alia opera iniquitatis, & maiores inceperũt, sicq; factum est, ut minores facile sequerentur. Heu deus, quam longe hic nos Christiani superamur à Gentibus: Omnes quidem & singuli conquerimur de multis calamitatibus, quæ nos singulis horis obruunt, & opprimũt, sed quotusquisque nostrum uel unum ferculum minus imposuit mensæ suæ, quis aliquid remisit de luxu suo? Quis nostrum ex animo loquitur cum fideli illo Esdra, Deus meus confundar & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt, super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt usq; ad cœlum à diebus patrum nostrorum. Sed & nos ipsi peccauimus grauiter usque ad diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, & Reges nostri, & sacerdotes nostri in manũ Regum terrarum, & in gladium, in captiuitatem & rapinam, & confusionem uultus: Nihil tale loquimur, sed perpetuo ad uicinos nostros respicis

Penitentia.

2. Esd. 9.

respicimus, nec respiscemus, donec nullus pœnitentię locus amplius relinquatur nobis. Quid faciebat pius Rex Dauid quando grauissima pestilentia percussisset Dominus populum. Cũ
2.Re.24. uidisset Angelum percutientem, dixit. Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: isti qui oues sunt quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei. O fidelem pastorem, qui maluit se, quam unã ouiculam perire. Quis dabit popu o Christiano tales pastores, qui nihil magis ament, atq; salutem populi Dei: qui omnes res suas instituant, ut bene habeat populus dei, qui non priuata, sed publica commodo promouere labo-
Nota. rent? Deus peccatis, & iniquitatibus nostris grauissime offensus est: & pro iusticia sua uindicat in nobis peccata nostra, ut testetur se illa odio habere, pro misericordia uero sua, mitius quam merebamur, nos flagellat, ut testetur se nos amare. Igitur ne contemnamus misericordem patrem, ne experiamur seuerum iudicem. Quid igitur faciendum nobis, inquit aliquis? Hoc quod diximus alios fecisse, qui flagella dei effugere, & eius fauorem sibi conciliare uoluerunt. Diximus autem eos conuersos fuisse ad Deum, huiusque gratiam pijs ac ardentibus ambijsse precibus. Exemplorum plus satis in superioribus audita sunt. Et hodierni Euangelij lectio, sufficienter demonstrat, si qua re opus habemus, quid facere debeamus, nimirum

petere

peteri, quærere & pulsare, sic enim nos inuentu-
ros, accepturos, & intraturos. Sed loquemur
paucis de lectione Euangelica.

Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte &c.

Nō opus est, ut hic multis Philosophemur, quí nam illi duo amici, quíd per noctem, cubile, & pueros intelligamus. Parabola est, quam Christus ipse ad institutum suum postea accomodabit, hoc uidelicet significans, Christum, huiusq; patrem cœlestem longe benigniorem esse erga nos, quam aliquis homo possit esse erga proximum suum. Secundo quum pro rebus temporalibus ab homine aliquo impetrando, tam, cōstantes simus in orationibus, multo constantiores nos esse debere in precādo Deum pro rebus necessarijs. Quod si quis Amici nomine, quí præter opinionem nostram ad nos uenit, intelligere uelit, afflictionem aliquam inopinatam, nihil repugnauerim. Nam & nos uulgari modo dicendi solemus morbos recens immissos uocare hospites. Et uulgo loquuntur. In fortunium etiam nō inuitatum uenire. Quod media nocte uenit, id est, quod nos nihil minus cogitantes aliquando infortunio aliquo obruimur. Alius amicus qui in cubiculo esse, & dormitare dicitur, significat Deum patrem cœlestem, qui cum non preces nostras statim exaudiat, uidetur nobis dormire. Vnde Psalmus excitat

Parabolæ huius scopus.

Vnglick kompt vngela den.

Psal. 43. eum. Exurge, inquiens, quare obdormis Dom̃
Psal. 120. ne, Exurge & ne repellas in finem. Atqui, non dormit neq; dormitat, qui custodit Israel, Simulat autem se non intelligere, neq; audire quæ uoslumus aut petimus: etiãsi sciat antecq̃ petamus quid nobis necessarium sit, sed ideo non statim exaudit, quia aut fidem nostram probare uult, aut rem iniustam & illicitam petimus, aut indigni sumus qui à Domino exaudiamur, quem nos nunquam audimus. Tria diximus, quę scripturæ exemplis breuiter probauimus. Primo enim quod fides nostra aliquãdo sic probetur, exemplo nobis Regulus ille, & mulier Chananæa: qui duo, sic perstiterunt in precando, ut Christus ipse dixerit. O mulier magna est fides tua. Et alĩ. Vade sicut credidisti, ita fiet tibi. Secundo quod illi qui rem illicitam petunt, non exaudiantur, probant uerba Christi dicentis ad Zebedæos. Nescitis quid petatis. Et Iacobus ipse. Petitis & nõ accipitis, eo quod male petatis. Petebat Paulus amolitionem stimuli carnis, sed quoniam rem sibi incommodam petebat, non fuit exauditus. Pater enim cœlestis noster, non uult nobis dare, nisi quæ nobis profutura nouit: Tertio quod etiam nostra indignitas petitiones nostras impedire soleat, tam clarum est, ut nullis probationibus egeat. Ostendant Aduersarĩ nostri satis magnifice promissiones sed non obseruant illis adiectas conditiones. Verum est, legimus hic in Euangelio,

Causæ quare nõ exaudimur.

Ioan. 4.
Math. 15
Math. 20
Iaco. 4.
2. Cor. 12

Petite,

Petite, & accipietis. Quærite & inuenietis. Pulsate et aperietur uobis etc. *Promissiones conditionatæ.*

Non negamus uerba Christi, nec euamus Dei promissiones, sed attendimus quibus factæ sint promissiones, & quibus uerbis. Audiam libenter quod Christus dicit. Omnis qui petit, accipit: & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. *Pro. 21.* Sed non possum contemnere illud. Qui obturat autem suam ad clamorem pauperis, & ipse *Pro. 28.* clamabit, & non exaudietur. Et rursum. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Sic in Esaia legimus. Ecce non *Esa. 59.* est abbreuiata manus domini, ut saluare neque at, neq; aggrauata auris eius, ut non exaudiat: sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deum uestrum, & peccata uestra absconderunt fa- *Esa. 55.* ciem eius à uobis, ne exaudiret. Idem propheta rursum dicit, *Quærite dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est.* Vt autem ostendat, quomodo *quærendus*, & quomodo uocãdus, ne frustra à nobis uel quæratur uel inuocet, addit. Derelinquat impius uiã suã, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertat ad Dñm, & miserebit eius, & ad deũ nostrũ, qm̃ multus ẽ ad ignoscendũ. Hęc nemo nõ intelligit, cq̃ cõsentanea sint. Si em̃ deus nos propter peccata nostra flagellauerit, certe dignũ est eũ non cessare à flagellando, donec nos cessauerimus à peccãdo. Hinc est, quod idem propheta inducit dominũ

in hæc uerba ſcribentem. Cum extenderitis ma-
Eſa. 1. nus ueſtras, auertam oculos meos à uobis: &
cum multiplicaueritis orationem, non exaudiã,
Manus enim ueſtræ, ſanguine plenæ ſunt. Ta-
lia multa ſunt ubiq; in prophetarũ ſcriptis. Et
non in prophetarum ſcriptis tantum ſed etiam
in Euangeliſtarum ſcriptis, An non exertis uer
bis dicit Chriſtus ſe non remiſſurum nobis pec-
cata noſtra, niſi nos remiſerimus etiam fratri-
bus noſtris, ſi quid in nos deliquerint. Rurſum
dico. Promiſſiones Dei certæ ſunt, ſed commi-
nationes eius non ſunt inanes. Faciamus nos
quod ille iuſſit, ait alibi D. Auguſtinus, & ipſe
dabit quæ promiſit. Sed hęc hactenus ſatis. Sũ-
ma hæc eſt, Deus peccatis noſtris offenſus, ua-
riis calamitatibus aliquando nos uiſitat, atq;
flagellat. Hoc autem facit, ut nos cauſam fla-
gellorum expendentes, uitam emendemus, de
præteritis peccatis pœnitentiam agamus, ut ipſe
uidens noſtram emendationem, temporalia fla-
gella amoueat, gratiamq; ſuam erga nos multi-
plicet, & uobis poſt hanc uitam, gloriam con-
ferat æternam, præſtante Domino Ieſu Chri-
ſto, &c. Amen.

FERIA SEXTA POST
Quaſi modo geniti.
Math. 28.

In illo



IN illo tẽpore: Ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, & nũciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes. Dicite: Quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditũ fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est uerbum istud apud Iudæos, usque in hodiernum diem.

EXPOSITIO.

NIhil fere est in hodierni Euangelij lectione quod non in proximis concionibus & auditum & explicatum fuerit, unde non est, cur nos illius interpretatio multum remorari debeat. Duo autem sunt præcipua quæ in hodierno Euangelio obseruanda sunt. Alij lętantur Christum à mortuis resuscitatum, & hoc quantum quidem in ipsis est, omnibus palam facere conantur. Alij rursum dolent illum resurrexisse, & quantum humana sapientia contra deum prævalere potest, speciosum illum Iesu Christi de morte triumphum cælare student. Mulieres enim nihil magis desyderant quam uidere redíuiuum dominum, uisum amplectuntur, eumq; reuixisse ac resurrexisse aliis, Apostolis uidelicet, adnunciant. Iudæi uero, maxime Principes sacerdotum, & scribæ, & Pharisæi ijs quibus possunt technis, conantur Resurrectionem domini obscurare, imponunt magnum lapidem super monumento, affigunt sigillum, cupiunt consignari monumentum, ad mouent custodiam, sed omnia frustra, sicut etiam elapsis temporibus non semel tantum admonui. Immo omnia in contrarium uergunt, dum enim cælare cupiunt, tum maxime illud manifestum faciunt Et quod hic factum esse legimus, perpetuo fit. Quotquot enim hactenus conati fuerunt gloriam Christi, huiusq; fidem obscurare, omnes confusi sunt, & illius gloriam magis

Duo in hoc Euangelio obseruãda.

Gloria Christi multos habet aduersarios

magis illustrarũt. Exemplo nobis sint Ethnici, Iudæi, & Hæretici, Illi priores gladio, igni, & a-qua sæuierunt in pios Christianos, multa Chri- *Gentiles.*
stianorum interficientes millia, & hoc non alia ratione, quam ut Christianismi nomen etiam è terris tollerent. Sic tamen Gentibus cessit sua tyrannis, ut ipsimet confessi fuerint, sanguinem Martyrum, esse semen Christianorum, sæpe etenim unico homine Christiano interfecto, aliquot millia ad fidem Christianam conuersi fuerunt. Sic igitur factum est, ut qui uoluerunt perdere Christum, nolens etiam, ipsius fidei maximum darent incrementum. Quod de Ethnicis diximus, etiam de Iudæis dictum uolumus. *Iudæi.*
Nam dum hi uolebant Christianum nomen è terris tollere, & eo nomine Apostolos Hierosolymis eĩcerent, occasionem dederunt, ut Euangelĩ doctrina eo citius, & latius propagaretur. Sic & Hæreticì dum conantur pro sua *Hæretici.*
libidine Catholicæ Ecclesiæ dogmata aut conuellere aut obscurare, occasionem præbent uiris Catholicis, diligentius de dogmatis Ecclesiæ cogitare, & ea magis magisque confirmare. In *Augusti-*
Euangelio Christi legimus multas preciosas *nus cõtra*
Domini Iesu Christi Contiones: sed has im- *Aduer. le-*
proba Iudæorum malitia excitauit. Sic opti- *gis et pro.*
mos & utilissimos ueterum patrum libros, qui- *ii. 3. ca. 14*
bus alĩs, nisi pestilentissimis debemus Hæreticis: sicut enim hi magna audacia oppugnabãt

Ecclesiã: ita illi magna fortitudine ipsam pro-
Exo. 5. pugnabant. Conatur quidam crudelis Pharao omnibus quibus potest uiribus, & omnibus, quas excogitare potest, malis artibus, filios Israel opprimere, sed isti nihilominus in innumerabilem crescunt populum. Tanta enim est Dei
1. Cor. 13. potentia & sapientia, ut etiam malicia impiorum, uti possit in commodum piorum. Nemo itaq; imponat lapidem sepulchro Christi, nemo ponat excubias, nemo conetur Christum remorari, Mortuus est ex infirmitate, uiuet perpetuo ex uirtute. Sunt quidem nostro sæculo multi, qui mallent Christum esse sepultum, qui multa super tumulũ ipsius eiciũt, ne prodeat, sed meminerint illi, non esse consilium contra dominũ.

Christum sepelire. Quid aliud agunt iam Hæretici, quam ut Christus cum sua Ecclesia pereat? Aut potius ut uideatur iam à multis centenarijs annorum non uixisse? Quid conantur illi, qui malunt Christi Ecclesiam perire, quam aliquid de sua auaritia, superbia, luxu, & ambitione deponere? Non sic faciendum non sic, o boni, sed omnis conatus uester eo intendendus, ut Christus cito prodeat, ut uultum eius clare contẽplari queamus, hoc est, ut omnia tollantur, quæ aliquo modo Christi gloriæ, & ipsius Ecclesiæ officere possunt. Tollamus nos Ethnicos mores nostros, tollãt illi Hęreticos errores suos, & experiemur Christum reuixisse. Si uenit Satanas, & ostendit tibi oĩa regna mũdi, dicens. Hęc oĩa tibi dabo,

si pro-

si procidens adoraueris me. Statim respondē cū Iesu: Vade Satana: Scriptū est enim Dominum deū tuū adorabis, & illi soli seruies. Si accesserint ad te aliqui offerentes pecuniam & dicentes. *Math. 4. Deute. 6.*

Dicite, quia Discipuli eius noctu uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.

Nō accipite munera, nec mentimini cōtra Christum: sed potius dicite cū D. Petro. Pecunia uestra sit uobiscū in perditionē. Vereor certè multos ex utraq; parte hactenus in gratiā Pluti multa finxisse, adhuc dissimulare, quæ apertè profitenda fuerant. Valeant pessime, quicumq; contra suam ipsorum conscientiam Christum sepultum uolūt potius quàm rediuiuum, hoc est, qui Ecclesiæ repurgationi reluctantur, quum eam promouere debebant. Enimuero in extremis laboratur utrinq;. Pseudoprophetæ mentiūtur Ecclesiæ Catholicę nostra dogmata esse falsissima, & erroribus plenissima. Ex nostris autem sunt, qui etiam improbos mores nostros nolūt accusari. Atqui dogmata Ecclesię apud nos uera sunt (aut Ecclesia nunq; uera dogmata habuit) uitam uero & nostram & illorum impurissimam esse, quis negare audeat? Emendemus itaq; uitam nostram utrinq;, & ueris dogmatis utriq; hæreamus. Nā sicut recta fides sine operibus nihil profuerit, ita & bona opera falsis adiuncta dogmatis nihil proderūt. Et nos (ceu di- *Actu. 8. Iacob. 2.*

ximus, uera ac Christiana habemus dogmata, & si quid his minus rectum adhæsit, facile abstergi poterit, tantum dispiciamus, quomodo mores nostri, & conuersatio nostra reformetur,

Ephe. 4. ambulemusq; uocatione nostra digne. Memi-
nerimus CHRISTVM, non perijsse in Se-
pulchro, nec detentum in inferno, nec surreptũ
ab aliquo Apostolo, sed iam uere regnare in cœ
lo, inde, iuxta quod in Symbolo nostro fates
mur, uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Rom. 13. Sciamus quod iam hora est, ut de somno surga-
mus: Nox præcessit, dies appropinquabit.
Abijciamus opera tenebrarum, & induamur
arma lucis. Credimus quod Iesus, iuxta Euan-
gelium hodiernum, uerè à mortuis resurrexe-
rit, non negligemus, quare resurrexerit, & pijs

Resurrectionis usus. exemplis declaremus nos uere credere CHRI-
STVM ex mortuis resurrexisse. Audiamus
quæ diuus Paulus de resurrectione CHRISTI
prædicare soleat. Qui mortui sumus peccato,
quomodo adhuc uiuemus in illo. Hoc est, Si
detestamur peccatum, quare illud perpetramus
An ignoratis fratres, quia quicumq; baptizati
sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius Baptiz-
zati sumus? Hoc est, eandem ob causam nos
Baptizamur, ob quam Christus mortuus est.

Rom. 6. Mortuus est Christus, ut peccatum aboleret:
Baptizati sumus etiam nos, ut ablutis & inter-
emptis peccatis, post hac uiueremus nouam ui-
tam. Inde est quod Apostolus addit. Consepul-

ti enim

ti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus, hoc scientes quod uetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato. Sententia hęc est. Qui uerè & naturali siue corporali morte moriuntur, hij amplius non peccant, & quod ad homines attinet, pro peccatis perpetratis puniri non possunt. Iam qui baptizantur, sic spiritualiter moriuntur & sepeliuntur, ut peccata illorum, porro moriantur, hoc est aboleantur, & pęna his debita remittatur. Siue, ut explicatius dicam. Qui moriuntur corporali morte, & si uerè moriantur, tamen solum corpus moritur, anima uero perpetuum uiuit. Sic in Baptismo tria sunt, *Anima*, *Corpus*, & *peccatum*: Iam cum baptizamur, *solum peccatum*, siue ut Apostolus ait, *corpus peccati*, *hoc est uniuersa congeries peccatorum in nobis perit*, & aboletur, Anima uero corpus renouantur, non solum uidelicet remissionem peccatorum, sed etiam precioſa spiritus sancti dona, per meritum IESV CHRISTI Domini nostri recipientes. Recipiunt autem hæc, non ut post hac rursum peccent, sed ut sanctius uiuant. Hinc est quod Paulus in eodem capite scribit. Itaque & uos existimate, nos quidem mortuos esse peccato:

uiuentes

uiuentes autem Deo in Christo Iesu. Et deinde explicatus. Non ergo regnet peccatū in uestro mortali corpore. Et sub finem. Liberati autem à peccato, serui facti estis iusticiæ. Ex his uides qua ratione prædicauerit Apostolus Romanis passionem & resurrectionem Domini, non solū docens quid nobis Christus dederit, sed etiam quid à nobis postulet & exigat. Sic rursum in eadē Epistola scribit. In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut & uiuorum & mortuorū dominetur. Ideo inquit, mortē sustinuit, ac postea reuixit, ut ipse agnoscatur Dominus esse omniū tam uiuorum quàm mortuorum. Omnes nos ad Christum pertinemus, ut ipsius, non nostrā, multo uero minus peccati, uolūtatē faceremus. Magno redemit nos, non ut nos alijs donaret, nec ut libertatem nostram daremus in occasionem carni, sed ut ipse nobis dominetur. Empti estis precio magno, inquit idem Apostolus, & non estis uestri iuris. Hoc in Corinthijs rursum clarius exponit, scribens in hæc uerba. Pro omnibus mortuus est Christus ut & qui uiuunt, iā non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Iam uiuere Christo, est uiuere ad exemplum Christi, & iuxta mandata ipsius. Adferam & hoc quod idem Apostolus in alia Epistola scribit, in hūc qui sequitur modum. Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Rom. 14.

1. Cor. 6.

2. Cor. 5.

Col. 3.

An

An igitur omnia quæ ſuper terram ſunt negligenda ſunt? In terra ſunt parentes, filij, ſerui, panis, uinum, ueſtes, domus & cætera quæ ad ſuſtentationem huius uitæ pertinent. Quomodo igitur prohibemur hæc quærere? De his non loquitur Apoſtolus, ſed de alijs, ſicut conſequentia docent. Mortificate, inquit, membra ueſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus. Et iterum. Nunc autem deponite uos omnia, iram, indignationem, maliciam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore ueſtro. Et poſtea. Induite uos ergo ſicut electi dei, ſancti, & dilecti, uiſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes inuicem, & donantes uoſmetipſis, ſiquis aduerſus aliquē habet querelam: Sicut & dominus donauit uobis, ita & uos. Hæc igitur, quoniam Euangelij lectio nulla interpretatione opus habet, dicere placuit nobis, ut declararem uobis, quis nam eſſet uſus reſurrectionis inter Chriſtianos, nimirum abdicare mala & ſectari bona, ſicq; proficere de uirtute in uirtutem, quæ certiſſima uia eſt, ad uitam æternam, ad quam nos deducat, qui in filijs ſuis regnat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, Amen.

Dominica

DOMINICA MISERI
cordia domini. Ioan. 10.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit, pro ouibus suis. Mercenarius autẽ, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientẽ, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et nõ pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscũt me meę. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animã meã pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quę non sunt ex

hoc

hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, et fiet unum ouile, & unus pastor.

EXPOSITIO.

QVum huius hodierni Euangelij lectionem diligenter expendo, nescio, consoletur ne nos magis, quam terreat. Magna certe consolatio est, nos tam benignum ac liberalem habere Pastorem, qui non tantum nos in præsenti pascit corporaliter ac spiritualiter, hoc est, corpore & animo, sed etiã pro nobis animam suam in mortem dedit, ut nos æternũ uiueremus. At nos merito turbamur, ac terremur, dum cogitamus quam parum nos, qui debebamus oues esse, illius in nos amori respondemus. Sed rursum consolatur nos Domini Iesu benignitas, *qui cum morte pro inimicis nobis* sustinuit, *haud dubiè pœnitentes non reiiciet.* Sed audiemus, quid de Pastore, & quid de ouib. dicat Dñs noster. Ego sum pastor bonꝰ.

Obseruandum est hoc in loco quod Iesus Christus seruator noster, non nunc primum excogitauerit sibi Epitheton Pastoris, sed spiritus sanctus tribuerit ei hoc cognomen ante multos annos, cum nondum assumpsisset hominem. In Esaia dicitur de Christo. Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo cõgregabit agnos, & in Esai. 40.

& in sinu suo leuabit, fœtus ipse portabit. Et in
Ezec.34. Ezechiele. Suscitabo, inquit Dominus, super ea
pastorem unum, qui pascat ea, seruum meũ Da-
uid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in Pastorẽ. Et in
Zach.13. Zacharia. Percutiã, inquit, Pastorẽ, & dispergen
tur oues. Quoniã uero & mali Pastores sunt, i-
deo se ab illis discernit dicens. Ego sum Pastor
bonus. Pastor bonus est qui suo officio recte
fungitur. Hinc est quod Christus in Euan-
gelio statim addit. **Bonus Pastor ani-
mam suam ponit pro ouibus suis.**

Hoc est, Bonus pastor omnia tentat & agit quæ
bonum pastorem concernunt, etiam si sibi mo-
riendum sit pro ouibus. Et certe meritò bonus
pastor illi censeri debet, qui pro salute sibi cre-
ditarum ouium, paratus est uitam istam corpo-
ralem impendere, mortemq; suscipere, ubi Dei
gloria & ouium salus poposcerit. Christus ita-
q; quasi uno uerbo explicare uoluit, quę et quã-
ta ouium nomine sustinuerit, cum dicit, Bonum
pastorem animã suam ponere, pro ouibus suis.
Nam si singula recẽsere uoluisset, necessaria re-
censuisset omnem illã curam, quam nostro, hoc
est, hominum nomine, per omne tempus sæculi
huius habuit. Quum enim nos eramus, homi-
nes nos creauit, creatos aluit, peccantibus peper
cit, spaciũ pœnitendi dedit, Legem præscripsit,
& fideliſſimos Pastores eis tam in spiritualibus
quam in temporalibus, quæ uocant, prępositi:

tales,

tales, inquam, Pastores qui etiam ipsi nõ dubi-
tassent animas suas, ponere pro animabus ouiũ
sibi commissarum. Exemplo sit nobis Moyses, Exo. 2.
qui quantum amaret populum Israel satis pro-
bauit unico illo homicidio, quo Aegiptium,
qui Israelitæ uim intulerat, interfecit. An non
maximi amoris uox est qua dicit. Aut dimitte
eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de li- Exo. 32.
bro quem scripsisti? Rursum quoties se interpo-
suit mediatorem inter deum & proximũ? Hæc
autem recte ac pro merito æstimari nõ possunt,
nisi etiam eis opponamus maximã Hebræorũ
erga Mosen ingratitudinem. Venio ad Samue- 1. Reg. 12
lem quid in eo officij desiderari potuit? Hic post
quã Saulem iussu domini in Regem Israelis or-
dinauerit (siue unxerat) conuocauit uniuersum
populũ ad se, sicq; eũ alloquutus est. Loquimi-
ni de me coram dño & corã Christo eius, utrũ
bouem cuiusq; tulerim, aut Asinũ, si quempiam
calumniatus sum, si oppressi aliquẽ, si de manu
cuiusq; munus accepi, & cõtemnã illud hodie,
restituamq; uobis. Et dixerũt. Nõ es calumnia-
tus nos, neq; oppressisti, neq; tulisti de manu ali-
cuius quippiã. Quid si uelim iã de Dauide dice-
re, quãta ille pulcherrima edidit specimina ma-
gni amoris in populũ dñi? Tum enim tandẽ re- 1. Reg. 27
gno inauguratus est, quãdo egregio exẽplo de-
clarauit, quam amico esset in populũ affectu. Ira
quippe iuuenis adhuc, populi causa doluit ac ze
lauit, ut & animã suã exponeret, quum uidelicet

barbarū illū Goliathū è medio tolleret. Quod uero dicebat. Quid dabitur ei qui Philistæum hunc interfecerit? Nō ideo dicebat, quod mercedē acciperet, sed quo sibi crederetur, & in pugnam cū illo cōmitteretur. Nam cū adepta iam uictoria ad Regem esset ingressus, nihil de mercede meminit. Rursum cū dominus grauissimā pestilentiam misisset in populū, quid aiebat Da-
2. Reg. 24 uid? Ego qui pastor sum peccaui, ego malignè egi: illi uero qui oues sunt, quid fecerunt? Hæc ideo adduco, ut ostendā dominū nunc̄ deseruisse populū suum, nisi maxima populi malitia ad hoc prouocatus. Sic enim aliquādo desipit populus, ut pios principes ferre non possit, impīos uero & tyrannis diligenter obediat. Cæterum quod de ueteri testamento diximus, idem & de nouo dicemus. Quum enim pastores Iudæorū pōrro degenerarent, & oues domini crudelissimè uexarēt, fecit dñs, quod per Prophetā pollicitus fuerat dicēs, Ego pascā oues meas, & ego
Ezec. 34. eos accubare faciā, dicit dñs Deus. Quod perierat, requirā: & q̄d abiectū erat, reducā, & q̄d cōfractū fuerat, alligabo: & quod infirmū fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiā, & pascā illas in iudicio. Venit ergo Christus iuxta conditū, carnem assumpsit, uoluntatē Dei hominibus adnūciauit, miracula multa edidit, magna suis ouibus beneficia exhibuit, & nunc̄ non de ouibus suis dixit: Reliquit nonaginta
Luc. 15. nouem in deserto, & unicam quæ errauerat diligenter

ligenter quæsiuit, inuentã in humeros suscipit, ac domũ reportat. In Euangelio Marci, miseri- cordia mouetur erga turbas, quia erant sicut oues non habentes pastorem. In Mathæo pollicetur se uelle statuere oues à dextris in nouissimo Iudicij die. Et alibi rursum protestatur se uenisse ad quærendum oues, quæ de domo Israel perierant, Sed quis uellet omnia exempla amoris illius erga oues paucis recenseret? Nullus pastor unquam gregem suum tam bene pauit, atque Christus nos suas oues pascit. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Christus docet nos, pascit nos tam corporaliter quã spiritaliter, regit nos, ac defendit nos. Addam & hoc quod etiam postquam animam suam posuit pro nobis, non cessat curare nos. Sicut enim antecẽ carnem assumeret, Ecclesiæ suę pastores dederat: ita & postcẽ à mortuis resurrexit, antequam nos uisibili specie relinqueret, alios nobis pastores substituit. Immo antequam moreretur, eos ad tantum mysterium elegit, eos propterea sal terræ, & Lucem mundi appellitans. Dedit eis potestatem super omnia, Dæmonia & ut languores curarent, regnumque Dei prædicarent. Nec & hoc dissimulandum, quod illos apud semetipsum retinuit, ipsisque audientibus Sacras scriptures interpretatus est, & aperuit eis sensum, ut Scripturas intelligerent. Rursum ait illis. Sicut misit me pater ita ego mitto uos. Accipite spiritum sanctum,

Mar. 6. *Mat. 18.* *Mat. 15.* *Christus Ecclesiæ suæ pastores præficit.* *Mar. 5.* *Lu. 9.* *Luc. 24.*

quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &
Io. 20. quorum retinuerits, retenta erunt. Petro autem
præcipue curam totius orbis commissurus, ter
eum antea rogauit dicens. Simeon Ioannis di-
Io. 21. ligis me? Et cum Petrus ter amorem polliceba-
tur, respondit Christus ad eū. Pasce oues meas.
Sic deinde Apostolus Paulus testatur, quod
Ephe. 4. Christus in cœlum assumptus dederit Ecclesiæ
suæ Doctores & pastores. Talis pastor etiam
fuit Diuus Paulus, qui & ipse non dubitauit a-
Col. 1. nimam suam pro ouibus Christi ponere. Sup-
pleo, inquit, quod deerat afflictionum Christi
in carne mea pro corpore ipsius, quod est, Ec-
clesia. Et alibi. Optabam anathema esse à Chri-
Ro. 9. sto pro fratribus meis. Et hæc quidem Paulus:
nec dubitamus, quin & alij Apostoli & Apo-
stolici uiri parem affectum erga Ecclesiam ha-
buerint, licet de omnibus non sit scripto consi-
gnatum Et post hos multos habuit Ecclesia tā
in Oriente quam in Occidente, qui non grauas
ti fuissent animas suas pro Ecclesia Christi po-
nere. Et putamus etiam nostro tempore esse
aliquot, qui Christum corde gerāt, animarumq;
salutem ex animo & quærant, & quantum in
ipsis est promouere studeāt. Quod si aliqui sunt
sicut negare non possumus, qui nō patrum nec
pastorū affectu in Ecclesiā præditi sunt, uideant
quam rationē reddituri sint Deo strictissimo ac
æquissimo Iudici. Sed uideamus quę sequuntur
in contextu. Mercenarius aūt, et qui nō

est pastor,

est pastor, cuius non sunt oues pro-
prię, uidet Lupum uenientẽ, dimittit
oues, & fugit &c. Nemo putet oẽs Mercenarios esse tales, qualem hic describit Christus, sunt enim etiam boni Mercenarij, qui res domi-norũ suorũ non minori diligentia curãt, ac si illorũ propriæ essent. Vnde Christus non contẽtus nominasse Mercenarium, addit, & qui non est pastor, hoc est, qui pastoris animum non habet, qui oues nõ amat, ille inq̃t, uidẽs lupũ uenientẽ, dimittit oues & fugit. Tales mercenarij quicquid faciũt, propter priuatũ lucrum faciunt, nõ curantes siue oues, siue dominus pereat. Mercenarius itaq̃, qui non eo afficitur amore erga oues, quo pastor affectus est & si pascit oues tranquillo tempore, tamẽ nullum subit periculũ propter oues, nec tuetur eas, sed deserit, si uel grauis tẽpestas oriatur, siue lupi in gregem grassentur. Hęc in rebus tẽporalibus fieri solet: at Christus hoc in loco non pastores ouium brutarum, sed pastores & Episcopos Ecclesiarum notat, qui quicquid faciunt, non in salutem populi, nec in gloriam Dei, sed omnia in priuatum commodum instituunt. Videmus heu dolor, in Ecclesia Christi multos mercenarios, qui omnia mercedis gratia instituunt. Dum orandum, & Psallendum est, non ualde festinant: dum accipienda pecunia, non solum currunt, sed uolant etiam. Hoc uidemus in magnis illis & præpin- *Mercenarij.*

gulbus Canonicis, quomodo præfixis diebus, in quibus unico die pro maxima Mercede satisfaciunt, aliquando per multa miliaria currunt, Et utinam tales sic se gererent, ut merito mercenarij dici possent. Mercenarius, teste Christo, uidens lupum, fugit. Vtinam hodie quicunq; pastores non sunt, mercenarios se gregi uellent exhibere, non lupos, Vtinam ipsi non lęderent, utinam non fugerent nemine persequente, utinam non exponerent gregem, donec lupum ueniens uideretur. Nimirum sustinendi fuerant, si inuenirentur præsertim tempore pacis recipientes mercedem suam, & pro mercede sua saltem in custodia gregis laborantes, dūmodo non ipsi turbarent gregem, & gratis auerterent à pa-

D. Bern. de persecutio. Cap. 31.

scuis iustitiæ & ueritatis. Nam ut recte D. Bernardus dicit, persecutio mercenarios à pastoribus segregat & discernit. Quando enim transitoria dāmna non timeat, qui temporalia lucra sectatur? Quādo terrenā sustineat persecutionē propter iustitiā, qui terrenā mercedē plusq; iustitiā quærit? Sed de mercenarijs plus satis. Si eñ animos suos mutare nolint tandē, olim eos nō uulgāriter pœnitebit. Iā forsan quęrit aliquis. Quid

Lupus.

lupi nomine intelligi debeat, qui rapit oues ac dispergit. Diabolū hic intellige, & oēs huius satellites Hęreticos & pseudoprophetas, qui populū Christianū à sancta matre Ecclesia Catholica & Apostolica seducunt, & malis pestiferisq; doctrinis mentes illorū corrūpūt, ut hic in Schi-

smate

smate & hæresi persistentes postea æternum pe reant. Audite quæ sequuntur.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.

Bonus pastor utiq; cognouit oues suas, quomõ do enim nõ cognosceret, quas creauit, redemit, & pauit? Porro cognoscere hoc loci, nõ tantum est de facie nosse, quemadmodũ a liquoties uicinus uicinũ ita cognoscit, ut tamen alter alteri nõ sit curæ, sed cognoscere est talẽ habere notitiã ut non solum facies rei perspecta sit, uerum etiã curam eius suscipias, uehementerq; de iure eius solicitus. Hoc certe modo cognoscit Christus oues suas, hoc est, amat, fouet, ac tuetur eas. Similiter & oues, hoc est pij homines cognoscunt eum, hoc est, amant eum, & uoluntarius libenter & ex animo obsequuntur. Nec ab hac sententia discrepat quod continenter sequitur.

Cognoscere oues quid.

Sicut me nouit pater, & ego agnosco patrem: & animam pono pro ouibus meis. Quid enim aliud hic dicit, quam magnum esse, amorem patris in filium, & ilij in patrem, & rursum filij in oues suas, hoc est, in filios suos. Quem amorem & in patrem & in nos, nulla alia re magis testatum fecit, quã quũ mortem pro nobis sustinuit. De utroq; ita Euangelista loquitur. Statim enim post finẽ lodierni

Euangelij legimus Christum dicentem. Propte-
Ioan. 10. rea diligit me pater, quia ego pono animā meā,
ut iterum sumam eā. Et alibi ait. Vt cognoscat
mūdus, quia diligo patrem, & sicut mandatum
Ioan. 13. dedit pater, sic facio. Surgite eamus hinc, nimi-
rum ad locum passioni destinatum. Rursum di-
Ioan. 15. cit. Maiorem dilectionem nemo habet, quā ut
animam suā aliquis ponat pro amicis suis. Er-
go pater amans, nos, misit filium suum pro no-
bis in morte m. Et filius amans patrem & nos,
pat[illegible]uit, & uoluntarie se pro nobis dedit
in mortem. Vt nulla alia causa sit quæ patrem
uel filiū mouerit, ut liberaremur, quā amor quo
erga nos præter meritū, nostrum affectus fuit.
Et alis oues habeo, quæ nō sunt ex
hoc ouili: & illas oportet me addu-
cere &c. Vaticinatur hic Christus de uocatio-
ne entium, quæ & ipsæ ad fidē nostram Chri-
stianam perducendæ fuerant, ut iam non duo,
sed unus efficeretur populus, unumque, ac
eudem colerent Deum, ut ex Iudæis & Gen-
tib⁹ unum fieret ouile. Maximum enim fuit
semper discrimē inter Iudæos & Gentes. Iudæi
erant Circumcisi: Gētes pręputiatę. Iudęi accepe
rant legē dñi in mōte Synai, gētes nō acceperāt
eā: Iudis ꝓmissum erat diuinitus, ꝙd Christus
ex ipsoꝝ genere uēturus esset. Gētibus aūt hoc
nō erat promissum. Itaq; existimabāt Iudæi, ꝙd
Deus agnosceret ipsos solos pro populo suo,

& quod

& quod nullus posset ueram salutem consequi, nisi fieret Iudæus per circumcisionem. Et Christus in carnem ueniens, & in populo Iudæorũ obambulans, uidebatur eadem significare, dũ scilicet ad Gentes raro diuerteret, easq; grauius increparet, discipulos item ne ad illas irent, prohiberet. Atqui in Prophetarum libris, in Mose & Psalmis apertissimæ sunt Prophetiæ, quæ testantur Messiam etiam gentium nomine in mũdum uenturum, Iudæos tamen priores in honore futuros. De hac ergo re hic loquitur Christus dicẽs Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, hoc est, alium populum habeo, qui quidẽ meus est, sed non pertinet ad hanc Iudæorum Synagogam: & hunc oportet me adducere. Quomodo adduxit Christus oues illas peregrinas & palantes? Non per se: sed per suos Apostolos quibus dixit. Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturę. Ad has oues adducendas maximam operam nauauit D. Paulus, cui præcipuè Gentium populus fuit concreditus. Ad tales oues in Ephesĩ scribit, Memores estote, quod aliquando uos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium &c. Alienati à republica Israelis, & hospites Testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine deo in mundo: Nunc autẽm in Christo Iesu, uos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Obseruandum hic quod Christi officium est populus in unum

Mar. 16.

Ephe. 2.

colligere & colligare, ut omnes uno ore & uno spiritu honorificent Deum Patrem cœlestem. Ad Christum igitur non pertinent, qui uel populum diſiungunt & Schismatum autores sunt, uel dispersos ad unitatem reducere non laborant. Vtinam Pastores Ecclesiæ tandem ex animo eo conatus & labores suos intenderent, ut nos, qui omnes Christiani censeri uolumus, tandem in unum conueniremus. Et forsan hoc fieret, si etiam oues non degenerassent ab indole sua. Oues iam Magisterium sumunt sibi in Pastores, & eis Pascua præscribunt. Deus bone, quam miseram faciem habet Ecclesia tua. Sed oremus Dominum ut ipse Ecclesiæ suæ bonos Pastores præficiant & ouibus obedientiam tribuat, ut perpetuo unanimes tam hic quã in futuro, Christo nostro & uiuamus & placeamus &c.

Amen.

DOMINICA IVBILate. Ioan. 6.

In



IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis, modicum & iã nõ uidebitis me, & iterũ modicum & uidebitis me, qa uado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis suis ad inuicem. Quid est hoc quod dicit nobis, modicum & nõ uidebitis me, & quia uado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit modicũ? Nescimus quid loquit̃. Cognouit autem Iesus, quia uolebãt eum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter uos, quia dixi, modicum & non uidebitis me. Amẽ amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur, in gaudium.

Mulier

Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia uenit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem triſtitiam habetis. Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis.

EXPOSITIO.

VErba illa Domini noſtri Iheſu Chriſti, de modico tempore, & iterum modico tempore, nobis obſcura eſſe non poſſunt, ut qui iam aperti ſcimus, quod non multo tempore, poſt illa uerba, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſupplicia, crucem & mortem raptus fuit, & deinde in triduo à mortuis reſurrexit: Scimus item quanta lætitia tripudiauerint Iudæi, exaltato iam in Cruce Domino noſtro
Math. 27 Ieſu Chriſto, Vah, inquiebant, qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud: Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce, ut uideamus, & credamus ei. Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt

ſaluum

salvum facere. Videamus num veniat Helias, liberans eum. Quanta vero tristitia interim Discipulorum animorum occupaverit, nemo non intelligit. Mutatæ sunt deinde vices rerũ, resuscitato à mortuis domino. Iudæorum enim miseria cæpit, & gaudium Apostolorum similiter cæpit, utrumq; autem sic, ut finem non haberet. Hæc igitur summa est totius Euangelij, quod tamẽ Apostoli, tum cum dicebatur à Domino post cænam, non intelligebant. Nec mirum est quod hunc Domini sermonem, qui aliquid obscuritatis præ se fert, non intelligunt, quum alibi Dominum clarius de his rebus disserentem non intellexerint. Nam Lucæ 18. legibus Christum ad Apostolos dixisse. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quę scripta sunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus & illudetur &c. Et sequitur. Et ipsi horum nihil intellexerunt, & erat verbum istud abscoditum ab eis, & non intelligebant quę dicebuntur. Quæ porro causa huius tam crassæ ignorantiæ? Non alia nisi quod persuasum habebant Christum non passurum, multo autem minus periturum. Quomodo loquuntur alibi Iudæi? Nos audiuimus ex lege, inquiunt, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis nam est filius hominis? Igitur cum tale quid sibimetipsis persuaserant Apostoli, non poterat eis hæc persuasio eximi, etiam si

Luc. 18.

Quæ causa ignorãtiæ.

Ioan. 12.

omnes

omnes Prophetæ, & Christus Prophetarum Dominus, immo & totus mundus reclamaret. Tantum est priuatam aliquam opinionem concepisse: & maxime talem opinionem, quæ carni & huius rationi amica est. Quod si ex hac opinione expectari potest aliquid priuati commodi, hoc est, honoris, potestatis uel pecuniarum, iam fiet res inuincibilis. Hoc quam uerum sit experimur in rebus sacris atq; prophanis. Inspiciamus omnes omnium hæreticorum conatus, & uidebimus q; strenuè, aut potius, q; audenter & temerè suas tutati fuerint opiniones, ut per has aut laudem singularis cuiusdam eruditionis uendicare, aut altum honoris fastigium sibi acquirere possent. Quanto conatu laborat Faustus, Manichæus suam hæresim contra catholicã Ecclesiã defendere? Ibi ad confirmandũ suã, producit multas scripturas, et quasi obtorto collo torquere conatur in suæ ipsius priuatæ opinionis sententiã, Quid uerò ad scripta quæ à catholicis proferebantur pro ueritate catholica? Interpretatur illa pro suo arbitratu, contenditq; illa pro se facere. Quod si scripturæ tam clare sunt alibi, ut se adulterari uon permittant, magna confidentia uociferatur, illa non esse eorum quorum nomen præseferunt, aut à Catholicis fuisse corrupta. Sic Arrius, quantumuis pestilentissimus fureret ac insaniret, tamen uolebat omni populo persuasum esse, suam ipsius doctrinam esse Catholicam & Orthodoxam. Sic Donatus

de

de Baptismi Sacramento hæretica sentiens, contendebat se non aliter sentire, quam Sacræ scripturę haberēt, & Ecclesia Apostolica hactenus ab Apostolorum temporibus docuisset. Eiusdē impudentiæ fuerat Pelagius cum hæresi sua de peccato originali, item de Gratia, & libero arbitrio: uolebat enim toti mundo persuadere se nihil docuisse unq̄ noui de illis articulis, sed perpetuo Ecclesiā sic & credidisse & docuisse: Scripturas item canonicas, & Patrum lucubrationes pro se ipso, non pro Catholicis stare. Sed quid ego profero ueteres, quū recentiora exempla plura sint q̄ uelim? Quanta altercatio est in hūc usq̄ diem inter Lutheranos & Zuinglianos, super pauca illa uerba cænæ Dominicæ:

Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur?

Vtraq̄ pars cōtendit uerba ipsa esse clarissima unde ergo tanta contentio? Vtraq̄ pars dicit se illa intelligere & interpretari iuxta Analogiam fidei: & tamen ab inuicem miris & multis modis dissentiunt. Lutherus scribit, Zuinglianos non loqui ex spiritu Dei, sed ex spiritu maligno, nec ipsos sequi uerba uel sensum scripturæ, sed propria capitis somnia, & priuatas superbi animi opiniones. Eadē obiicit Zuinglius Luthero. Sic utraq̄ pars uociferatur se à Patrū & uniuersalis Ecclesiæ consensu nunq̄ defeciſſe: quū tamen Patres, etiam illorum sententia, in hac re,

eadem,

eadem, magno consensu, & scripserunt & Ecclesias suas docuerunt. Quæ igitur huius malioris ego? Hoc quod supra, & alibi etiam non semel dixi, quod sibi ipsi fingunt nouas opiniones, ut uideantur eruditiores omnibus alijs, indeq; cõsequantur non solum laudes, & honores, sed & magna præmia. Quæ si semel cõsecuti fuerunt, nunc̃ suos errores, etiam notos fatentur, timentes scilicet, ne & ipsi imprudentiæ & ignorantiæ accusentur, & quæ enarrauimus, perdant. Nemo certe priuatas opiniones gignit aut sequitur, qui non in aliquem peculiarem finem respiciat, cuius tamen accusari nolit. Et forsan Satanas suis satellitibus non statim ab initio iniquitates illas & scelera aperte proponit, ne illi conscientia admoniti, resiliant: sed pedetentim illos eò inducit, ut postea referre pedem nequeant. Sed quorsum hæc, inquis? Horsum, ut intelligamus quam periculosum sit, priuatis duci affectibus, aut priuatis credere opinionibus. Qui ad ueritatis ueram cognitionem peruenire uoluerit, hic omnes priuatos affectus exuere debet, nihilq; aliud quærere, q̃ ut intelligat quæ Dominus deus ab ipso exigat. Et Doctores quidem caueant, ne suis ingenijs plus æquo confisi, putent se uidere quæ alios latuerunt, & ueritatem hactenus alios latuisse. Discipuli uero caueant, ne magis sui corporis uoluptatem, q̃ Domini nostri Iesu ueritatem sectentur. Sunt quidē multi qui Euangelium Euangelium clamant, sed

uereor

uereor ne aliud animo, cælent. Proinde intelligant se non posse Iudicium dei effugere, etiamsi hominibus aliquantisper fucum faciant. In hodierno Euangelio auditum est.

Cognouit Iesus quia uolebant eum Discipuli interrogare &c.

Quibus aperte significauit se non latere ea quæ in cordibus nostris uersamus. Homo uidet quidem ea quæ patent, sicut alibi scriptura testatur, Deus aũt intuetur cor. Quod si serio, & ex corde quæsierimus uerũ sensum uerborũ domini, experimento discemus ipsum prope esse omnibus inuocantibus eum in ueritate. Nec opus est hoc ipsum multis demonstrare exemplis: quum etiam in hodierno Euangelio argumentum illius rei, de qua loquimur, sic euidentissimum: Cum enim Christus intelligeret quod discipuli de sensu uerborum ipsius essent ualde soliciti, ac uellent ipsum interrogare, non expectata ipsorum interrogatione, alloquitur eos dicens. 1. Reg. 16 Psal. 14.

De hoc quæritis inter uos quia dixi: Modicum, & non uidebitis me &c.

Nec cõtentus proposuisse quæstionẽ, soluit eã, & se magis explicat. Amen amẽ, inquit, dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus aũt, (hoc est hostes Dei) gaudebit: hoc factum est, ceu supra diximus, in passione Domini. Sed tristicia uestra uertetur in gaudium: hoc factum

est post resurrectionem domini. Gauisi enim sunt discipuli, inquit Euangeliũ, uiso domino. Vnde sub finem Euangelij, post parabolã mulieris prægnantis, addit dominus. Et uos igitur, nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Ecce uidemus hoc in loco, quomodo eis negotium explicet, ut rem quantum ipsis prodesset, intelligerent. Et hæc quidem de totius hodierni Euangelij lectione. Iam si rem ipsam altius contemplari uoluerimus, inueniemus uerba illa Euangelij, non tantũ ad Apostolos, sed & ad uniuersum pertinere Ecclesiã. Nam & Ecclesiæ putamus dictũ.

Modicum & nõ uidebitis me, & iterum modicum, & uidebitis me &c.

Et illud. **Et uos quidem tristitiam habetis &c.** Hæ enim sunt uices rerum in Ecclesia, ut nũc sit, unde lætetur, postea unde tristetur, et è cõuerso. Nũc Israeli in Aegypto, postea in terra Chanaan uiuendũ est. Iã ex Hierosolymis, in Babyloniã, rursum hinc ad Hierusalem transmigrandũ. Sic Ecclesia nũc pacem habet, nũc persecutiones sustinet. Quos castigauit Nabuchodonosor, fouet postea Cyrus. Quos ejciunt Iudæi, recipiunt Gentiles. Rursum Ecclesia aliquando perfert persecutiones hæreticorũ, & crudelissi-

erudelissimam tyrannidem Tyrannorum: post, fidelibus per tentationes probatis & purgatis, pereunt Hæretici, ad inferos detruduntur tyranni. Neque enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: nec sinit nos Deus tentari supra id quod sufferre possumus. Proinde non semper bella, nec semper inducie: sed harum rerum in Ecclesia sunt uicissitudines. Sensit uetus Ecclesia multas & pernitiosas Hæreticorum molitiones, sed postquam satis fæuierunt, & Ecclesia repurgata fuit, Dominus noster Iesus Christus illorum impios & nepharios conatus repressit: sequutaque est maxima & exoptatissima tranquillitas. Sentimus & iam nostro tempore Satanam fere omnem suam uim, uniuersamque suam Papopliam aduersus Ecclesiam Catholicam & orthodoxam produxisse, magna Hæreticorum caterua contra nos Ecclesiæ filios insurgente, ut iam à 26. aut amplius annis uideatur Christus à nobis fuisse auersus, sed speramus fore, ut aliquando Deus nostri misertus iubeat pestes illas desæuire. Si enim propter decem uiros iustos Pentapoli illi iniquissimæ parcere uoluisset, cur non speraremus & illum Germaniæ nostræ (in qua haud dubie multa millia sunt, qui non curuauerunt genua sua Aquilonari Baal) parsurum? Timeo tamen, quoniam pauci ex nostris serio querunt reædificatorem Israelis, ne peccatis nostris offensus,

in Arca aliqua conseruet Noe cum fideli familia sua, reliquos nos porro perdat. Si autem uere & ex animo cum Apostolis ob Christū amissum dolebimus, non est quare de futuro gaudio plurimum solliciti simus. Det dominus noster Iesus Christus ut tristicia nostra talis sit qualem ipse in suis electis libenter uertit in gaudium. Quid utinam nobis contingat &c. Amen.

DOMINICA CANTATE. Ioan. 16.



IN illo tempore: Dixit Iheſus diſcipulis ſuis: Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex uobis interrogat me quo uadis? Sed quia hæc locutus ſum uobis, triſtitia impleuit cor ueſtrum. Sed ego ueritatē dico uobis, expedit uobis ut ego uadā. Si enim ego nō abiero, paracletus non ueniet ad uos, ſi autem abiero, mittam eū ad uos. Et cum uenerit

nerit ille, arguet mundū de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidē, quia non crediderūt in me. De iuſtitia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. De iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus eſt. Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cū autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnē ueritatem, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcūq; audiet, loquetur, & quæ uentura ſunt, annūciabit uobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.

EXPOSITIO.

TOties iā reddidi rationem eius, quod Chriſtus uſq; adeo frequenter mentionem ſuæ paſſionis, mortis, & reſurrectionis facit, quum tamen Apoſtoli rem certe parum intellexerint, toties, inquam, eius rei ra-

dionem reddidi, ut uereor me tam frequenti repetitione uobis molestum esse. Duas autē præcipuas causas posuisse me memini, alterā ut Christus declararet se scientem & uolentem pro nobis & pati, & mori uelle, alteram uero, ut Apostoli de passione domini instante toties admoniti, ingruentibus procellis, minus turbarentur. Verū possum iā præmissis alias duas causas adferre, quare scilicet Christus tam multa ad ignorantes etiam discipulos dixerit. Prima causa ad me pertinet, uidelicet ut Exemplo Christi diligenter quæ uera sunt prædicem etiamsi non omnes pariter intelligant. Secunda ex hac ducitur, scilicet ne & uos putetis laborē uestrum omnino esse cassum, si uerbū dei quod uobis prædicatur, nō per omnia intelligatis. Dies diē docet, & donec uoluntatē dei agnoscamus, à diligenti & studiosa auditione illius cessandū non est. Fit enim aliquando ut quæ modo uel legimus, uel audimus, quoſt aliquot annos tantum intelligamus. Sic Apostolis omnibus contingit, qui plura à Christo dicta & facta, tandem post Ascensionem ipsius in cœlum intellexerunt. Sed audiamus ipsius Sancti Euangelij contextum.

Nunc uado ad eum qui misit me: & nemo ex uobis interrogat me, Quo uadis? Horum uerborum duplex est sensus, primus quod Apostoli ad mentionem passionis domini sic perturbati fuerunt, ut præ nimia

tristitia

triſtitia non potuerint illum amplius interro- *Actu. 1.*
gare: ſecundus eſt quod Chriſtus eo modo ad
patrem conſcenderit, ut non fuerit neceſſarium
multis rogare quo tenderet. Videntibus enim
illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab ocu-
lis eorum. Cumq; intuerentur in cœlum, euntē
illum: ecce duo uiri aſtiterunt iuxta illos in ue-
ſtibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi, quid
ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus qui aſ-
ſumptus eſt à uobis in cœlum, ſic ueniet quem-
admodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Igi-
tur quando Apoſtoli, ipſis oculis uiderunt Ie-
ſum aſſumi in cœlum, & tantum ab Angelis au-
diunt teſtimoniū, non opus erat interrogando
dicere, Dñe quo uadis? Sed propter conſequen-
tiam textus uidetur mihi dominus magis loqui
de paſſione & morte ſua, quā de ſua in cœlos aſ-
cenſione. Pulchrum uero eſt, quo Chriſtus paſ-
ſionē & mortē ſuā uocet, tranſitū ad patrē ſuū
cœleſtem. *Sic poſt reſurrectionem ſuā loquitur.*
Oportuit Chriſtum, *hoc eſt, Meſſiam, pati, &*
ſic intrare in gloriam ſuam. Iam diſcipuli nō co- *Afflictio-*
uſq; perſeuerauerūt cū domino, ut uiderent quo *nes uia*
iret, ſed dū ab infidelibus caperetur ac uincire- *ad patrē.*
tur, illi omnes, relicto dño fugerunt. Ergo dum
Chriſtus eis prædicit paſſionem turbantur ſic,
quemadmodum diximus, ut præ timore domi-
nū alioqui non poſſint: dū patitur, non rogant,
quo uadat, ſed fuga quęrunt ſalutē: dum ad cœ-
los aſcendit, iam nulla opus eſt interrogatione,

quia uident ipsum ad patrẽ proficiscí. Cæterum debebat aliquẽ, consolationẽ Apostolis adtulisse, quod Christus dicit se ad patrẽ iturũ, atqui sic erant ad mentionẽ crucis consternati, ut nescirẽt quid dicerent, quidue facerẽt. Obseruandũ hic, qua uia nos præcesserit Christus ad patrem; per uiam arctam, per portã angustã, per passionem & crucem scilicet. Nouerimus itaq; & nobis per illã illo eundum esse. Oportet enim nos per
Actu. 14. multas tribulationes intrare in regnũ Dei &c.

Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum, sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Magno dolore, inquit, uos moueri sentio, quia ego abire omnino constituti. Verum quoniã iucundis utilitas præponenda est, ueritatem uobis operam: expedit uobis ut ego uadã. Quid turbarit discipulos, iam sæpius auditũ est. Nõ libẽter diuellebãtur à Christo, & iã audierunt etiã à domino, quid ipsis expectandũ à Iudæis. Atqui Chr̃s maluit eis uerũ dicere & eos ueritate cõtristari, q̃ uana spe aut falsitate illos decipere. Et hic oẽs fideles ministri uerbi exẽplũ habẽt, ut magis eligãt auditoribus suis uera dicere, quã iucũda, quã rẽ quũ facimus,
Esa. 30. utinã quidã nobis nõ uerterẽt uitio. In Prophetã legimus quod nostris temporibus non male conuenit. Populus ad iracundiã prouocans est,

&

& filiꝫ mendaces, filiꝫ nolentes audire legem dei. Qui dicunt uidentibus nolite uidere, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia, uidete nobis errores &c. Et apud Hieremiam loquitur dominus. Hier. 5. Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. Prophetæ Prophetabāt mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouiſſimo eius? Et rurſum apud Eſaiam. Populi meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. His addam quod apud eundem Prophetam uerbi dei pręconibus dicitur. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Sed longe terribilius eſt, quod apud Ezechielem legimus, Ezec. 11. in hunc uidelicet ſenſum, Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, & non uiues: non fueris locutus ut ſe cuſtodiat impius à uia ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinē autem eius de manu tua requiram. Hæc igitur quū ita ſe habeāt, nemo mihi uertat uitio quod contiones meæ ſubinde ſunt acres, & in repręhendo hominum mores ſatis ſeueræ. Vt nunc ſæculum præſens habet, blandis conſolationibus plus deſtruitur cꝫ ædificatur. Vana ſpe ducūtur omnes, pauci ſunt quorum animos timor Domini occupauerit. Aduerſarīꝫ dicunt ſe ſuis conſolationibus curare, ne populus in deſperationem ueniat. Nos uero conſiderata huius ſæ-

culi militia & hominum impœnitentia hoc curamus, ne populus uana aut potius impia præsumptione pereat. Sed hæc hactenus.

Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos, si autem abiero, mittam eum ad uos.

Verum est. Nisi Christus seſe pro nobis tradidisset in mortẽ, & sic per mortẽ redijsset ad patrẽ, paracletus nõ ueniſſet in nos. Non enim potuit nobis dare bona sua, nisi prius auferet à nobis mala nostra. Non potuit diuidere spolia, nisi
Luce. 11. si prius deuicisset hostẽ. Deuicto aũt hoste, ascẽdens Christus in altũ, captiuã duxit captiuitatẽ,
Ephe. 6. dedit bona hominibus. Adde & hoc, quod dũ Christũ præsentẽ habebant, cumq; eo conuersarentur familiariter, non habebant opus paracleto: nihil enim eis deerat, nemo eis molestus fuerat. Abeunte aũt Christo, totus mundus cõtra bonos Apostolos insurgere cœpit, ut Paracleti præsentia illis nõ fuerit superuacanea. Sequit.

Et cum uenerit ille, arguet mundũ de peccato, & de iustitia, & de iudicio.

Licet Christus ipse hæc tria declarauerit, tamen puto multos esse, qui hæc ipsa non admodum bene intelligant. Vos igitur qui uerborum domini sensum intelligitis patienter sustinete, donec & simpliciores intelligant, quid Dominus hoc in loco docere uelit. Paracletus arguet mundum

mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Hoc est, conuincet mundum iniustæ egisse & grauiter peccasse in eo, quod me Messiam suscipere noluerint, neq; meis uerbis fidem habuerint. Secundo Paracletus arguet mundum de iusticia, hoc est, conuincet eos iusticiæ meæ, probabit mundo me uere esse iustum, utcumq; me calumnientur Iudæi, iniustum & legis præuaricatorem esse. Quo uero probabit argumento? Eo nimirum, quod uado ad patrem, & iam non uidebitis me. Si enim iniustus essem, & legi Dei contrarius, nequaquam Deus Pater me ad se acciperet: Et si uobis similis peccator essem, non resurgerem à mortuis, sed sepultus in sepulchro corrumperer, ubi me uidere possent. Sed iam amplius me non uidebunt, quia uado ad patrem, quod euidentissimum argumentum est, me nihil designasse contra Deum Patrem cœlestem. Tertio, arguet Paracletus mundum de iudicio, quia princeps mundi iam iudicatus est. Quid sibi hoc uult, de principe huius mundi? Conabor totum negotium breuissimis aperire. Ecce tria sunt, de quibus loquitur CHRISTVS, Dei filius, Homo & Satanas. CHRISTVS Dei filius, & si uerus homo sit, tamen peccator non est, peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, ergo neq; pœnitentia, neq; remissione peccatorũ opus habet, ut qui iustus sit, & iustificans etiam alios. 1. Pet. 2. Rom. 3.

Hoc

Hoc præter cetera, probauit sua à mortuis resurrectione, & ad cœlos ascensione. Homo uero peccatis maculatus est, nec potest ab illis emundari, nisi Christo credat, eiq; sese dedat. Satanas autem autor peccati est, & omnis iusticiæ osor, tantum abest ut pœnitentiam agat, & resipiscat: Ergo & hic conuincendus est iudicij, hoc est cõdemnationis. Explicatius dicam. Satanas hactenus tanq; princeps huius mundi, totum mũdum sceleribus & criminibus impleuerat, & in multorum cordibus & Templis regnauerat. quoniam scilicet non erat, qui eum posset uincere. Iam uero uenit Christus, eum uicit, peccata deleuit, illum non tam ex templis q; ex cordibus hominum eiecit, qua re satis ostenditur, cũ iam esse iudicatum, & è regno, quod iam diu occupauerat, eiectum. Hæc omnia quomodo Paracletus per Apostolos fecerit, dicta & facta ipsorum satis declarant. Nouimus enim, Apostolorum prædicatione, multos populos ab erroribus ad ueritatem reuocatos, nouimus Apostolos Christi gloriam semper & ubiq; illustrasse: nouimus multa dæmonia Apostolorum ministerio fuisse eiecta: nouimus deniq; multa Idolorum delubra in Christianorum Templa fuisse conuersa. Cęterum D. Augustinus hanc rem his uerbis explicat. Hoc est arguere mundum, inquit, ostendere illi uera esse, quæ credere noluit.

Iohan. 3. Credere enim noluit à Deo uenisse saluatorem. Saluator autem seruata iusticia, non trepidauit reuer-

reuerti ad eum qui se miserat: & per id quod regressus est probauit se inde uenisse. Quia nemo inquit, ascendit ad Deum, nisi qui descendit à Deo. Videntes ergo potestates ascendere eum, confusę sunt, uidentes uerum esse quod uelut fallum spreuerant. Itaq; ista iusticia arguit eos, quia iustum probatum est, quia regressus est unde uenerat. Sic autem arguit eos de peccato, quod non solum credere ei noluerunt, sed & occiderũt eum. De iudicio uero sic eos corripuit, dum ostendit Principem mundi reum factum & comprehensum ab eo, cuius fidei non communicarunt. Videntes enim animas, de inferis ire ad cœlos, cognouerunt adiudicatum esse principem huius mundi, ut reus factus in causa saluatoris, quæ tenebat, iure amitteret. Hæc quidem ascendente Saluatore uisa sunt: sed superueniente in Discipulos spiritu sancto, palam apertéq; manifestata sunt. Vera enim correptio tunc fuit, quãdo post passionem resurrectionemq; ad testimonium saluatoris, publicé à perfidis uidebantur resurgentes mortui, claudi currentes, lęprosi mũdati, Paralytici confirmati, cæci aspicere, surdi audire, muti eloqui, dęmoniaci purgari, infirmi recuperata sanitate gratias agere. Hoc modo Spiritus sanctus arguit mundum, quia in nomine saluatoris, qui reprobatus est à mundo, omnium curationum uirtutes operatus est. Hactenus D. Augustinus Quæstio. Veteris & Noui Testament, Quæstione octuagesima nona.

Ad

Adhuc multa habeo uobis dicere: sed non potestis portare modo.

Quæ illa multa sint, tum Apostolis importabilia, quis poterit certo designare? Hoc tamen omnibus CHRISTIANIS persuasum esse debet, Apostolos multa post ascensionem domini, & post S. spiritus missionem intellexisse, quæ ante non nouerant. Hinc in Euangelio legimus Apostolos hoc uel illud non intellexisse primum, sed tum quando Christus à mortuis resurrexit, illa intellexisse. Sic D. Petrus qui antea uolebat prohibere CHRISTVM ne pateretur, postea omni populo persuadere laborat non alia ratione, nisi per passionem & mortem CHRISTI, nos salutem consequi posse. Sic existimamus Apostolos in ædificandis & ordinandis Ecclesijs, nihil temere, sed omnia ex instinctu spiritus sancti instituisse. Cæterum hic nos uellicant aduersarij, quod hoc Domini dicto ritus & Cæremonias Ecclesiæ defendere uelimus, quum hi tales sint, qui non magna spiritus sancti instructione opus habeant. Respondeo quod res est Dominum nostrum IESVM CHRISTVM nihil hic per iocum ad Apostolos dixisse, puto inter nos & aduersarios conuenire. Secundo quod spiritus sanctus suo functus fuerit officio, neminẽ Christianorũ ignorare puto. Ergo per spiritũ sanctum multa acceperunt, quæ Christus ipsis non aperuerat. Tertio,

puto

puto & hoc ex confessis esse, Omnia Apostolorum dicta & facta non fuisse ab Apostolis conscripta. Necesse itaq; est, à proximis illorum successoribus discamus, quæ nam ab Apostolis & dicta & facta fuerunt. Porro ne in illis dijudicandis decipiamur, existimo hanc esse certam Regulam, ut primo uideamus, ne aliquid Apostolorum nomine proferatur, quod ipsorum scriptis contradicat. Secundo an gloriam Christi & ædificationem Ecclesiæ faciat. Si hanc non tam habent, nullo modo reijci debent. Fatemur & hoc, multas cæremonias & ritus in Ecclesiam introductas, quibus olim Ecclesia ædificabatur, quum iam illis ipsis corrumpatur. Irrepserunt item nonnulli, priuatorum quorundam supina & curiosa pietate, aut superstitione forsan uel Hypocrisi, qui & illi non defendendi & prorogandi, sed cum modestia tollendi sunt. Sed *in dubijs uereor nos, et aduersarios nostros parum conuenire, in altero quod isti uerum* usum cum abusibus confundunt, *lucem appellantes tenebras*, & tenebras lucem, alterũ uerò quod illi ferè omnibus potestatem faciunt, quæ uolunt figendi & refigendi: quod quã impium sit, & à consuetudine ueræ Ecclesiæ alienum, omnes pij intelligunt. Sed hac de re forsan alias. Scio qui huic infelici negocio ansam præbuerunt. Domini immerito dormiunt, & serui non probe uigilant. Sed ad reliquum contextũ.

Cum

Cũ aũt uenerit ille (de paracleto loquitur) Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem: non enim loquetur à semetipso: sed quæcumq; audiet loquetur, & quæ uentura sunt, annunciabit uobis.

Quoniam dixerat Dominus se adhuc multa habere quæ Discipulos scire intererat, ipsos tamen rerum illarum non esse capaces: Iam ostendit quibus medijs ad illarum cognitionem uenire queãt. Dicit autem spiritum sanctum fore præceptorem illorum, & addit ei multa præconia, quibus ipsum commendabiliorem faciat Apostolis. Vocat eum spiritum ueritatis, qui ipsos docturus sit omnem ueritatem. Ab omni ergo errore præmuniti sunt Apostoli. Secundo dicit spiritum sanctum nihil noui conficturum uel contrarium his quæ à Christo audierant, docturum, sed tantum illa quæ accipiet, nimirum à Christo. Tertio, Et quæ uentura sunt annunciabit uobis. Hæc ex Apostolorũ scriptis, qui multa futura prædixerunt, satis liquet D. Cyrillus pulchrè hunc locum explicat. Cum autem uenerit, ait, non loquetur à seipso quicquã: id est non aliam quam ego docui disciplinam sequetur, nec alias leges feret: sed quum quasi mens mea sit, ea quæ mea sunt, reuelabit. Hæc à saluatore dicuntur, non ut ministri locum habere spiritus uideatur,

habere ſpiritus uideatur (ut imperite à multis prædicatur) ſed ut eiuſdem eſſe cum filio ſubſtantiæ confirmetur, propterea præmiſit : quia etiam uentura annunciabit uobis, ac ſi diceret. Id ſignum nobis ſit, ex mea illum ſubſtantia eſſe, & mentem eſſe quaſi meam, quia futura, ut ego, uobis prædicet. Quod faceret minime poſſet, niſi in me eſſet, & cum per me procedat, eiuſdem mecum ſubſtantiæ ſit. Hæc ille lib. 10. in Ioannem cap. 14. Pene eundem ſenſum habent, quæ his uerbis ſequuntur. **Ille me clarificabit : quia de meo accipite, & annunciabit uobis. Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.** Multa in his latent myſteria, ſcitu non minus pulchra quam neceſſaria. *Primum hic obſeruatione dignum exiſtimo*, quod in hoc loco *manifeſtiſſimis* uerbis ſuperbenedicta Trinitas exprimitur, & ſic deſcribitur ut uere cognoſcamus tres eſſe perſonas, eiuſdem tamen potentiæ. Chriſtus enim, hoc eſt, Dei unigenitus filius hic loquitur. Facit mentionem Spiritus ſancti, uocans eum ueritatis ſpiritum. Nos autem nouimus Chriſtum alibi dicere. Ego ſum uia, ueritas, & uita. Nominat item Deum patrem, inquiens.

Omnia quæcumq; habet pater mea sunt. Sic ali-
Ioan 17. bi ad patrem loquitur. Et mea omnia tua sunt:
& tua mea sunt. Iam collige. Quicquid pater ha
bet, idipsum & filius habet. Accedit spiritus san
ctus, & hic cõmunicat de bonis filij Dei ac Do-
mini nostri Iesu Christi. Sed hæc satis. Secun-
do obseruandum puto quam constans sit do-
ctrina nostra Christiana, quam Deus pater fil o
Ioan. 8. dedit, filius per spiritum suum in corda Apo-
stolorum infudit. Apostoli rursum eiusdē Spi-
ritus sancti cooperatione in nos transfuderunt.
Alibi loquitur Christus. Ego à me ipso non lo-
quor, sed omnia, quæ audiui à patre meo, hæc
loquor in mundo. In huius uero Euangelij lec-
tione dicit de Spiritu sancto. Ille de meo accipiet, & annunciabit uobis. Cæterum, hic ma-
gna quæstio est, quousque tandem se illa ma-
gnifica promissio de Spiritu sancto extendat, ad
Apostolos ne tantum, an ad reliquos Christia-
nos: Et, si ad reliquos Christianos, an ad om-
nes, & singulos, an ne ad eos tantum, qui in A-
postolorum locum successerunt. Sed de his, quo
niam temporis angustia prohibet, & res ipsa
prolixiorem progressum postulat, non ita mul-
to post in alijs concionibus dicemus. Nihil igi-
tur iam supereſt, nisi ut eos adhorter, ut, quod
facitis, perpetuo faciatis, hoc est magno studio
uerbum Dei audiatis non dubitantes fore, ut
non sine magno fructu, & cum salute anima-
rum uestrarum illud audieritis. Quod si quid a-

cerbum

cerbum, aut minus blande uerbum Dei sonuerit, cogitare hoc ipsum pertinere ad extinguendum carnis uestræ deprauatos affectus. Postremo rogate Dominum, quatenus dignetur nobis impartiri spiritum suum sanctum, spiritum ueritatis, qui nos ducat in omnem ueritatem, ut ab omni errore, & mendacio liberati, secure seruiamus Domino in sanctitate, & iustitia omnibus diebus nostris: ita enim fiet, ut & nos uadamus ad eum, qui misit nos, patrem uidelicet celestem, qui cum filio, & spiritu sancto regnat unus Deus per æterna secula seculorum Amē.

DOMINICA VOCEM IOcunditatis. Ioan. 16.

IN illo tempore: Dixit Ihesus discipulis suis: Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, usque modo non petistis

Kk ij quicq̄

quicq̃ in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum uobis, uenit hora cum iam non in prouerbijs loquar uobis, sed palam de patre meo annunciabo uobis. In illo die in nomine meo petetis, & nõ dico uobis, quia ego rogabo patrem de uobis, ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, quia ex Deo exiui. Exiui à patre, & ueni in mundum, iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Dicũt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis, nunc scimus, quia scis omnia, & nõ opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo existi.

EXPOSITIO.

Et

ET hæc Euangelij lectio patrem cõtinet illius precioſiſſimi Sermonis quem Dominus in ultima cæna, iam iam ad paſſionem & crucem iturus habuit, poſtquam enim multa dixiſſet de futuris, & inſtantibus periculis, quæ ſuper ipſum, & Apoſtolos uentura erant, decꝫ mittendo paracleto, & huius officio tandem dixit, quod iam ex Euangelij lectione audimus. **Amen amen dico uobis, ſi quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis.** Tales promiſſiones multæ ſunt in ſacris ſcripturis, tam ueteris quam noui teſtamenti. In Pſalmis legimus. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eũ, omnibus inuocantibus eũ in ueritate, uoluntatem timentiũ ſe faciet, & deprecationẽ eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. *Pſal.144.* In Eſaia uero dicit Dominus. Et ritecꝫ antecꝫ clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Sic in Hieremia, Oratis me, inquit Dominus, & ego exaudiã uos, Quæretis me inuenietis: cum quæſieritis me in toto corde ueſtro, inueniar à uobis. Hæc tria teſtimonia ſuffecerint ad noſtrum inſtitutum ex ueteri teſtamento. In nouo teſtamento multis in locis eaſdem promiſſiones legimus. Petite, inquit, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. Et iterum. Si duo ex uobis cõſenſerint ſuper terram, de omni re quamcũcꝫ *Eſa.65.* *Hie.29.* *Math.18*

petierint fiet illis à patre meo, qui in cęlis est. Et, ne nimius sim, in præsentis Euangelĩ lectione, Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Quis non uidet ibi magnificas promissiones? Iubet nos Dominus petere, & promittit quod uelit nobis petita concedere. Ergo omnis res in uado est. Quicquid est, quod te angat, effunde in sinum domini, & statim liberaberis. Quid porro dicemus ad hæc quod in alijs locis legimus Deum nos exaudire nolle: & quod multi rogauerunt, qui repulsam passi sunt? Respondemus Deum ueracem esse, nec scripturas cum scripturis pugnare: unde constat non Deum, sed nos in causa esse, quominus exaudiamur aliquando, etiamsi diligenter orauerimus. Breuiter dicam. Si tu uis habere postulata, uide ne negligas mandata. Fac, inquit Dominus, quæ præcipio, & recipies, quæ promitto. Scilicet tu per omnia crimina curres, contemptisq; Dei præceptis, libidinem animi tui sectaberis: & quum uentus contrarius te afflauerit, statim clamabis ad Dominum pro liberatione existimans ipsum tibi nihil debere negare. Ergo deus non te puniet propter maliciam tuam, sed tibi benefaciet propter promissionem suam. Falleris, mi frater, falleris. Et qui te beatum dicunt, O populeme us, ipse te decipiunt, Libenter audio quod multi dicunt. In omni petitione duo maxime esse spectãda, alterum, quod iussit nos orare dominus, alterum, quod

pollis

pollicetur exauditionem. Sed uelim & illud adiici, quod etiam aliquid à nobis requiratur. Nam si iubet nos Dominus orare, & pollicetur exauditionem: multi tamen orant, qui nihil impetrant, etiamsi nihil mali orent, consequitur defectum esse in nobis, non in Deo, qui uerax est, & mentiri non potest. Vociferant aduersarij solam fidem sufficere ad impetrandū, quod petimus, & addunt illud D. Iacobi. Postulet in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à uento mouetur, & circumfertur: non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Audio hæc omnia, & Breuiter id, quod res est, respondeo. Si omnis, qui fidem habet, exauditur, qui fit quod Paulus, qui utique fidem habuit, exaudirus non est? Sic Samuel, sic Heremias, sic alij atque alij boni uiri, qui cum pro se, uel pro alijs postularunt, non perpetuo sunt exauditi. Et quod D. Iacobi Epistolam adtinet, non solum prior illa sententia, quæ uerissima est, iactari debet, sed & illa eiusdem Apostoli: Petitis & non accipitis, eo quod male petatis. Sed quid opus est multa contentione? Si uolumus preces nostras exaudiri, primum necesse est talia petamus, quæ & Deum dare, & nos accipere deceat: secundo ut tales simus, quos merito exaudiat Deus. Hic rursum audio, nos non habere in petitione respicere ad merita nostra, uel ad dignitatem Iacob. 1.

nostram, sed ad meritum Christi. Nec̃ his contradico, modo tales simus qui de meritis Christi participemus. Atqui quisquis adhuc præfracto animo contra Christi præcepta militat, nolitq̃ mutare prauam suam uoluntatem, non uideo quid illi prosint, aut prodesse possint merita Christi, Sed audiamus scripturas ipsas. Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Et rursum. Quia uocaui, et renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoq̃ in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cum uobis id quod timebatis aduenerit. Et nõ ita multo post sequitur. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam. Quis talibus scripturis audeat contradicere? Non quæro precatores, qui nullum peccatum habeant, sed qui peccatorum pœnitentia tangantur, proponantq̃ uitæ emendationem. Repente loquar, inquit Dominus, aduersum gentem, & aduersum Regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui ut facerem ei. Et subito loquar de gente, & de Regno, ut ædificem & plantem

Pro. 1.

Esa. 1.

tem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut nō audiat uocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei: Hæc locutus est Dominus per Prophetā: quod si quis lusum existimat, suo maximo malo experietur olim, quid sit in peccatis uolutari, nullam pœnitentiam agere, & tamen sibi polliceri bene fauentem Dominum. Nemo uos fallat, admoneo uos Chariss. nemo uos fallat. Deus adiracundiam prouocatus est sceleribus nostris, flagellat nos, ut ad pœnitentiam curramus: quod si uoluimus, ipse iustus manebit, & nos iniquitatis nostræ pœnas dabimus. Quid est, quod intra Ecclesiæ septa sumus, & quæ Ecclesiæ sunt magnificis uerbis extollimus, magnoque serio hostes Ecclesiæ uituperamus? Est quidem aliquid: sed nihil proderit, nisi uita & moribus declaremus nos esse filios Ecclesiæ, Nos non curamus quod Hæretici se uocant Catholicos, quū uideamus illos & uerbis, & factis longe alia designare quam Catholicos deceant; Sic utrumq; iactemus uerbis, nos esse filios Ecclesiæ Catholicæ, nihil nobis proderit, immo multum obeerit, nisi tandem respiciamus: Iam olim ad nos clamat Propheta. Hæc dicit Dominus, exercituū deus Israel. Bonas facite uias uestras, & studia uestra, & inhabitabo uobiscum in loco isto. Nolite confidere in uerbis mendacij, dicentes, Hiere. 7.
Templū domini, Templum domini, Templum domini &c. Sed hæc iam satis, quæ mihi extor-

ſerunt praui noſtri mores,& aduerſariorum no ſtrorum intempeſtiuæ conſolationis. Ad Euangelĩ contextum rurſum tranſeundum eſt. Amen amen,inquit,dico uobis,ſi quid petieritis patrẽ in nomine meo,dabit uobis. Nihil eſt, inquit, O mei diſcipuli,quod metuatis, etiam ſi iam à uobis abiero. Si quid malorũ ingruerit, ſi quid eſt,quod uos angat,ſi qua re tandem opus habetis, conuertite uos ad patrem ueſtrum cæleſtem,& hunc inuocate,ut uobis meo nomine ſubueniat, & certo hoc ipſum faciet.

Vſq; modo non petiſtis quicquam in nomine meo. Hactenus,inquit,donec inter uos aſſidue ſum uerſatus,non conſueuiſtis rogare patrem meum in nomine meo, uidelicet mihi per omnia fidentes,atque in me ſpem omnem habentes repoſitam,ad quem & in periculis omnibus promptum ſemper habuiſtis refugium,propter quod meæ inhærentes corporali præſentiæ,non conſueuiſtis patrem alloqui. Alibi alloquitur Chriſtus ſuos Apoſtolos dicens. Quando miſi uos ſine pera & baculo, nunquid aliquid defuit uobis? Reſpondent illi, Nihil, ergo non habebunt opus aliquid petere.

Petite & accipietis, ut gaudium ueſtrum plenum ſit. Hoc eſt. Nolo uos in aliquo deficere: proinde ſi qua re indigetis,ſtatim ad Deum conuerſi petite,quæ uultis, & accipietis,

cipietis, ut gaudium uestrum plenum sit: hoc est ut nihil sit, quod uos conturbet. Hęc porro non ita intelligenda sunt, quasi Christus uelit discipulos suos ab omni tentatione, & perturbatione immunes seruare: sed ut cum gaudio perferant, quæcunq; ipsis contingant, à Deo, & petendum & accipiendum docet.

Hæc in prouerbijs locutus sum uobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar uobis, sed palã de patre annunciabo uobis. Prouerbium appellat occultiorẽ & obumbratũ sermonem qui cũ obscuritate tegatur, nõ facile ab audientibus capit. Multa ergo in hoc ultimo sermone locutus fuit Christus, quæ & si iam nobis aperta uideantur, tamen non percipiebant tũ ab ipsis Apostolis. *Hinc est* ꝙd ad illos dixit. *Adhuc multa habeo uobis dicere, quę non poteſtis portare modo. Cũ aũt uenerit paracletus, spiritus ueritatis, ille docebit uos omnia. Christus itaq; postq; à mortuis resurrexit, accessit ad suos Apostolos per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno dei. In die uero pentecostes, accepto Spiritu sancto, Apostoli loquebantur uarijs linguis magnalia dei, iam satis intelligentes mysterium Regni dei, quod ipsos antea latuerat.*

In illo die in nomine meo petietis: & non dico uobis, quia ego rogabo

patrem

patrem de uobis. Ipse enim pater amat uos &c. Hoc est, posteaquam à mortuis resurrexero, & mysterium Regnum Dei uobis aperuero, deinde assumptus in cœlum, paracletũ uobis mittam, tum interpellabitis patrem in nomine meo. Intelligens enim quo nomine tam multa perpessus, et cruci affixus fuerim, intelligetis quod morte mea uobis uitam æternam promeruerim, sicque causa salutis uestræ factus, & ideo intelligetis, quod quæcumq; uobis pater dabit, per meritum meum uobis dabit. Ne autem putarent Apostoli Deum patrem sic offensum esse ipsis, ut patrono apud ipsum opus habeant, remouet Christus illam opinionem, & dicit, Et non dico uobis, quia ego patrem rogabo de uobis, ipse enim pater amat uos &c. Hoc est. Non necessarium est, ut uobis patrem conciliem, ut pote qui uobis non sit offensus, sed amet uos, quia uos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Hæc sic intelligenda sunt, alias enim pugnaret, cum alijs scripturæ locis, quæ testantur Christum interpellare pro nobis apud patrem. Est & aliud hoc in loco obseruandum, quod D. Augustinꝰ adnotauit. Loquitur ita Christus ad suos Discipulos Ipse pater amat uos, quia uos me amastis: hoc autem non ita intelligendũ est, quasi nos antea dilexerimus Christum, quam nos amarit pater cœlestis, & quasi amore nostro promeriti fuissemus, ut nos pater

cælestis,

cœlestis, nõ ex gratia: sed ex debito amare: hoc inq̃, non se ita habet. Hinc enim factum est, ut diligeremus qui dilecti sumus. Prorsus donum dei est diligere Deum, quoniam ipse ut diligeretur, dedit, qui non dictus, dilectus. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis, unde placeremus. Amat nos pater, quia nos amamus filium: cum à patre, & filio acceperimus, ut & patrem, & filium amemus. Sed audi ipsum Apostolum Ioannem. In hoc est Charitas, inquit, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium propiciationem pro peccatis nostris. Sed hæc hactenus. 1. Ioh. 4.

Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Hoc hominibus Christianis notum est, quod scilicet filius Dei è cœlo ueniens in uterum uirginis, hominem assumpserit, et de uirgine natus in hoc mundo conuersatus sit, usque ad præfinitum tempus à patre: deinde à mortuis resurgens, post quadraginta dies ad cœlos conscendit, & abijt ad patrem. Hoc inquam, nobis hominibus Christianis notum est, eatenus tamen, quatenus nobis hoc ipsum scriptura sacra proponit, & sensus nostri comprehendere ualent. Ex parte cognoscimus, inquit Paulus, & ex parte prophetamus. Quis enim nostrum cogitare, nedum per omnia explicare poterit, quomodo filius dei in mũdum uenerit, neq̃

necq; tamẽ patris dexterã reliquerit? Item quod ascenderit ad patrem, necq; tamen nos reliquerit.

Iohan. 3. Alibi stans in terra cum Nicodemo dicit de cœlo filius hominis, qui est in cęlo. Quomodo hoc possit sensus comprehendere humanus? In terra loquitur, & ad dexteram patris sedet. Et qui iam dicit, Exiui à patre, & ueni in mundũ, iterum relinquo mundum, & uado ad patrem A-

Mat. 27. libi iam iam ascensurus in cælum, dicit. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Vtrumq; uerum est, siue intelligamus, siue minus. Nos itaq; de ueritate uerborum Christi nihil dubitantes, cum patientia expectemus eum diem, in quo euacuabitur, quod ex parte est, & apparebit, quod perfectum est.

Dicunt ei Discipuli, Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis &c.

Boni discipuli ideo putant se iam uerba Christi recte intelligere, quum de aduentu, abitu & reditu uideatur aperte locutus esse, nam quod antea dixerat. Modicum & non uidebitis me, & iterum modicum, & uidebitis me, quia uado ad patrem: non intellexerunt, Verum enimuero nec hæc uerba, Exiui à patre & ueni in mundum &c. satis intellexerunt, quia ignorarunt rationẽ, quare Christus dei filius tradendus esset in mortem. Et hoc sæpissime fit, ut qui putant se omnes

res

res habere exploratissimas, in multis hallucinentur. Et cum his quidem, qui præter uoluptatem suam in errore hærent, merito patientia habenda est, si qui uero sunt, qui contra cognitam ueritatem pugnãt, illa nulla ratione excusari debẽt. Sed paucis, quæ diximus in compendium redigamus. Diximus itaq; primo, Deum opt. Maximum præcipere, ut in necessitatibus nostris ad ipsum curramus, eundemque promisisse quod nos exaudire uelit. Secũdo diximus, etsi de precando, et exaudiendo præceptum illius habeamus, tamẽ à nobis pendere, ut uel exaudiamur, uel minus. Ecce non est abbreuiata manus domini, inquit Propheta, ut saluare nequeant, neq; aggrauata est auris eius, ut nõ exaudiat, sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos, & Deũ uestrum, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret. Agamus igitur peccatorum nostrorum pœnitentiam, & tum experiemur petitiones nostras non fore frustraneas. Nam etsi Deus nõ semper nobis dat, quod petimus, tamen, si recte petimus, dabit uobis ea, quæ merito ab illo expectamus, & quæ nos accepisse ex animo gaudere ualeamus Dei dominus, ut omnia iuxta uoluntatem illius peramus. Sic enim fiet, ut & illi in præsenti placeamus, & post hanc uitam, eternam possideamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui est Deus benedictus in secula. Amen. Esa. 59.

In festo

IN FESTO ASCENSIO-nis Christi. Mar. 16.



N illo tempore: Recumbẽtibus undecim apparuit illis Iesus, & exprobauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui uiderant eũ resurrexisse, nõ crediderunt. Et dixit eis: euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Signa autẽ eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus

nus quidem Iesus postq̃ loquutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedit à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt ubiq̃ domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

EXPOSITIO.

EX historia actuum Apostolorum satis liquet Euangelistas non omnia conscripsisse quæ ipse Christus à resurrectione sua cum Apostolis uel egerit, uel locutus fuerit. Nam quod Christus per quadraginta dies Apostolis apparuerit, & cum ipsis de Regno dei locutus fuerit, Lucas disertis uerbis testatur. *Quomodo uero eis apparuerit, & quoties, & quibus argumentis aperuerit illis mysterium regni, conscriptum non est. Quæ uero* conscripta sunt, ad hoc sufficere debet, ut credamus quod Iesus Christus est filius Dei, & hoc credentes uitam habeamus æternam. Sic in hodierno Euangelio legimus, quod Recumbẽtibus undecim discipulis apparuit eis Iesus, & exprobauit incredulitatem eorum &c. Sed quibus uerbis eos increparit,

creparit, non legimus In Euangelio Ioannis legimus Thomam noluisse credere discipulis reliquis, quod Iesus resurrexisset à mortuis, nisi uideret in manibus Christi fixurã clauorũ, & uulnus illud lateri domini infixũ. In Luca sic alloquitur duos discipulos eũtes in Emaus. O stulti & tardi corde ad credendũ in omnibus, quæ locuti sunt prophetę: nonne hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriam suam? Et apud eundẽ Euangelistã scribitur mulieres quidẽ uenisse ac de domini resurrectione testificatas fuisse apud Apostolos, hos tamen mulieribus credere noluisse. Recte ergo exprobrat illis incredulitatem ipsorũ, & duritiã cordis, quod his, qui uiderãt eũ resurrexisse à mortuis, nõ crediderãt. Profecto multa habebant eius rei testimonia. Præcesserant Christi resurrectionem præfigurantes multæ figurę in Isaac, in Sampsone, in Iona & in alijs. Extant multa prophetarũ oracula, quibus serio & diligenter pronunciatur Christũ in sepulchro nõ corrũpendũ, nec animã eius in inferno relinquendã. Audierãt itẽ sępe à Christo ipso, ꝙd tertia die esset à mortuis resurrectus: atqui nunq̃ deprehensus fuit ab eis in ullo mẽdatio. Qui fit igitur ꝙd in hac re illi fidem habere nolunt? Post testimoniũ dãt Angeli, mulieres, Petrus, discipuli, qui ierant in Emaus. Christus itẽ ipsis sępiuscule apparet, tamen adhuc inter illos sunt, quos de resurrectione dñi dubitare nõ pudet. An non ergo reprehẽdũtur merito, qui

qui post tantam turbā testiū manent incredulꝰ? In magno periculo est, qui sibi plus æquo fidit, qui negat fieri posse, quod ipse ratione consequi nō potest. Cæterū magna hic domini benignitas apparet, quum discipulos suos, immerito iā incredulos, increpat quidē, & arguit eorū incredulitatem nec tamen eos reiicit. Habemus enim Pontificem, qui potest cōpati infirmitatibus nostris. Duo itaq; mihi hoc in loco uidentur non immerito obseruanda. Primum quod incredulitas Apostolorū, magnum robur, magnumque testimonium perhibet fidei nostræ. Nam illorū incredulitas in causa fuit, quod Christus toties suam resurrectionem probauit. Alterum, quum uidemus Christū incredulos ac infirmos discipulos non reiicere, speramus quod etiam nos non sit reiecturus etiam si non omnia ad amussim intelligamus. Admonet itē nos hoc exemplum Christi, ut et nos discamus aliquam infirmiorū rationē habere. Sed uideamus sequentia.

Et dixit eis. Euntes in mūdum uniuersum, prędicate Euangelium omni creaturæ. In Mathæo legimus Christum sic Apostolos suos alloquutum. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcūq; mādaui uobis; & ecce ego uobiscum sum omnibus

nibus diebus, usq; ad consummationem seculi,
Ab initio Euangelicæ prædicationis, aliud man-
Mat. 10. datũ acceperant, nimirum illud. In uiã gentiũ ne abieritis, & ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierũt domus Israel. Hic ergo non iubentur prædicare omni creaturæ, sed tantum Iudęorum populo: licet alibi tamẽ nõ dissimulet Christus, Apostolos non ideo à se electos, ut solis Iudæis prædicarent, sed
Mat. 5. potius ut toti mundo. Hinc est quod eos uocat Lucem mundi, & Sal terræ, Audis mundũ, audis terram, quibus certe non soli Iudæi appellãtur. Cæterũ non est necessarium hic multis disquirere quõ prædicandum sit Euangeliũ omni creaturæ: quũ hoc ipsum ex alijs locis satis clarescat. Quod enim hoc loci legimus. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ, apud Mathęũ, sicut supra recitatum est, dicitur. Euntes docete omnes gentes. Et in Apostolorũ actis sic explicatur. Accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti in uos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudęa & Samaria, & usq; ad ultimum terræ. Itaq; non alia ratione dixit Iesus, Euangelium omni creaturæ prædicandum esse, nisi ut intelligeremus non solis Iudæis, sed & gentibus illud esse prædicandum. Iam multa colligimus ex his paucissimis domini uerbis. Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Primum, si Euangelium omni creaturæ prædicandum

dicandum est, consequitur omnes homines Euangelij prædicatione opus habere, & Deum omnes homines uelle saluos facere. Omnis autem creatura non tantum sunt illi, qui tempore Apostolorũ uixerunt, sed omnes homines sparsim omnibus tẽporibus mundũ incolẽtes. Nec salus à deo promissa tantũ pertinebat ad Apostolorum contemporaneos, sed ad oẽs homines omniũ ætatũ. Certum itaq; est Euangelium in mũdo esse prędicandũ, donec manserit ipsa creatura quæ Euãgelij capax est. Ecclesia Dei etiam propter quã Euãgelij ministeriũ institutum est, durabit usq; ad nouissimũ diẽ, & glorioſum reditũ Iesu Christi. Necesse est itaq;, ut tã diu et Euangeliũ cõcione spargatur, & Iesu Christo per illud colligãtur et cõscribãtur in futuro, suo ęterno regno æterni ciues. Vide tu aũt (hoc quod secũdo loco obseruandũ puto) quã simpliciter & iuxta mũdi opinionem stulte, Christus maxima sua negocia expediat, *Rationi enim nihil ridiculosius et stultius apparere potuit*, quã paucos, obscuros, indoctos, pauperculos & inermes aliquot uiros, adferentes doctrinã contrariã rationi, & inuisam omnibus, à deo in uniuersum orbẽ extrudi, & cõmitti cũ toto mundo omnibus artibus instructissimo, ut abrogarent Mosaicam religionẽ diuinitus institutã, & excinderent Idololatriam & superstitionẽ gentium, pro qua usq; ad mortẽ semper decertarũt: persuaderentq; mundo, hominẽ affixum cruci

esse Deum, in eius potestate omnia esse sita, in eo solo positam esse salutem mundi, omnesque gentes suis superstitionibus relictis in hunc debere credere, si seruari uelint. Certe hæc res est satis ardua, & mundi iudicio impossibilis. Vtcumq; autem stulta apparuerint huius instituti consilia, & quantūuis debilia æstimata fuerint eius auspicia, euentus tamen declarauit, nihil his fuisse sapientius ac potentius. Dei uirtus semper coniuncta est eius mandatis & consilijs. Frustra itaque reluctatur his mundus cum omnibus inferorum portis. Simplicia uerba sunt. Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Sed adiuncta est eis Dei uirtus expugnandi & subijciendi totum terrarū orbē: consilium Dei stabit, & omnis uoluntas eius fiet. Rursum repetenda sunt illa uerba.

Euntes in mundum uniuersum, prędicate Euangelium omni creaturæ.

Quid? An possibile est, ut Apostoli tam pauci uniuersum orbem peragrare possint? Non uidetur uerisimile, maxime cum tam pauci fuerint, & aliquando diu in eodem loco hæserint: adde quod aliqui ex horum collegio non diu post Christi assumptionem interfecti fuerint. Quid igitur dicemus ad hæc? An dicemus, quod Christus Apostolis rem impossibilē præceperit? Nemo hoc dicet. Sed quod Apostolis hoc in loco dicitur, omnibus uerbi ministris dicitur

citur quorum est prædicare Euangelium omni creaturæ. Audi quid Psalmus dicat. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Etsi enim Apostoli ipsi, corporis præsentia non potuerint ad omnes orbis terrarum fines peruenire, tamen sonus & uerba eorum ad omnes gentes peruenerunt. Non enim prædicamus aliud Euangelium, quam quod prædicauerunt Apostoli ipsi. Iam his sic præmissis aliud obseruandum est. Cum Christus dicat, Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, quo de Euangelio loquatur. De eo ne quod est secundum Mathæum, an Marcum, an Lucam, an secundum Ioannem? Sed non opus est hac interrogatione, quum nullus illorum scriptorum adhuc scripserat. Quid igitur? Euangelij nomen non *solum* intelligitur, quæ scripto tradiderunt Apostoli & Euangelistæ, sed omnia illa, quæ Christus *dixit*, & *quæ postea spiritus sanctus* Apostolis *suggessit*, *siue scripto*, *siue uiua traditione* ad nos peruenerint. *De hoc Euangelio*, non tantum de scripto intelligendum est, quod Paulus nolter in Galatis scribit. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet uobis præter quam quod Euangelizauimus uobis, anathema sit. Non, inquit, præter id, quod scriptum est (nam certe Ioannes tum non scripserat) sed præterquam quod Euangelizauimus uobis. Erant itaq; qui Euangelio scripto sic

Gal. 1.

mordicus hærent, ut traditiones & dogmata Ecclesiæ quæ in Canonicis scripturis non ponuntur expresse, aut reñciant, aut certe suo loco non habeant. Sed quoniam hac de re sæpe diximus, ad alia festinemus. Iubet Dominus Euangelium prædicare omni creaturæ, totum utiq; Euangelium, non partem Euangelij. Euangelium autem uoco, non tantum promissiones de remissione peccatorum, sed etiam præceptiones & comminationes. Neque enim de solis promissionibus dictum est. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: sed de omnibus quæ Iesus Christus Dei filius in hoc mundo locutus est. Si tantum promissiones Christi de remissione peccatorum Euangelij loco apud nos habentur, non Christi gloriam, sed nostram quærimus licentiam. Non puto boni filij esse tantum amare patris promissiones, & egre ferre illius præceptiones. Euangelij itaque nomine uniuersum Nouum testamentum significatur, sicut & legis nomine uniuersum uetus testamentum, siue præceptiones, siue comminationes, siue promissiones nobis proponitur. Enimuero Nouum testamentum à legis nomine non abhorret, immo & lex perfectæ libertatis à Diuuo Iacobo appellatur, cum ueri filij Dei non minori gaudio suscipiunt præcepta Dei, quam promissiones Dei. Sed quid opus est uerbis? Euangelista Euangelistam interpretatur:

Quod

Quod enim hic D. Marcus dicit. prædicate Euangelium omni creaturæ, Mathæus dicit. Docete omnes gentes, docentes eos seruare, omnia quæcumq; mandaui uobis. Apud Lucam uero legimus. Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Ergo & pœnitentia pars Euangelij est, quæ certe non sola fide, sed etiam operibus constat. Sequitur. **Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit &c.**

Hic Ecclesiæ insultant Lutherani, & horum improba proles Anabaptistæ: hi uellicant baptismum, illi fidem: & utricq; errant, aut potius blasphemant, Lutherani fidei nomenclaturam soli fidei de remissione peccatorum alligatam nolunt. Anabaptistæ fidei professionem alligant baptismo. Quam prudenter uero faciant Lutherani, iam iam supra dictum est. Dixerat Pater cœlestis, *super filio suo, Hunc audite. Si in solis promissionibus audiendus est Dominus, recte* illi sentiunt: Sed contrarium constat. In Euangelio legimus Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. Quid sibi uult in utroq; loco uocabulum fidei siue credendi? Ex Mosis ultimo libro audiemus. Prophetam suscitabit uobis Deus de fratribus uestris, tanq; me, ipsum audietis. Ergo sicut non sufficiebat credere uera esse, quæ dicebat Moses, sed oportebat ipsi obtemperare, ita Christo & credendū & obediendum est. Quod

Anabaptistas adtinet, qui putant neminem debere baptizari, nisi prius fidem profiteatur (hūc enim errorem ex Lutheri dogmatis hauserunt) suo loco respondebimus, licet res tam futilis sit, quæ uix mereatur responsionē. Nituntur enim præcipuè hac insulsa ratiocinatione. Fides est ex doctrina. Fides debet præcedere baptismum. Ergo baptizari tantum debēt uerbo Dei edocti & credentes. Minorem cōfirmant hoc somnio, Christum cum dixerit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, fidem baptismo prætulisse, uelleq; ut non sine delectu baptizentur omnium Christianorum liberi, sed tantum illi, qui credunt in Christum, & fidem profitentur. Aiunt docendi & paptizandi ordinē in narratione commissionis Christi præscribi. Sed hoc ab illis dici potest, probari non potest. Si enim scripturæ testimonijs eiusmodi Regula statueretur, ea, quæ prius dicuntur, etiā tempore & ordine esse priora, bone Deus, quę portenta dogmatum ex hac Regula secutura & proditura essent? In principio creauit Deus cœlum & terram, ergo rerum principium fuit ante Deum, quia prius fit principiū & creaturę mentio, quàm Dei. Sed desino has stulticias insectari. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo demonia eijcient &c.

Querunt quidam hoc loci, quomodo hoc uerū sit, quod Christus hic de miraculis dicit, quum

tam

iam credentes non faciant miracula? Respondeo CHRISTI uerba non habere eum sensum, ut omnis credens & debeat & possit operari miracula, nec ut perpetuo ita fieri debeat. Ergo quum constet talia miracula fuisse à credentibus quibusdam edita, dum hoc rerum & temporum ratio postulabat, satis confirmata est CHRISTI promissio. Nec dixit CHRISTVS eos, qui operantur mirabilia, statim saluari posse. Notum est illud ex Mathæi Euangelio. Domine, Domine, noñe in nomine tuo Prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus &c.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est &c.

Non sic intelligendum est, quasi Dominus statim post ea uerba, quę iam ex Marco audiuimus, ad cœlos fuerit assumptus. In Euangelio Lucę & in APOSTOLORVM actis alia leguntur à Domino dicta, quæ *hic non memorantur*, & forsan plura locutus est, quàm ab omnibus Euãgelistis conscripta sunt. Proinde historia Ascensionis ex omnibus & singulis Euangelistis discenda est: & merito. Est enim res magni momenti, & quæ CHRISTIANIS magnam consolationem adferre debet. Olim homini dictum est, Terra es, & in terram ibis. Iam homini dicitur. Sede ad Dexteram Patris in excelsis, Christus enim homo est, frater & caro

nostra

Ephe. 4. noſtra eſt. Aſcendens itaq; in cœlum ſatis edocuit, hominibus iam patere aditum ad cœleſtia regna. Ipſe enim notas fecit nobis uias uitæ, ipſe abijt paraturus nobis locum. Quod aſcendit inquit Paulus, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit ipſe eſt qui & aſcendit ſupra omnes cœlos, ut adimpleret omnia, Sed hæc ſatis: Scimus enim nos eorum omnium nos fore participes quæ frater noſter Ieſus Chriſtus adeptus eſt: hinc dicimur cum ipſo conuificati, conreſuſcitati, & cum eodem conſedere in cœleſtibus: Quod quum iam ſperamus, det Dominus, ut re ipſa experiamur, Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, Amen.

DOMINICA EXAVDI.

Ioan. 15. & 16.



IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis: Dum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, ſpiritum ueritatis,

tatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum uobis, ut non scandalizemini, absq; synagogis facient nos. Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neq; me. Sed hæc locutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.

EXPOSITIO.

LIcet breuissima sit huius Euangelij lectio, nemo tamen non uidet, quam latissimum campum præbeat diligenti Ecclesiastæ, de rebus magnis & arduis disputanti. Et ueteres quidem patres, hac Euangelij parte, multas multorum hæreticorum impias hæreses confutarunt, ut nunq; quieuerit Satanas lacessere Ecclesiam,

Ecclesiam, nunc apertè, nunc tacite. In initio certe expressis uerbis ponuntur tres distinctæ personæ in diuinis. Pater uidelicet, filius & spiritus sanctus. Confunditur etiã & confutatur error Græcorũ de processione spiritus sancti: Sed sinamus hæc, quæ sicut uera sunt, tamen nostro quidem tempore, necessaria non sunt. **Cum autem ueniret paracletus, quem ego mittam uobis à patre &c.** Ex uocula illa, autem, satis conijcitur aliquid præcedere, quod ad historiam hanc pertineat. Et uerum est. Præcedit enim quod Iudæi, nulla habita legittima causa, occisuri sint & Christum & huius Apostolos. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Et rursum. Si non uenissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent. Nunc autem & uiderunt & oderunt & me & Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. Iam sequitur. Cum autem uenerit Paracletus &c. Ille testimonium perhibebit de me. Hoc est, ille satis demonstrabit, & euidentibus argumentis conuincet Iudeos impietatis, quod scilicet me innocentem, & eis benefacientem non dubitarint interficere.

Psal. 24.

Et

Et uos Apostoli, etiam mihi testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Ille testimonium perhibebit de me, & uos mihi testimonium perhibebitis, ille suggerendo, uos eloquendo: ille ut Dominus, uos ut serui. Ille dabit uobis cor forte & linguam disertam, ut quæ sane intelligitis, magna fiducia proferatis. Iam timidi estis, sed ille uobis dabit piam audaciam. Et hoc factum esse nouerunt Christiani. Testimonium enim reddiderunt CHRISTO tanta fiducia, ut multi, qui Christum occiderant, pro ipso tandem libenter occidi uoluerint. Et multi, qui fuderunt sanguinem CHRISTI, postea sanguine eiusdem redempti sunt. CHRISTI enim sanguis sic in remissionem omnium fusus est, inquit D. Augustinus, ut ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est. Sed expendenda sunt iam singula uerba. Cum uenerit, inquit, Paracletus. Primo commendat nobis dignitatem & autoritatem spiritus sancti, ut ei non illibenter fidem habeamus, si quid magnificum de CHRISTO uelit testificari. Vocat ipsum Paracletum, quo nomine significat eum futurum officio consolatoris & aduocati, si ue Patroni. Nam qui ad res plenas periculi extruduntur, nulla re magis opus habent, quàm consolatione & patrocinio. APOSTOLI uero non aliter emittebantur, quàm Oues in medio Luporum (hac enim similitudine CHRISTVS ipse usus est)

Act. 4.

Paracletus.

Math. 10. Luc. 10.

Vnde

Vnde nihil magis optare, neque aliquid magis exoptatum eis contingere poterat, quam Paracletus, consolatur & Patronus. Et certe non est alius consolator magis efficax, qui nos uere & efficaciter consolari ualeat, quam Spiritus sanctus. Nam consulationes quibus nos subinde Mundus consolari solet, uanæ sunt, non ueræ, fluxæ, non diuturnæ. Satanæ uero consolationes, sunt mortiferæ deceptionis. Secundo dicit Paracletum ab ipso mitti, & à Patre procedere, hoc est, eiusdem esse naturæ, & eiusdem potestatis cum Patre & filio, quæ certe magna dignitas est spiritus sancti. Deus est, unde non tam uerè quam solide, & Apostolos & nos consolatur. Tertio cum appellat Spiritum non hominem, ne quis putet Spiritum sanctum assumpturum etiam humanam naturam (sicut eam Christus assumpsit) & sic in terris conuersaturum, ędituru-rum miracula, & prædicaturum. Spiritus, inq̄, est, non homo. Quarto Christus nominat Spiritum sanctum, Spiritum ueritatis, quo intelligimus nos ab ipso non seduci posse, neque illum nobis impositurum mendacijs. Quinto addit officium. Ille, inquiens, testimonium perhibebit de me: eo modo scilicet, quem supra diximus. Non quod ipse Spiritus sanctus ascendere debeat Cathedram, & ad instar hominis concionari, sed tantum suggerendo, docendo & confortando. Sic enim in alijs lectionibus audietis, Docebit uos omnia. Item. Suggeret uobis omnia,

A patre & filio procedit.

Spiritus.

Spiritus ueritatis.

Ioh. 16.

Ioh. 14.

nia, quæcunq; dixero uobis. Item. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Obseruandum hic, fratres in domino chariss. quam magna & Augusta sit uerbi diuini administratio, ad quam digne perficiendam, non sufficiunt humanæ uires, sed necessario ad illam requiritur spiritus sancti adsistentia. Hinc Paulus alibi dicit. Puto quod & ego spiritum Dei habeam. Et alibi. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christi? Huc etiam referri debent, quod in Apostolorum actis loquuntur Apostoli. Visum est spiritui sancto & nobis. Nolo autem promissiones illas de spiritu sancto ad solos Apostolos referas. Nam nos, qui ministri Ecclesiæ sumus, neque cum fructu prædicare, neq; Sacratiss. Sacramenta administrare possemus, nisi per nostrum ministerium operaretur spiritus sanctus. Sicut enim non homo, sed Deus est, qui baptizat, ita necesse est, & Christum spiritu suo sancto per nos uos docere, *Legatione* pro Christo fungimur, inquit, alibi Paulus, tanq; deo exhortãte per nos Nam quod in Propheta legimus, & in nouo testamento semel atq; iterum repetitur. Et erunt omnes à Deo docti: non aliter impletur in nobis, nisi deo nos docente per se, aut docente per nos. Potest quidem ille docere hominem sine externo uerbo, dum scilicet corda nostra alloquitur: sed communiter ad illud magnũ opus utitur ministerio uerbi externi. Vn-

Ecclesiastes spiritu sancto opus habet. 1. Cor. 7. *Philip. 2.* *Ioan. 15.* 2. Cor. 5. *Hie. 31.* *Ioan. 6.*

de ad Apostolos & horum legitimos successo-
Luc. 10. res dictum est. Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit. Proinde nemo nobis succenseat, si quando duriuscule ulcera uestra tractamus & tangimus. Officij hoc nostri est, non odij nostri. Veniamus ad sequentia.

Et uos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Hæc nulla interpretatione opus habent, sed admonitione. Quæ enim testificati sint apostoli de Christo, partem habentur in ipsorũ scriptis, partim ex traditionibus Ecclesiæ colligimus. Neq; enim illud tantum testificati sunt de Christo, quod pro nobis satis fecerit, sed etiam quid ille nobis obseruandũ præceperit. Obseruanda & illa clausula. Quia ab initio mecũ estis. Prosecto dignum & iustũ est, ut nos libentius credamus priscis patribus nostrisq, ui proxime tẽporibus Apostolorum uixerunt, & de rebus à Christo & huius Apostolis gestis scripserunt, quã Neoterícis, & hostibus Ecclesiæ. Sequitur.

Absq; Synagogis facient uos.

Ioan. 9. Hoc etiam ante Christi passionem facere conati sunt. Sic enim legimus in Euangelio Ioannis. Iã cõspiraverant Iudæi, ut si quis Iesum confiteretur esse Christũ, extra Synagogã fieret. Et iterũ
Ioan. 12. Ex principibus multi crediderunt in Iesum, sed propter Pharisæos nõ confitebãtur, ut è Synagoga non eijcerentur. Absq; synagogis facient

uos

uos, inquit. Hoc est tales iudicabũt uos, quibus cũ non debeat uir bonus, uel in tẽplis uel in foro, cõuersari familiariter. Atqui uiri bonis non pœna est, sed gratia, si qñ à malorum consortio excluduntur. Nec honorificũ est, laudibus euehi ab his, qui ipsi laudabiles non sunt. Sequitur.

Sed uenit hora, ut oís, q̃ interficit uos arbitretur se obsequiũ prœstare Deo.

Quod prœcessit, famã bonã & honorẽ Apostorũ concernit: quod iã ponit, ad corpus ipsum pertinet. Nõ solũ uos consortio suo indignos iudicabũt, & uiros nepharios uos esse clamabũt. Verũ etiã ad tantã atrocitatẽ prorũpent, ut sacrificiũ uim in cæde uestra positã putẽt: q̃d duobus, Stephano dico atq; Paulo uerũ fuisse, satis erit ostẽdere Stephanũ em̃ lapidibus, quasi quippiã deo gratũ peragerent, temerario feruore interfecerũt. Paulũ aũt frendẽtes dentibus persequebãtur, adeo, ut nõnulli iurarint nõ prius comedere ac bibere, quam eũ interimerent. Quid? Paulus ipse in persequẽdo Christianos, putabat se omnino gratũ facere Deo. Ego quidẽ, inquit, ad Agrippã, œstimauerã me aduersus nomẽ Iesu Nazareni debere multa cõtraria agere, Quid igit? An peccauerunt etiã, qui pietatis erga Christũ uel huius discipulos persecuti sunt? utiq; peccauerũt, sed nõ tã grauiter, q̃ illi, qui ex inuidia illud fecerũt. Si em̃ nõ peccassent, nõ fuisset necessarium ut pro ipsis precaretur dñs. Sequitur.

Act. 23.

Actio. 26.

Et hęc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me. Hoc est, non propter furtum aut latrocinio uos persequentur, sed propter me, quia scilicet prædicabitis me esse Dei filium, quem Iudæi non nouerunt. In duobus enim errant: neq; me nouerũt, neq; patrẽ meum. Non putant Deum habere naturalem & unigenitum filium, neq; me eundem illum Dei filium esse credunt. Magna igitur consolatio hæc est Discipulis, quum audiunt se non alio nomine, quam quod Dei filio adhæreant, persecutionem passuros. Inde est, quod in D. Lucæ hystoria legimus. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Vociferantur iam nostri. Aduersarij se magnas sustinere iniurias à nostris, flagellari, decollari, comburi tantum ob id, quod Euangelium Christi pure adnunciari cupiant, & Ecclesiæ reformationem desiderent. Sed apud pios & ueri Euangelij gnaros frustra hęc uociferantur. Nam Apostoli & Apostolici uiri non ea ratione propugnabant & prouehebant Euangelium Christi, qua Aduersarij nostri propagere & propugnare uolunt Euangelium Lutheri. Docebant Apostoli propria bona alijs elargiri. Docet illi in aliena inuolare. Apostoli docebant obedientiam: illi docent seditionem. Apostoli cum summa mansuetudine docebant bona, & reprehendebant mala. Illi fa-

Act. 5.

mosis

mosis & cruentis & ad seditionem compositissimis libellis, cœlum & terram implent. Nullus unquam Hæreticus fassus est se merito persecutionem sustinere. Clamat Lutheranus, Clamat Zuinglianus, clamat Anabaptista se sustinere inuidiam pro Euangelio. Quis horum innocens est? Omnes clamant Euangelium Euangelium, & tamen non potest hactenus inter eos cõuenire. Clamabant etiam olim Donatistæ se esse ueros Ecclesiæ filios, ut qui multas & graues sustinerent persecutiones. Atqui respondebat D. Augustinus illis, non pœnam, sed causam facere Martyrem, Ejicitur Agar à domina sua Sara, sed hoc illa merebatur. Et hæc quidem hactenus. **Sed hæc locutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.** Vetus dictum est, *Iacula præuisa minus ledunt, & certe iniquum uidetur mundo, pios homines male malos uero bene in hoc mundo habere.* Ergo Christus prædicit Discipulis suis, quæ uentura sunt, ut se ad illa ferenda præparent, & dum adueuerint minus conturbarentur. Sed contrahamus omnia in Epilogum. Audiuimus magnificam Domini promissionem, qua Apostolis suis sanctum pollicetur spiritum: quod si animaduerterimus, non poterimus dubitare, quin uera & sancta sint, quæ per Discipulos Chri-

sti accepimus: Addidi etillud neminē magis posse de Christo & huius discipulis testificari, quam qui proximiores illis fuerūt. Tertio sic instituamus uitā nostrā, ut nō tanq̄ malefactores à mūdo hoc persecutionē patiamur, sed sicut filij Dei. Necq; persecutionibus eiusmodi offendamur, scientes q̄d dñs, quos diligit castigat: & quod non sunt condigne passiones ad futurā gloriā quae reuelabitur in nobis: & leue hoc tribulationis nostrę immēsum pondus gloriæ operabitur in nobis. Beatus ergo ille, qui patienter fert tribulationes ac tentationes: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromisit deus diligentibus se. Quam utinam & nobis concedat Dominus noster Iesus Christus, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

1. Pe. 4.
Heb. 12.
Ro. 8.
2. Cor. 4.
Iaco. 1.

DOMINICA PENTEcostes. Ioan. 14.

IN illo tēpore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem

nem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos nõ seruat. Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, patris. Hoc locutus sum uobis, apud uos manens. Paracletus aũt spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit oĩa, & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixero uobis. Pacem relinquo uobis, pacẽ meam do uobis. Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Nõ turbetur cor uestrũ, neq; formidet. Audistis, quia ego dixi uobis, uado & uenio ad uos. Si diligeritis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrem, quia pater maior me est. Et nunc dixi uobis priusq; fiat, ut cũ factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar uobiscum, uenit enim princeps mũdi huius, & in me non habet quicq;. Sed

ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.

EXPOSITIO.

MVltas quidem & magnificas audiuimus hactenus promissiones à Christo Iesu Domino ac seruatore nostro, de mittendo paracleto & de eiusdem functione & uirtute, & merito iam desiderare debeant homines audire quomodo spiritus sanctus in Apostolos uenerit, & quomodo officio
Ioan. 14. suo functus fuerit. Auditum est, quod Christus discipulis dixerit. Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest capere. Et in hodierno Euangelio, Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia: & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixero uobis
Ioan. 15. (Hac de promissione in sequentibus dicetur à nobis copiosius) Rursum de eodẽ spiritu sancto loquitur Christus. Cum uenerit paracletus, quẽ ego mittã uobis à patre, Spiritus ueritatis, qui è patre procedit, Ille testimoniũ perhibebit de me.

Et

Et iterum. Cum uenerit Paracletus arguet mundum de peccato, & de iusticia, & de iudicio. Et paulo post. Cum uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. His promissionibus simus contenti, & uideamus quomodo Christus promissiones suas impleuerit: Vnde autem illud accipiemus, quàm ex Euangelica historia, quam nobis D. Lucas diligenter ab initio Apostolorum actuum cõscripsit. Cum compleretur dies Pentecostes, hoc est, quinquagesima die post Domini nostri Iesu Christi ad cœlos ascensionem, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, & factus est repente de cœlo sonus, tanq; aduenientis spiritus uehemẽtis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanq; ignis, seditq; supra singulos eorum: & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cæperunt loqui uariis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Ergo quod Christus pollicitus est ante passionem suam, exhibuit post ascensionem suã. Pollicitus fuerat Spiritum sanctum, nec descripsit, quomodo, uel in qua specie, illum missurus esset: Et iam mitti spiritum, externisq; signis probat eum uere aduenire: Nam repente fit sonus de cœlo, ac si ueniret, siue flaret uentus uehemens. Et hic flatus & uehemens uentus, non occupat totam Hierosolymorum urbem, sed solum totam domum, ubi erãt Discipuli domini. Addidit aliud signum. Visæ sunt enim dispertitæ lin- Acto. 2.

guæ tanq̃ ignis, insedentes super singulos eorũ. Non erant uerè linguæ, nec erat uerus ignis, sed tantum sic illis apparebat. His igitur auditis & uisis signis, repleti sunt omnes spiritu sancto. Repleti sunt omnes, no tantum undecim, sed etiã Mathias nuper electus. Et si enim in promissione non fuerat, tamẽ ab exhibitione exclusus non fuit. Immo nõ tantum duodecim Apostolos spiritum sanctum accepisse putamus, sed etiã omnes alios (nam erant cum centum uiginti congregati) qui cum Apostolis fuerunt. Pulchrum uero est, quod dicit omnes illos repletos fuisse spiritu sancto: quo nõ solum intelligimus Christi benignissimã largitatem & munificẽtiam, sed etiam ipsius spiritus sancti potestatem & uirtutẽ, qua citra sui diminutionẽ, potest se impartiri omnibus & singulis quantũ uult, & quo usq̃ uult. De utroq̃ dicit alibi Paulus. In ea quę est ad Titum Epistola scribit. Quod Christus spiritũ suum sanctũ, abũdè in nos effuderit. In
1. Cor. 12 Corinthijs uero quum enumerasset multa & uaria dona, quę spiritus sanctus in Ecclesiam partitur, dixit. Hæc autem omnia operatur unus atq̃ idem spiritus, diuidens singulis pro ut uult. Sed unde probatum est, Apostolos & reliquos Domini discipulos accepisse Spiritum sanctũ: & quid sibi uoluit uisio dispertitarum linguarũ: Audiuimus Lucam sic dicentem. Cæperũt, qui scilicet acceperant spiritum sanctum, loqui uarijs linguis, pro ut spiritus sanctus dabat eloqui illis,

illis. Qui prius unicam tantum linguã callebãt, accepta ſpirituſſancti gratia, callebant uaria linguarum idiomata, ut hęc & intelligerẽt, & loqui apud alios poſſent. Et certè hoc dono opus habebant, quorum officium erat totum peruagari orbem, & docere omnes gentes, qui certe non unica tantum loquebantur lingua. Pulchrum aũt eſt, quod dono linguarũ Lucas ſubnectit Apoſtolos ſcilicet accepto illo dono linguarũ loquutos fuiſſe uarijs linguis, prout ſpirituſſanctus dabat eloq illis: Duo enim diſtincta ſunt dona, poſſe loqui uarijs linguis, & poſſe loqui uarijs linguis, prout ſpirituſſanctus dat eloqui. Nam & Corinthij quidã habebant, & habere cupiebant donum linguarũ, ſed ut ex ipſius Apoſtoli ſcriptis apparet, abutebãtur dono illo precioſo, nõ in ędificationem Eccleſiæ, ſed in acquiſitionem uanę gloriæ. Sed quid opus eſt in medium pferre peregrina Exempla, quum domeſticorũ magnus ſit numerus? Habet hoc ſæculum etiam donũ linguarum, & magnus eſt numerus eorũ, qui uarias linguas (non enim de tribus præcipuis, Hebræa ſcilicet Græca & Latina tantũ dicam) callẽt, ſed, Dij boni, quam exiguus eſt numerus eorũ, q, precioſo illo dono, legitimè utant. Qui boni ſunt, dono illo utũtur ad ædificationẽ Eccleſię, explicãtes quę obſcura ſunt, ut ueritas magis ac magis pateat. Qui minus mali ſunt, quę intelligunt, fideliter interpretantur, ut non alios ædificent, ſed ut ſe alijs laudandos exponant.

Omnium

Omnium uero deterrimi sunt, qui quum linguarum cognitione alios præcellant, non aperiunt obscura, sed aperta inuoluũt, ueritatem peruertunt, & omnia ad defendendum hæreticas suas opiniones interpretantur. Huius rei multa exempla possem proferre. Breuiter dico scientia illa linguarum multarum eò iam nos deduxit, ut penè nesciamus, cui linguæ credendum sit, dũ uidelicet emendationis nullus est finis, & ambitio hominum mẽtes sic occupauit, ut semper alteris alteri præferri uelint, & doctiores esse contendant. Dicam rem miseram & miserabilem. Quem interpretem Bibliorum mihi dabis hoc sæculo, cui tuto fidere debeam, in tanta nimirũ Bibliorum uarietate translatorum. Qui profitentur se ad ueritatem Hebraicam omnia transtuliſſe inter se dissentiũt multis modis. Qui scribunt se fidem Græcorum fontium Biblia transtuliſſe, non minus dissentiunt. De Germanicis nostris tranlationibus nihil mitius dicere possum. Quæ porro causa huius confusionis est? Ego non puto aliam esse, quam arrogantiã hominum eorum, qui putant se ad tantũ laborem sufficere, & ideo aliorum sententias non possunt ferre. Prudenter certe & ualde prudenter fecerat Ptolomæus ille, qui translationem Bibliorum non tantum uni commisit, sed septuaginta potius uiris, nõ solũ eruditione, sed etiã pietate celeberrimis, illud laboris imposuit. Certe transferre Biblia non est unius, sed multorũ insignium

uirorum

uirorum opus, qui non solum linguarum peritiam habeant, sed etiam qui uitæ sanctimonia polleant, ut loquantur pro ut Spiritus sanctus dat eloqui illis. Et hæc quidem nō temere dicta putamus à nobis de illis, qui linguarum dono uti debebant in rebus sacris. Neq; tamen homines prophani dono linguarum bene utuntur. Multus & magnus numerus est eorum, qui pueros suos in longas Regiones mittunt, ut aliquā peregrinarum linguarum cognitionem accipiant: sed in quem finem? non ut Reipublicæ melius inseruire queant, sed ut malis artibus diuitias suas augere, & de hospitibus & peregrinis predam facere queant. Atqui propter hanc rem non debent disci linguæ, sed ad commodum proximorum, & conseruationem Reipublicę, in qua cum tuis uersaris. Sed uideamus quomodo Apostoli dono illo usi fuerint. Repleti sunt omnes spiritu sancto, inquit Lucas, & cæperunt loqui uarijs linguis, pro ut Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Multi replentur Spiritu sancto, qui tamen dono linguarum carent. Multi item loquuntur uarijs linguis, qui tamen Spiritus sancti gratiam & fauorem non habent. Neq; enim perpetuo hæc dona dantur in gratiam eius, qui accipit illa, sed in communem Ecclesiæ utilitatem, Sicut imber, quo irrigatur ager aliquis, sic descendit per carnalem, ut tamen hic nunq; fructificet, ager uero multos fructus afferat. Apostoli uero multa simul acceperunt dona, primo enim

enim repleti sunt spiritu sancto, secundo adepti sunt peritiam linguarum, tertio acceperunt dõnũ, quæ intelligebant, eloquendi & explicandi. Oportebat autem spiritum sanctum nõ minus implere officiũ suum in Apostolis, quàm Christum oportuerit implere promissionẽ suã. Christus ex gratia promiserat spiritũ sanctũ, ex iustitia igitur et ex debito illũ in Apostolos misit. Discessurus enim e mundo isto Dñs & ascensurus in cœlũ, sicut & ab initio diximus, promisit Apostolis suis, quod spiritũ sanctum ad eos mitteret, quãdo ad Dẽũ Patrẽ ipse remeasset, qui spiritus sanctus doceret eos omnia, esset ipsis loco paracleti & doctoris, nimirum ut recta intelligerẽt, & recte intellecta forti animo proferrent. Acceperãt quidẽ & ante Ascensionẽ domini donũ spiritus sancti, sed nõ tã efficax, neq; tam multiplex. Sed inquiramus cũ D. Augustino, post ascensionẽ Domini, qui adhuc adiici possit Apostolorum perfectiõi per participationẽ spiritus sancti. Erat quidẽ in eis fides, nã dixerãt iam pridẽ ad Christũ. Verba uitæ æternę habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Et alibi Tu es Christus filius Dei uiui. Et iterũ, Credimus, quia à Deo existi. Fidẽ ergo habebãt, sed fiducię cõstantia eis deerat. Iam qui dẽ Christũ per uniuersa poterant prædicare, sed adhuc p Christo usq; ad mortẽ certare nõ poterãt, usq; adeo ut nullũ ex Discipulis coronauerit Palma martyriũ antę aduentũ spiritus sancti. Præterea

Ioan. 6.

Matt. 16.
Ioan. 16.

terrea iam recesserat ex oculis eorum Dñs Iesus, qui eos prędicatione uisibili os ad os loquẽs corroborabat, et uirtutũ miraculis instruebat, & dũ cũ eo erãt, facile credebant, quę uidebant: Fides adiuuabatur aspectibus, pręsentibus confirmabatur operibus, signis ac uirtutibus pascebatur. Postq̃ uero Dñs Iesus sublatus ex oculis eorũ recessit in cœlũ, non sufficiebant attonitæ ac trepidæ eorum mentes, non sufficiebant ut dignũ erat cœlestia & æterna cogitare, nec pręualebãt adhuc portare angusta eorũ pectora diuinorũ sensuũ magnitudinẽ ut possent intelligere Christum, quomodo erat uerbũ Deus apud Deum, sic ut eis ipse dominus adhuc in corpore mortali constitutus euidẽter insinuat dicẽs, Multa habeo uobis dicere, sed nõ potestis ea portare modo: Cum aũt uenerit Spiritus ueritatis, ipse uos docebit omnẽ ueritatẽ. Vides quod post dicessionem adorandæ summæque uirtutis, discipulorum pectora dilatata sunt, ad sustinendam magnitudinem diuini luminis, & intelligẽtiam ueritatis? Deus itaq; est qui potest post munificentiam suam accumulare gratiã, augere sapientiam, cõfirmare constantiam. Videamus ergo ante uisitationẽ cœlestis consolatoris, quantum eis de magnanimitate, quantum de perfectione defuerit. Nam primum cum eum supra tumentia maris dorsa uidissent substratis fluctibus ambulantem, & cum aquarum iter instabile, sub diuinis solidaret, unda famula, uestigijs, turbati

Ioan. 16.

Math. 14

turbati sunt dicentes, Phantasma est,& præ ti-
1oan. 1. more clamauerunt. Post infusionem uero Spi-
ritus sancti iam non dicunt, quia Phantasma est,
sed in principio erat uerbum, & uerbum erat
apud Deum,& Deus erat uerbum. Et iterum.
Erat lux uera,quæ illuminat omnem hominem
uenientem in hũc mundũ. Aliud eius rei exem-
1oan.20. plum cape. Vnus ex discipulis domini Tho-
mas,quam imprudẽter loquitur de resurrectio-
ne Christi? Quam difficilem se prebet ad cre-
dendum? Alius uero iam Spiritus sancti eruditi-
one repletus,cõfidenter exclamat. Quod erat
ab initio,quod audiuimus, quod uidimus ocu-
1.1oan.1. lis nostris,quod perspeximus,& manus nostræ
cõtrectauerunt de uerbo uitæ &c. Quid si aliud
Math. 17 adiecerim? Beatus Petrus Domini passione iã
Math.26 proxima, nondũ diuina Paracleti inspiratione
Acto. 7. fundatus,nolens à se Christum corporaliter se-
parari,in traditorem & gladiatores gladiũ stri-
gir,& uim ui æstimat repellendam. Stephanus
autem iam plenus spiritu sancto,iam nõ in terra
Christum requirit,sed aperto cœlo uidit gloriã
Dei,neq; iam de uindicta cogitat, sed pro perse-
cutoribus suis exorat & supplicat. Rursum ante
aduentum spiritus sancti,sub ipso crucis Domi-
nicæ tempore,alij ex discipulis domini effugan
tur, alij unus ancillæ uoce terrentur, & metu
corda trepita penetrante,Dñm suum negare co
guntur. Post illustrationem uero spiritus sancti
& cõfirmationem,custodijs excruciati, uerberi-
bus

bus afflicti, ibant gaudentes à conspectu concilij, qui digni essent pro Christi nomine cõtumeliam pati. Et qui ante negauerant cũ iuramento, quia non nouimus hominem istum: nunc propter eum in supplicijs gloriantur, & operante in eis spiritu sancto, quarum putant esse quod pro Christi amore patiuntur. Non sunt, inquit, condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ex hijs ergo & multis alijs Apostolorum uerbis, & factis intelligimus quam necessarius Apostolis fuerit Spiritus sanctus, quam diligenter hic suum officium fecerit. Sed quid hæc ad nos, inquis? Multum supra modum. Ex prædictis enim discimus quam nihil sint res nostræ, sine præsentia spiritus paracleti, & quam multa præsente illa possimus. Hic enim spiritus sanctus si ad nos uenerit, non tantum exuri peccata nostra, sed etiam infundit dona sua in nos: non solum restringuit malã uoluntatem in nobis, sed & bonam excitat, & nos porro immutat, regenerat, ac nouos facit. Et ideo qui ueterẽ Adam adhuc in se regnare experitur, qui ad se malum, quam ad bonum propensiorem sentit, pro me dico illo roget, qui si uenerit, diligenter ac gnauiter suo fungetur officio. Qui spiritu Dei aguntur, hij sunt filij Dei, ait Apostolis: Et iterum. Quoniam sumus filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra. Hic nos ad mala uitanda adhortatur, hic ad bona sectãda instigat, hic

Actor. 15

Rom. 8.

Rom. 8.

1.Cor. 3. corda nostra inhabitat. An ignoratis, inquit Apostolus, quod corda uestra templum sunt spiritus sancti? Obtemperemus igitur bene monenti, ne pereamus. Spiritus ueritatis est, non seducet nos. Paracletus est, in omnibus tribulationibus nostris consolabitur nos, & patrocinabitur nobis. Quod si experiris te adhuc non habere diuinum illum hospitem, roga patrem Domini nostri Iesu Christi, immo & patrem nostrum, ut tibi illum mittat, & para illi hospitium: si quid immundum in te est, fonte lachrymarum eluet, & non procrastinabit spiritus sanctus. Si uos cum sitis mali, inquit Christus, potestis bona data filijs uestris dare: quanto magis pater uester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se? Sed quid opus fuerit prolixiori disputatione, quū in hoc ierni Euangelij lectione diserte uerbis expressum sit, quos homines inhabitare soleat nō tantū spiritus sanctus, sed & pater cœlestis cū filio suo unigenito Iesu Christo? Audiamus itaq; ipsius Euangelij contextū, cui adijciemus interpretationem orthodoxam.

Luc. 11.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Ergo Deus pater cum Deo filio ad nos non uenient, nisi eum diligamus, & mandata eius seruemus? Igitur nec spiritus sanctus ad nos uenie-

nisi eum diligamus, & mandata eius faciamus. Nam in eiusdem Ioannis Euangelio legimus. Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & aliū paracletum dabit uobis. Nō inutilem, multo minus impiam quæstionem puto hic moueri posse, Quomodo scilicet Christus dicat, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: cum Ioannes alibi dicat, In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filiū suum propitiationē pro peccatis nostris. Hoc in loco scribit Ioañes, Deum sua dilectione nos præueniſſe. In Euangelio uero, uidetur Christus innuere, Deum nos non diligere, nisi prius diligatur à nobis. Atqui quū in uerbis Dei nulla sit contrarietas, diligenter, quæ utriusq; sit sententia, quærendum est. Ego simpliciter, quod sentio hic dicam. Non est dubium quod Deus pater nos dilexerit præter & contra omne nostrum meritum, elegeritq; nos ante constitutionē mūdi, ut essemus sancti & immaculati. Quos prædestinauit, inquit Paulus, hos & uocauit. & quos uocauit: hos & iustificauit: quos autē iustificauit, hos & glorificauit. Ergo prior dilexit nos, suæq; in nos dilectiōis egregia & multa exhibuit specimina, mittēs scilicet filiū suū pro nobis in hunc mundum, qui mortē nostram, morte sua destrueret, & uitā nostrā resurgendo repararet. Nec cōtētus fuit hic Dei filius delere peccata nra, nisi eriā nobis cōmunicaret

1. Io. 4.

Rom. 8.

dona sua, inter quæ præcipua sunt tria illa præcipua spiritus sancti Charismata, Fides, Spes, & charitas. Iam licet hæc grauissima Dei dona in nobis sint, nullisq; nostris meritis à Deo accepta, tamen si his commode fuerimus usi, magis ac magis nobis deuiciemus Deum, ut qui prius porro gratis nos dilexerit, iam respectu fidei, spei & charitatis nostræ, quæ iam in opera exierunt, & sanctificarunt, nos maiori dilectione prosequatur. Vt sensus sit. Cui hanc gratiam dono ut me fide agnitum diligere queat, & ille me dilexerit, ac mandata mea obseruauerit (hoc enim certum dilectionis argumentum est) ego magis ac magis diligam eum, donaq; illa, quæ ille à me acceperat augebo, & multiplicabo. Eius rei exemplum habes in Nobili illo peregrinaturo, & in seruis frugi, quibus aliquot talenta concredidit. Nam qui diligenter fuerant negociati, non solum laudati sunt ab illo Nobili, sed etiam magnifice remunerati. Quid uero seruo nequam acciderit nemo non nouit. Hæc pro solutione huius quæstionis breuiter dicere uolui. Quod si cui minus satis feci, à Deo ipso, cuius uerba sunt, clariorem quærat interpretationem, dicet ergo Christus. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Duo ergo sunt, quæ iubemur, & deum scilicet diligere, & mandata eius seruare. Nam qui hic rursum sola sua fide irrumpere contendunt, sic offendent, ut merito ipsos suæ impudentiæ pœnitere debeat. Quod enim

enim hic dicit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, alibi dicit: Si diligitis me, mandata mea seruate, Et rursū: Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Audis igitur hic sermonem fieri de impletione mandatorum dei, nō de fide in Christum. Nam loquebatur Iesus cum eis, qui iam olim fidem suam professi fuerant, & adhortabatur eos, ut quod per fidem cognoscunt, per charitatem amarent, ne uidelicet frustra, & temere uitam sperarent. Quod uero illi obiciunt, Fidem & charitatem à se non posse disiungi, & friuolum est, et à nobis sæpius euidentissimis argumentis confutatum est. Dicunt fidem non posse sine charitate esse: quum tamen multa credamus, hoc est assentiamur uera esse, quæ tamen non amamus. Nihil uero potest amari, nisi prius nobis fuerit cognitū. Quæ porro merces debetur dilectioni, & obseruationi mandatorum Dei? Audi Christum. Et pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hoc est, ceu supra dixi pater meus magis ac magis diliget eum, & ego & pater ad eum ueniemus, hoc est, tutores ac defensores illius erimus, ab illo non discedemus, ei in omnibus adiutores erimus. O fælicē hominem, ad quem tanti hospites diuertent. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? In Leuitico fere eandem promissionem audimus. Si in præceptis meis ambulaueritis, inquit, & mandata mea custodieritis &c. Ponam tobernaculū 2. Cor. 6. Le. 26.

meum in medio uestri, & non abijciet uos anima mea. Ambulabo inter uos, & ero deus uester, uosque eritis populus meus. Iam quod sequitur in Euangelio audite. **Qui non diligit me, sermones meos non seruat.** Lutheranus hic diceret. Qui non credit, non operatur. Atqui Christus dicit, Qui non diligit, sermones meos non seruat, hoc est mandata mea non implet. Quod si iuxta aduersariorum somnium, seruare sermonem Domini, idem est, quod credere, uides quanta sit absurditas? Iuxta horum enim stultam opinionem, nemo in Christum credet, nisi prius illum dilexerit. Atqui nihil diligimus, nisi quod uere subsistere credimus. Sed hæc satis. Est & alius sensus horum uerborum Christi, Qui non diligit me, inquit, sermones meos non seruat. Verum est. Nam quicunque sermones Dei seruat, hoc est, qui mandata Christi implet, id est, externo opere perficit, & non facit ex dilectione Dei, sic scilicet ut intelligat hæc deo placere, qui illa præscripsit, ille inquam mandata Dei non uere implet. Plenitudo enim legis est dilectio. Quisquis enim tantum bene operatur, ut effugiat pœnam, hic nõ diligit Deum, sed timet Diabolum: et, si sciret se posse uel latere Deũ, uel huius minas effugere, nunq̃ bene operaretur, sed perpetuo desyderia carnis suę sequeretur. Nullus itaq̃ recte ac bene operatur, nisi amet quod operetur.

Alijs

Alijs forsan prodest qui aliquid boni operis facit, sed sibi non prodest. Hilarem enim datorem diligit Deus. Tamen qui timore pœnæ à malo abstinet, & bona sectatur, facile ad altiora prouehi potest, ut quæ agit, uoluntate & libere postea agat. Sed quoniam hæc non sunt admodum obscura, ad altiora procedamus.

Et sermonem, quem audistis, nõ est meus: sed eius, qui misit me, patris.

Non semel tantũ Christus eiusmodi locutionis genere in Euangelio usus est. Mea doctrina, inquit, & ibi non est mea, sed eius, qui misit me. Et alibi Ego, quæ audiui à patre meo, hæc loquor in mundo. Et paulo post. Sicut, inquit, docuit me pater, hæc loquor. Quomodo itaq; omnes eiusmodi loci intelligendi sunt? Cũ dicit nõ esse suum sermonẽ: non in quantũ uerbum æternũ, et Deus, sed in quantũ serui formã habebat, hoc dictũ est. *Non enim humanum uult hũc sermonem uideri, sed diuinum certe ac Regium.* Ideirco personæ patris illũ attribuit, ne, si diuinitati suæ attribuisset, in duos se filios distinguere uideretur, qui unus & ante & post incarnationẽ est. Ne igitur humanitus traditam Euangelij doctrinam arbitremur (uerbis utor Cyrilli) neue à deo hanc disciplinam separemus, sed deo eã attribuamus: optimo dispensationis modo, quia in serui habitu cernebatur, diuinæ naturæ, per personam patris, sermonem attribuit. Ioan. 7. Ioan. 8.

Sensus itaq; est cum dicis. Sermonem, quē audistis non est meus &c. Quod doceo, non didici ab homine, nec finxi ex me ipso, sed didici à deo patre meo, qui ideo misit me in has terras, ut uoluntatem illius uobis significarē. Nihil uideo q̄ amplius uerbis Christi obscurum quid inferat.

Hæc locutus sum uobis, apud uos manens. Hactenus, inquit, hæc locutus sum uobis, nimirum, quæ me decebat uobis reuelare: & quorum uos capaces estis. Nam alibi dicit adhuc multa habeo uobis dicere, quæ non potestis portare modo. Cæterum quod dicit, Hæc locutus sum uobis, apud uos manens, non sic intelligendum est, quasi Christus omnino derelicturus sit suos: Alibi enim dicit. Ecce ego sum uobiscum, usq; ad consummationem seculi. Et Paulus disertis uerbis loquitur dicens. An experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christi? Quomodo loquitur in Paulo ille, qui non est in mundo? Visibiliter quidē nobiscum non est, sed inuisibiliter nobiscum est, & operatur omnia, quæ utiliter in Ecclesia fiunt. In Ecclesia enim nostra ipse Christus, licet ad patris dexteram sedeat, tamen docet, baptizat, Eucharistiam administrat, adhortatur & dehortatur, minatur, consolatur, breuiter, ceu diximus, quæcumq; ad Ecclesiæ Catholicæ profectum facere possunt, ille diligenter procurat, non quidem uisibiliter, ut iam auditum est, sed inuisibiliter, &

ter,& hoc per ſpiritū ſuū ſanctum. Vnde ſequit.

Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit uos omnia: & ſuggeret uobis omnia, quæcumq; dixero uobis.

Etſi inquit, ego iam iam à uobis corporali ac uiſibili ſpeciæ diſceſſurus ſum, tamen res ueſtræ nihilo peius habebunt. Paracletus enim ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit uos omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcumque dixero uobis. Magna eſt promiſſio quod Pater cœleſtis in nomine, hoc eſt, loco & uice filij ſui, miſſurus eſt Spiritum ſanctū, qui docere debeat Apoſtolos omnia. Quæ omnia? Non in uniuerſum omnia, ſed omnia, quæ ipſi Apoſtoli ad ædificationē, propagationem, & inſtaurationē Eccleſiæ habebunt neceſſaria. Et quoniā Chriſtus diſcipulis ſuis multa dixerat, quę memorię ipſorū excideranr, ſpiritus ſanctus illa omnia diſcipulis in memoriam reducere debet. Duo ergo faciet ſpiritus ſanctus iuxta hanc pollicitationē. Docebit Apoſtolos omnia ſcilicet neceſſaria, ſicut diximus, ad conſeruationem Eccleſiæ, & quę Chriſtus diſcipulis ſuis propter ipſorū infirmitatem non dixerat. Nam hoc ſupra auditum eſt. Multa habeo uobis dicere, quę non poteſtis portare modo. Secundo quoniam Chriſtus ipſe Apoſtolis multa dixerat, quæ in

maximis tribulationibus illis obliuioni tradiderant. Spiritus sancti officium fuerit Apostolis omnia illa suggerere Iam quoniam Christus non uanus pollicitator, sed ueritas ipsa est, non dubitamus, quin spiritus sanctus diligenter suo officio functus fuerit. Roget autem quis, ubi nā illa omnia sunt consignata, quæ spiritus sanctus uel noua Apostolos docuit, uel uetera ipsis suggessit? Ad hoc respōdemus, neq; oīa scripta esse, quę Christus discipulis ore ad os dixit, neq; quę spiritus sanct9 illis suggessit. Multa aūt uiuo sermone tradidit Christus, quę scripto ad nos non peruenerūt. Sic & Apli in plantandis nouis Ecclesiīs multa docuerūt, multaq; instituerunt uiuo sermone, quæ literis Canonicis nō sunt cōprehensa. Exemplis rē ob oculos ponerem, nisi hac de re sæpissime dixissem. Alia sunt, quæ puto magis esse necessaria explicatu. Quum tam magnifica sit hæc de mittendo Paraleeto pollicitatio, nō imerito hic quispiam roget, ad solos ne Apostolos illa pertineat, an ad eorū successores? Ad solos Apostolos illam nō pertinere, sed ad uniuersos etiā Ecclesiæ pastores, nobis Christianis plane persuasum esse debet. Si enim Paracletus ille spiritus sanctus ad Aplos tantū pertinuit, quis post Apostolorū ex his terris emigrationē Ecclesiā docuit? Certe sicut nō solis Apostolis, sed omnib9 ipsorū successoribus dictū est, Euntes docete omnes gentes: ita etiam ad uniuersos Ecclesiæ pastores pertinet, ąd Christus

dicit

dicit. Paracletus docebit uos omnia. Quis enim tam desipiat ut putet nos sine speciali Spiritus sancti auxilio posse Ecclesias regere? quod non potuerunt Apostoli, & Euangelistæ? Certe quam diu mundus steterit, tam diu necesse est, Spiritus sanctus per suos ministros regat Ecclesiam. Hoc igitur cum uerum sit, qui fit, quod misera Ecclesia (sicut Lutherani calumniantur) per tam multos annorum centenarios in tantis erroribus, & tenebris, & in tanta Idololatria, doctore suo destituta, tam periculose iacuerit? Quomodo uerum est, quod Christus dicit. Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi: si hactenus deseruit sponsam suam? Sed aiunt. Christum quidem perpetuo adsistere Ecclesiæ suæ: sed non esse eam, quam non dicimus ueram Ecclesiam. Dicant ergo nobis ubi ante Lutheranismum uera Ecclesia fuerit? In oriente ne, an in occidente? Imo dicant nobis, Si nostra Ecclesia, quam antiquam, & Catholicam uocamus, & in qua aduersarij nostri baptizati sunt, à qua Biblia & Sacramenta acceperunt, & sine cuius auxilio nec suam Synagogam conseruare potuerunt: Si, inquam, hæc non est, dicant nobis certo, ubi nam illa sit, & qui nam ad ipsam pertineant? Nam inter tot sectas, & diuersas opiniones, non potest fieri, ut omnes sub eodem Christo militent. Et hoc etiam ipsos sentire ipsorum scripta testãtur, in quibus alteri alteros

conuicijs

conuiciis & maledictis inceſſunt, diris deuouent atq; ex Eccleſia eiiciũt. Sinãt igitur nobis noſtrã Eccleſiam donec ipſi nobis demõſtrare poſſint certiorẽ. Non ideo Eccleſia non eſt, quia in ipſa ſunt multi mali, paucis boni admixti: nam & in horreo dominico ſunt triticũ, & paleæ: in rete Euangelico boni & mali piſces: ad nuptias uocantur et prudentes et fatuæ uirgines. Ergo ꝓmiſſio facta hic Apoſtolis non ad aduerſarios noſtros, ſed ad paſtores Eccleſiæ noſtræ pertinet. Atq; obiiciunt. Quid? an ne ſpiritus ſanctus operaꝝ per tã impios pontifices, Epiſcopos, & ſacerdotes? Ego nullius impietati patrocinabor, nec mea ipſa peccata excuſare conabor. Sed hoc dico, Si ſpiritus ſanctus non niſi per bonos miniſtros operatur, in magno periculo certe uerſatur Eccleſia: Si em ſpiritus ſanctus per ſolos bonos operaꝝ, ergo ſoli boni baptizant, ſoli boni predicant, ſoli boni Euchariſtiam, & alia Eccleſiæ ſacramẽta adminiſtrant. Certe qui hoc olim in Eccleſia docere uoluerunt, cum impijs Donatiſtis hæreticis anathemathe percuſſi ſunt &c. Euangelium predicauit, haud dubie ſine detrimento fideliũ, Iudas fur & domini ſui proditor. Et qui baptizati ſunt à Iuda, non minus baptizati ſunt, quam quos baptizauit Petrus, In hoc tamen differunt, quod miniſterium ipſum Iudæ in perniciem, Petro uero ad fœlicitatem ceſſit. Auguſtinus ille maximus, eruditione & pietate clariſſ. Antiſtes, hoc negotium contra Parmenianum Donatiſtam

ſtam tractans lib. 2. cap. 11. inter cætera ſic dicit, Spiritus ſanctus in Eccleſiæ præpoſito uel miniſtro ſic ineſt, ut ſi fictus non eſt, operetur per eum ſpiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorum regenerationem uel ædificationem, qui per eum ſiue conſecrantur, ſiue Euangelizãtur. Si autem fictus eſt, quoniam ueriſſime ſcriptum eſt, ſpiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, deeſt quidem ſaluti eius, ut auferat ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, miniſterium tamen eius nõ deſerit, quo per eam ſalutem operatur aliorum. Hæc ille. Mirum autem eſt, quod aduerſarij noſtri proceres Eccleſiæ propter ſcelera (ſiue uera, ſiue falſa, non pronuncio) omnino alienos à Spiritu ſancto putent: & tanta impudentia ſibi paracletum illum uendicent, quum interim ne pilo quidem meliores ſint illis, quos ubique, & ſemper conuicijs inceſſere ſolent, Sed quoniam æquo longius hic digreſſi ſumus, ad contextum tandem redeundum eſt. **Pacem relinquo uobis, pacẽ meam do uobis, nõ quomodo mundus dat, ego do uobis.** Nouerat Dominus diſcipulos ſuos maxime ad mentionem abitus turbari, & ideo nunquam non aliquid conſolationis poſt triſtia dicta, adijcere ſolet. Pacem meam, do uobis, inquit, pacem relinquo uobis: hoc eſt, ſine conſolatione, in tantis turbis non eritis, ego ipſe enim conſolabor uos,

bor uos,& curabo,ut in pace sitis, Sed quid est quod dicit? Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Breuis est responsio. Mundus non aliam pacem nouit, quam quum externa omnia salua sunt, quicquid tandem de internis fiat, Mundus quærit opes,luxum, dignitates, potestatem,si hæc acquirere & retinere poterit, cætera non curat, Atqui pij homines nihil aliud quærunt,quam ut Deum habeant propitium,ut salua sit pietas,cætera,quæ mundus in præcio habet, non magni faciunt, **Non turbetur cor uestrum &c.** Plurimum erant turbati boni Apostoli audientes Christum abiturum ad passionẽ. Consolator ergo eos Dominus dicens. Non turbetur cor uestrum,non dolete uicem meam, neq; desponditis animos uestros: Non uos penitus deseram, nec si abiturus sum, ut nunquam post hac ad uos ueniam. Audistis, quia ego dixi uobis, Vado, & uenio ad uos. Quod si me nunquam rediturum dixissem,non iniuria ingenti dolore atque formidine percussi essetis. Quoniam autem non abiturum solum,sed rediturum me affirmaui,cur,quod mestorem afferre potest,animo uoluitis,& quod letiticiæ causa est,non recordamini? Opponite dolori gaudium (sic paraphrastice interpretatur Cyrillus)non enim solum ascensurum me ad patrem nunciaui, sed rediturum me rursum pollicitus sum.

Si dili-

Si diligeretis me, gauderetis utique quia uado ad patrem &c.

Putabant quidem Apostoli quod ipsi diligerent CHRISTVM, & diligebant etiam eum. Sed quomodo deficiebant in fide (sicut supra diximus) ita etiam deficiebant in dilectione. Nam diligebant CHRISTVM non propter Christum, sed propter priuatum commodum, ægre scilicet ab illo descendentes, quoniam timebant, ne illo absente, ipsi in aliquod periculum caderent. Ergo magis semetipsos amabant Apostoli, quam ipsum Christum. Vnde quicquid tandem Christus de patre suo dicat, susque, deque faciunt, modo possint semper apud Christum esse, qui eos hactenus ab omnibus malis defenderat. Quod hic Christus dicit, Pater maior me est, ad hoc refertur, quod alibi dicit. Clarifica me pater claritate, quam habui apud te, antequam mundus fieret. Pater maior me est, inquit, hoc est Pater me ad altiora subuehet, nec patietur, ut diutius tantum contemptum ab hominibus sustineam. Quæ in præsentis Euangelij lectione sequuntur, quoniam clara sunt, non ampliori explicatione opus habeant. Quod enim dicit se amplius non multa locuturum cum Apostolis, subindicat tempus passionis, & mortis instare. Principis mūdi, hoc est Satanæ mentionē facit ut ostendat Satanam quidē seuiturū, in ipsum,

sed

sed frustra. Quod enim Christus mortem sustinuit, pœna quidem peccati fuit, sed peccati nostri, nõ illius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ipsius. Quare ergo patitur Christus mortem? Vt cognoscat mundus, quoniam diligo patrem, &c.

Vis uidere et audire causam quare Christus pro nobis passus est crucem? Vt omnis mundus intelligeret quantum Christus patrem summ cœlestem diligeret, qui uoluit filium suum unigenitum pro nobis dari in mortem. Abraham libẽtissime ligna imponit filij humeris, quibus comburatur Isaac: nec difficilius filius patri obtemperat, lignum portans usq; ad locum mactationis. Sic deus pater in tantum dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Christus ipse sic nos dilexit, ut uolens semetipsum traderet pro nobis in mortem. Sed hæc hactenus pro explicatione hodierni Euangelij sufficiant. Dominus det nobis spiritum sanctum paracletum, spiritum ueritatis, qui nos in omnibus tribulationibus consoletur, ab omnibus periculosis erroribus defendat, & ad uitam æternam perducat, præstante Domino nostro, Iesu Christo, qui est Deus benedictus in secula.

AMEN.

Feria

FERIA SECVNDA PENtecostes. Ioan. 3.



IN illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat uitã æternam. Non enim misit Deus filiũ suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mũdus per ipsum. Qui credit in eũ, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. Hoc est autẽ iudicium, quia lux uenit in mũdum, & dilexerunt homines magis tenebras, quã lucem, erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & nõ uenit ad

lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

EXPOSITIO.

LEctio hodierni Euangelij pars quædam est eius Dialogi, qui fuit inter Christū & Nicodemum, de regeneratione hominis. Quum enim Christus eo usq; differendo peruenisset, ut diceret omnino exaltandum esse filium hominis, ut omnis, qui in ipsum crederet, non periret, continuo adiecit huius rei causam, quare scilicet filius hominis exaltari, hoc est crucifigi debuerit, quum nemo tam bonus sit in mundo, qui illud meruerit, nec quisq; tam potens, qui filium hominis de cœlis deturbare potuerit. Nam omnino mirum est, Dei filium debere tam turpem subire mortem pro mundo. Christus itaque disertis uerbis ostendit nobis eius rei certissimam causam.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed

Habeat

habeat uitam æternam. Ergo eadem illa causa, quæ deum patrem, ut nos, dum nos essemus, crearet, permouit, eadem etiam permouit illum ut nos à morte reuocaret. Misericordiæ domini, inquit, propheta ille, quod non sumus consumpti, debemus. Sed expendēda sunt singula uerba Christi, sic enim melius intelligūtur. Sicut cum flores quidam præcioſi, quanto magis manibus conteruntur, tanto meliorem & ſuauiorem de ſe reddunt ſaporem & odorem: ita & uerbum Dei nunquam magis Chriſtianū pectus afficit, quam dum diligenter & per omnia diſcutitur & expenditur. Quid igitur dicit Chriſtus? Sic, inquit, Deus dilexit mundum etc. Magnam rem dicit, quam Gentiles irrident, & qua Iudæi maxime ſcandalizantur. Prædicamus, inquit, Apoſtolus, Ieſum Chriſtum, & hūc crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam: ipſis autem uocatis Iudæis & Græcis Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam. Et adhuc non perſuaderi poteſt Iudæis, DEI filium fuiſſe, quem patres ipſorum Crucifixerunt. Nam duo ſunt, quæ Iudæi non credunt, alterum quod DEVS filium habeat, quem emittere poſſit, alterum quod permiſſurus ſit eum morte turpiſſima conficere. Atqui nos nihil moueat, quid Iudæi uel credant, uel non credant: ſed fidem habeamus Chriſto DEI filio, qui non ſolum hoc uobis dixit, 1. Cor. 1.

quod Deus filium suum pro nobis in mortem dederit, sed eius negotij, ut ille ait, pars maxima fuit. Quæ uero res permouit deum patrem, ut filium suum traderet in mortem? Audis Euangelium. Sic Deus dilexit mundum, ut filiũ suum unigenitum daret. Distinctam rem tibi ob oculos pone. Tres partes hic uides. Deum patrem cœlestem. Iesum Christũ unigenitũ dei filium. Et uniuersum genus humanum. Si iam diceretur Deum patrẽ magno amore prosequi filium suũ, nõ esset res admiranda. Quum uero dicitur, quod deus diligat mundũ, admiratione dignissimũ, & potissimum cum sic diligat mundum, ut pro ipsius salute filium suum unigenitũ det in mortem, eamq; turpissimam. Quid enim est mundus? Mundi nomine uniuersum humanum genus intelligitur. Nõ enim dicit. Sic deus dilexit populum suũ Israelem, uel sic deus dilexit illum, uel illum populum: sed sic deus dilexit mundum, humanum uidelicet genus tot modis miserũ, perditũ, cæcum, peccatis innumeris oppletum, idololatriæ deditum, deploratũ & immorigerum, immo ex ipsa sui radice corruptũ mũdum, inq; illum dilexit, à quo non solũ nihil boni accepit, sed à quo grauissime offensus fuit. Quid igitur? An ne amat deus mundum tot sceleribus inquinatum? Vtiq; amat mundum, hoc est sceleratos & impios homines, non quia scelerati & impij sunt, sed quia homines, & factura Dei sunt. Vtrumq; scriptura habet. Quoniam

niam non deus uolens iniquitatem tu es, inquit Psalmista ad deum, ut arguat deum non delectari peccatis hominum. Sapiens uero dicit ad eundem deum. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorũ, quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses? aut quod à te uocatum nõ esset conseruaretur? Parcis autem omnibus: quoniã tua sunt domine, qui amas animas. Dixi itaq; quod deus dilexerit mundũ, hoc est uniuersum genus hominum, licet peccatis oppletum, non quia peccatores essent, sed quia homines essent. Sicut medicus amat hominem ægrotũ, nõ quia ægrotus est, sed quia homo est. Nam si propter ægritudinem illum amaret, sublata ægritudine non amplius amaret illum. Sic & deus antecq; homo peccaret, amabat hominem adhuc innocentem. Peccante homine, non odiuit eum, sed multo magis amauit, & sic amauit, ut omnem moueret lapidem donec hominem à peccatis absolueret, & absolutum à peccatis rursum magis ac magis amauit. Ergo ubicunq; humanum genus inueneris, inuenies illud à deo maximo semper fuisse amatum, utcunq; tanto amore indignum fuerit. Imo nulla re magis demonstratur, quam magna fuerit Dei dilectio in homines, quam quod indignos, & multa mala promeritos, in tantum dilexerit, ut pro ipsis non dubitaret filium suum unigenitum dare in mortem. Ac Sap. 11.

potuisset quidem Deus optimo iure conniuere ad interitum totius humani generis, ac creare sibi aliquod nouum creaturæ genus, quod in terris nomen suum celebraret: sed in tantum dilexit hominem à se creatum, idq; nullo hominis merito, sed sua tantum misericordia & bonitate, ut maluerit unigenitum suum filium extremis miserijs exponere, quam permittere ut homo periret. Magna uis est in hoc, quod non solum dixit filium, sed unigenitum addit. In hoc enim est amplificatio dilectionis huius. Cum enim deus sit dominus omnium, potuisset quiduis aliud dare, quam filium. Dedisset saltem Angelum aliquem. Non dedit Angelum, sed filium. Qualem? Adoptatiuum aliquem? Non sed unigenitum, id est, naturalem illum, & unicum, Dominum & hæredem omnium. Sed paucis repetendum est Deus nimirum omnipotens, & qui nullius eget, sic dilexit, nullo hominis merito commotus, uniuersum hominum genus, ut filium suum dilectissimum, unicum, consubstantialem & coæternum daret, non uenderet, non accommodato, uel mutuo daret, sed ut libere daret, & hoc in mortem. Sed quid? Nunquid ideo uniuersum hominum genus saluabitur, quia Christus pro omnibus in mortem traditus est. Audi Christum ipsum.

Vt omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Ergo

Ergo soli credenter saluabuntus, increduli uero peribunt. Nam & hoc etiam in ueteri testamento prædictum fuit, Moyse referente. Prophetam suscitabo eis, inquit, de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Sic & in hoc Euangelio illi tantum prædicantur saluandi, qui credunt in CHRISTVM, hoc est, qui CHRISTVM pro saluatore amplectuntur, qui illi in omnibus fidem habent, qui, iuxta hæsternum Euangelium, sermones illius seruant. Ergo CHRISTVS sua morte non temporalia illia huius mundi bona nobis promeruit, nec temporalem & momentaneam hanc uitam æternam. Quod si non ueniſſet in hunc mundum, & patri suo cœlesti non satisfeciſſet pro nobis, non fieret salua omnis caro. Diligenter igitur obseruandum est. Si DEVS ideo filium suum misit in mundum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat: certe duo consequuntur. Alterum quod perditum fuisset uniuersum genus hominum, si non ueniſſet Christus. Alterum quod, etiamsi uenerit, tamen illis tantum proderit, qui illi sese totos committunt. Nisi igitur tam peritus medicus ueniſſet has in terras, nullus ægrotus conualuiſſet. Nemo tamen Deut. 8.

men conualuit, nisi qui medico sese curandum exhibuit. Sed hæc in sequentibus explicantur.

Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundū, sed ut saluetur mundus per ipsum.

Certe si deus uoluisset iure nobiscum agere, potuisset nulla iniuria nos omnes æternum perdere: hoc aūt noluit, quia multum nos dilexit. Misit aūt filium suum unigenitum in hunc mundū, qui nobis primum uoluntatē patris cœlestis aperiret, deinde pro peccatis nostris satis faceret, postremo ascendens in cœlos dona sua cœlestia in nos conferret, quibus adiuti & peccata uincere & Dei uoluntati studere possemus. Quod si quis tantæ gratię ingratus fuerit, olim experietur iustum ultorem, qui iam contemnit benignum saluatorem. Sequitur enim.

Qui credit in eū, non iudicatur, qui aūt non credit iam iudicatus est. &c.

Simili exponam. Inter lætaliter ægrotos, qui Medicum audit (& talem Medicum, qui curare potest lætiferos alios morbos) sanatur: qui uero illum non audit, curari non poterit. Qui credit in filium Dei, qui illi sese totum consecrat, audit, & obtemperat, non condemnatur. Qui autem non credit, qui bene monentem non audit, qui putat semetipsi sibi sufficere, quicq̄

quicq̃ mauult ægrotus in grabato quiescere, quã sanus laborare: hic iam iudicatus & condẽnatus & perditus est. Nam qui filium Dei contemnit, cum Deo in gratiam nunquam redibit. **Hoc est autem iudicium: quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quã lucem &c.** Quod multi homines damnantur, inquit, non Dei unigenito filio, sed hominibus: nõ Medico sed ægrotis ascribendum est. Nam qui mauult in infirmitate sua perire, quã obtemperare medico, nunq̃ sanabitur. Hoc in Iudęorum principibus aperte mõstratur. Isti enim cognoscebãt Christum, intelligebant ipsum uera dicere omnia, & credebant in eũ, sed nõ fatebantur, quod credebant. Quia diligebant gloriam hominum magis, quã gloriam Dei. Et hoc nostro sæculo multi uident & lucem & tenebras, uident quid fugiendum, & quid sequendum: sed quoniam magis diligunt tenebras, quàm lucem, ideo in tenebris manent, & luci omnes fenestras obstruere conantur. Multi iam disertis uerbis cõfitentur multos abusus irrepsisse in Ecclesiam Christi, multa item à quibusdam Ecclesiæ obñci scãdala, sed quis semetipsum reformari sustinebit? Omnes fatentur se agnoscere Lucem ueritatis, & tamen pauci adhuc uidentur tenebras uelle deserere. **Omnis enim qui male agit,**

odit lucẽ: & non uenit ad lucem &c.

Ephes. 5. Apostolus Paulus ad Ephesios scribens ferè eandem sententiam habet. Eratis, inquit, alis quando tenebræ: nunc autem Lux in Domino. Vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitate & iustícia, & ueritate) probantes quid sit bene placitum Deo: & nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Omnia autẽ quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim, quod manifestatur, lumen est. Arguit hic Apostolus, hoc est, cõuincit Ephesios quod & ipsi olim fuerint in tenebris: hoc est, in erroribus tam quo ad fidem, quam quo ad conuersationem, iam uero ad Christum uenerint, unde necesse sit illos non redire ad opera tenebrarũ, sed potius sectari debere opera lucis. Nam omnia in manifestum uentura, quæcunq; ab hominibus fiunt. Quid uero causæ est, quod, qui male agit, odiat lucem? Dicam, Satanas, dum hominem ad peccandum allicit, fœditatem peccatorum occulit, & rem facit leuem, ut sic facilius incautum decipiat. Postquam uero eum decepit, tum tandem magnitudinem & fœditatem peccatorum illi ob oculos ponit, ut hoc modo pudore suffusus erubescat confiteri, quod
Rom. 6. male egit. Cum serui essetis peccati, inquit, Apostolus ad Romanos, liberi fuistis iustitiæ.

Quem

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quib. nunc erubescitis? Sed eius rei multa exempla habemus, in Cayn & in Iuda proditore, & in alijs, qui pro peccatis suis increpiti, illa potius dissimulare quam confiteri uoluerunt.

Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, &c. Eam conditionem habent ueræ uirtutes, ut nullo timore audeant in conspectū omnium prodire. Nam & hij etiam, qui male operantur, eius nolunt accusari, sed omnia tentant, ut uideantur non male, sed bene operati fuisse, uitijs uidelicet uirtutum nomina imponentes. Sed sufficerint hæc. Totius Euangelij summa in eo consistit, ut sciamus, Deum non nostris meritis, sed sua propria bonitate motū, ut filium suum in hunc mundum mitteret, imo & in mortem traderet. Huius autem mortis nemo fit particeps, nisi qui crediderit Christo & huic obtemperauerit. Obtemperemus itaq; ut in æternum uiuere ualeamus cum ipso, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

DOMINICA TRINITA-tis. Iohan. 3.

In illo



N illo tempore: Erat homo ex phariſęis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, hic uenit ad Ieſum, nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo uenisti magiſter, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus & dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt uidere regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo renaſci, cum ſit ſenex? nunquid poteſt in uentrem matris ſuæ iterato introire & renaſci? Reſpondit Ieſus. Amen amen dico uobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum Dei.

Dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quo uadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel, et hęc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo, si dixero uobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis,

nis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam.

EXPOSITIO.

QVoniam hodierni Euangelij lectio satis prolixa est, multaque expositione opus habet, non longe præfabimur, sed interpretationem ipsam statim aggrediemur. Apostolis itaque sacer, & diligentissimus Christi Euangeliographus Ioañes, ante hodierna Euangelij descriptionem ostendit, quomodo Christus Iesus ementes & uendentes templo eiecerit, & multi in ipsum crediderint, uidentes signa, quæ faciebat. Ex horũ numero haud dubie fuit Nicodemus ille, de quo iam his uerbis loquitur Euangelista. Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum. Quoniam magnum negotium est, quod inter Christum & Nicodemum agitur nihil uoluit Euangelista omittere, quod uel aliquo modo potest ad ueritatem historiæ pertinere: unde Nicodemum omnibus modis depingit, non solum nomen illius ponens, uocans Nicodemum (quod nomen si ab Hebræo deriuatur innocentiam, si uero à Græco, uictoriam significat) sed etiam conditiones illius depingens, dicendo,

Ioh. 2.

dicendo, ipsum fuisse non solum Phariseum, sed etiam principem Iudeorum. Nicodemus igitur fuit professione sua Pharisæus, quod uitæ genus habebatur inter Iudæos honestissimum & sanctissimum: doctrina autem fuit Rabbinus, hoc est, Doctor legis: autoritate uero & potestate fuit in functione Magistratus. In hoc em̄ loco uocatur Iudæorum princeps: & postea capite septimo numeratur inter eos, qui miserant ministros ad capiendum Iesum: quorum tamen impietati, ipse non cōsentiebat. Licet em̄ ius gladij nō penes Iudeos, sed penes Romanos tum erat, tamen habebant & Iudei alicq̄ potestatem, sicut Ioan. 12. Ioan. 7.
Ioan. 12. uidemus, ubi sic legimus. Ex principibus multi crediderunt in Iesum, sed propter Pharisæos nō cōfitebantur, ne è Synagoga eijcerentur. Ergo apud Pharisæos potestas fuit eijciēdi à Synagoga, si quem cōtemnassent. Et post Dñi ascensionem iure suæ potestatis Stephanum lapidibus interficiūt. Vsq̄ adeo Pharisæorum secta speciem sanctimoniæ & iustitiæ induerat, ut Ecclesiasticæ potestatis autoritatē hoc sit nomine adepta. Ita & maiores nostri, omnem Ecclesiasticam potestatem, & nōnunquam etiam prophanam, religiosis concrediderūt. Sic, & hac de causa, haud dubiè, ex Episcopis nostris principes imperij facti sunt: ut si reliqui, prophani scilicet & rerū sacrarum experres, aliquid minus recte proponerent. Ecclesiasticorum admonitionibus edocti, res melius curarent. Quis enim non Actor. 7.

malit

malit uiris iustis & sanctis subesse, q̃ prophanis ac irreligiosis: Nicodemo itaq; (ne extra chorum saltemus) nihil penè defuit earum rerum, quas hic mundus suspicit & admiratur. Nõ deest ei honestas nõ doctrina, nõ dignitas, nõ auctoritas, nõ potestas. Sed uideamꝰ quid ille faciat.

Hic uenit ad Iesum nocte, & dicit ei, Rabbi, scimus quod à Deo uenisti Magister.

Quare uenit noctu? Quod ad Iesum uenit, indicio est animi honeste, et de Chro bene sentientis. Quod uero nõ interdiu uenit, sed noctu, animi erat imbecillitas & periculi metus. Timebat em sectæ suę principes. Nõdum enim tantũ fidei ac roboris animo conceperat, ut famæ ac bonorũ, nedum uitę periculum pro Christo contemnere posset: neq; dũ satis intelligebat negotiũ regni dei, quod certè ex ipsius uerbis ad Christum intelligitur. Rabbi inquit, scimus quod à deo uenisti Magister. Amplum quidem & honorificũ testimoniũ Christo dat, sed adhuc imperfectũ & leuius, quam illius maiestati conueniat. Non enim dicit. Scimus quod à Patre ueneris filius Dei ac saluator mundi in Prophetis promissus. Prophetam tantum à Deo missum agnoscit, nõ Messiam illum filium Dei. Nos uero Christiani aliud scimus, & uerba Nicodemi alio sensu proferrimus. Scimus profecto Christum Iesum uere Magistrum de cœlo, siue à Deo uenisse, scimus

mus illum suam doctrinam neque ab homine, neq; per hominem accepisse, sed plane à patre cœlesti ab æterno habuisse. Mea doctrina, inquit, non est mea, sed eius, qui misit me, patris. Et alibi. Ego, quæ audiui à patre meo hæc loquor in mundo. Vere ergo Magister & doctor à Deo uenit: & Deus nos ad ipsum mittit dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Obseruanda sunt hic duo. Primum quod Nicodemus disertis uerbis testatur & confitetur ipsos Pharisæos non ignorare Christum à Deo uenisse: hoc est, hominem esse sanctum & probum, & cui merito auscultarent. Iam si hoc statim ab initio Euangelij intellexerunt, nemo potest dicere quod postea, dum Christus tanta miracula operaretur, ipsum non cognouerint, & non magis inuidia, quam ignorantia illum persecuti fuerint. Secundo obseruandum quanta sit uis ambitionis, quæ sic ligatum & captiuum tenet hominem, quem semel occupauit, ut illum etiam à confessione apertissimæ ueritatis cohibeat. Hinc alibi de Pharisæis loquitur Euangelista, quod dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam, quæ à Deo est. Et nostro tempore multi intelligunt errores suos, intelligunt fraudes & impostura pseudodoctrinæ, sed quoniam de gloria huius mundi periclitari, uerentur, malunt contra propriam conscientiam in errore persistere, quam aliquid uideri

Ioan. 7.

Ioan. 8.

Mat. 3.

non intellexisse. Hoc Nicodemos excusare quis possit? Qui uero hæreses in pectoribus gerunt (quales uereor multi sunt) & timore periculi profiteri non audent, illos non cum trepidante Nicodemo, sed cum Iuda traditore perfido contulerim. Nam dum inuidiam contra Ecclesiam Christi, & amorē ad hæreses calide dissimulant, longe plus nocent piorum causæ, quam si aperte profiterentur iniquitatem animi sui. Nicodemus non admodum male sapiebat de Christo, sed non tam bene, quam conueniebat: nam ceu diximus, non sublimis sentiebat de Christo, quam de reliquis ueteris testamenti Prophetis. Et opinionem suam confirmabat miraculis, quæ Christus operabatur.

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, inquit, **nisi fuerit deus cum eo.** Nicodemo, sicut iam dictum est, non debet uitio uerti, quod tam humiliter de Christo loquitur: satis excusat illum, quod nihil mali de Christo suspicatur. Legerat Nicodemus in ueteri testamento, quod Prophetæ ueteres multa miracula fecerint, mortuos suscitauerint, leprosos curauerint, & alia multa operati fuerint, non quidem propria uirtute, sed Dei iussu, & auxilio. Quum igitur animaduerteret Nicodemus, quod etiam Christus tam admiranda agat, statim apud se constituit illum uere esse hominem Dei, & eximium Prophetam,

tam, qui Dei auxilio omnia operari queat. Et quoniam ex ipsius concionibus intelligit ipsum esse uirum magnæ doctrinæ, & nescio quid noui moliri, accedit ad Iesum, uolens nimirum de rebus ad religionem pertinentibus, amica collatione conferre. Iam uero si quis tale quippiam de Christo cogitet, non pius Christianus, sed impius Hæreticus merito iudicabitur. Nonne duo falsa hic cogitat, & loquitur. Primum quod existimat Christum non propria, sed aliena uirtute operari miracula, Secundum quod existimat operationem miraculorum certissima esse testimonia piorum Prophetarum. Debebat utique ex scripturis ueterum scripturarum intelleXisse, & pseudoprophetas aliquando falsis miraculis decipere mundum: & deum etiã per malos homines aliquando operari mirabilia. Sed iam sæpe diximus hanc ignorantiã nos debere Nicodemo condonare. Nemo repente fit summus. Audiamus itaq; , quid ad tam amicã Nicodemi salutationem responderit Christus.

Amen amen dico uobis, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum Dei. Non immerito quis miretur quomodo hæc responsio CHRISTI ad uerba Nicodemi pertineat: quum hic illum commendet, & sui iudicij causas exponat. Sed tem quantum fieri potest explicatum red-

dere conabor. Venerat Nicodemus animo bono ad dominum Iesum, uerum ut legis doctor, quasi pro sua eruditione & sapientia facile doctrinam ueritatis ex illo intellecturus. Hanc persuasionem dominus mox initio reiecit afferens doctrinam regni dei talem esse, ut à nemine mortalium ut ut docto intelligi queat, nisi prius regeneretur & alius homo fiat. Videre enim regnũ dei est intelligere qua uia perueniatur ad regnum dei. Christus uero unica illa uia est. Atqui uia esse non posset, nisi Deus & homo esset. Iam Nicodemus non uidet Regnum Dei quoniam non uere cognoscit Christũ: quẽ etiam cognoscere non poterit, nisi ipse Nicodemus in alium uirum transformatus fuerit. Dicit ergo Christus. Amen amen dico uobis, nisi quis renatus fuerit, non potest uidere regnum Dei. Sententia est. Venis ad me. Nicodeme, opinione eruditonis & scientiæ persuasus, quasi doctrinam regni, quam prædico, hoc facilius sis cognicturus ac percepturus. Ad ego tibi affirmo, nisi quis alius fiat, hoc est ex carnali & animali, in spiritualem & nouum hominem mutetur, fieri nequit, ut regnum Dei intelligat, hoc est ut certo cognoscat quibus modis Deus Satanam uincere, & genus humanum redimere uelit. Habebat quidem Nicodemus cognotionem quandam de Messia, quem sciebat esse promissum, & tot annis expectatum sed ignorabat uerum eius officium. Exspectabat

pectabat enim, non ut expiatorem peccatorum, ut reconciliatorem inter Deum & hominem, quod est uerum ac proprium Messiæ officium sed expectabat eum, ut externum Monarcham & politicum Regem, qui uindicaturus esset Israelitas in externam libertatem, & dominaturus pro more Regum in terra. Quoniam itaque hanc persuasionem habebat, intelligere non poterat, quid sibi uellet Christus cum sua illa regeneratione. Vnde etiam respondet. Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in uentrem matris suæ iterato introire & renasci? Vix est aliud uocabulum, quod peius audiat in nostra catholica religione, quam illud. Quomodo, Quasi scilicet Deus nihil facere posset, nisi quod nos nostris ratiocinationibus comprehendere possumus. Et quasi nihil fiat, nisi quod uos nostris oculis uidere ualeamus, Quid autem hac sentētia stultius, quid puerilius, quid ineptius? Multa enim nō percipiuntur corporalibus oculis nec uidentur, quæ tamen uere sunt, aut fiunt. Quis unq̄ uidit Deum? & tamen Deus uere est. Etsi enim non cernitur sua natura, cernitur tamen quod uere sit, non solum ex unigenito filio suo, sed etiam ex ipsa harum rerum, quas uidemus, magnitudine, motu, dispositione, constantia, pul-

christudine, temperatione. Sunt & angeli, qui nec ipsi cõspiciuntur corporalibus oculis, & tamen ex reuelationibus, & operibus eorum manifestum est eos esse. Quid dicemus de anima humana? Quis unquam uidit eam oculis suis? Sed quis est tantæ impudentiæ, aut temeritatis, qui, cum uideat tot manifestas uitæ actiones in homine, negare audeat animam esse? His exemplis perspicuum est, nihil esse imprudentius, aut magis puerile, quam existimare rem aliquam non esse, aut non fieri, quod carnalibus oculis non uideatur. Atqui Nicodemus omnia terrene iudicans, & nomen generationis audiens, putat non aliter posse hominem nasci, nisi ope uiri, & fœminæ, & hoc uulgato more, iuxtaque communem naturæ ordinem. Quod si spiritualem mortem cognouisset, de spirituali regeneratione non tam stupide locutus fuisset. Sed quid Christus ad tantam Nicodemi ignorantiam? Non duriuscule illum increpat, nec à se repellit, sed respondit.

Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Quod Christus ante obscuris uerbis dixerat, iã clarioribus enunciat, ostendens se non de generali & uulgata illa natiuitate, qua ex Mare, & Femina homo nascitur, loqui, sed de alia qua-

piam.

piam. Ad carnalem quidem generationem, necessarius est uterus matris, ad eam uero, de qua Christus loquitur, & qua homo semel natus renascitur, opus est spiritu sancto, & aqua. Et hæc generatio tam necessaria est, ut sine ipsa nemo possit intrare regnum Dei. Hæc regeneratio in Baptismo fit, ubi, quod externa aqua significatur, spiritus sanctus interne operatur. Aqua corpus aliquo modo abluitur: & spiritus sanctus corda abluit, sordes peccatorum abstergit, mentem innouat, regenerat, ac domino sanctificat, ut ex carnali fiat spiritualis, ut ex filio iræ, fiat filius gratiæ. Huc pertinet, quod ad Corinthios scribit Paulus. Fuistis aliquando Idololatræ, fornicatores, fures, auari, ebriosi &c. Sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Et ad Titum, Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundũ misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, & in Actis loquitur Ananias ad Paulum. Quid moraris? exurge, & Baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius. Breuiter regeneratio nostra est baptismus noster, in quo à peccatis abluimur, spiritualibus donis & inuocamur, & ornamur, & in sortem filiorum Dei ascribimur, & tandem hæredes Dei, & cohæredes Christi inscribimur. Quæres, etsi externis oculis uideri non potest,

1. Cor. 6.

Titum. 3.

Acto. 22.

tamen apud Christianos extra dubium est. Initio quidem reuelati Euangelij post ascensum Christi in cœlum, donabatur spiritus sanctus manifestis miraculis, sicut nuper diximus, nunc autem donatur spiritus sanctus inuisibili Dei administratione. Sed hæc alias, iam rursum audiendus est nobis Christus.

Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est &c.

His uerbis apperit Christus causam cur necessario homine renasci debeant. Quod natum est ex carne, caro est, hoc est, quod uulgato hominum more nascitur, carnale est, & quæ carnis sunt, sequitur. Quod uero natum est ex spiritu, spiritus est, hoc est quæ spiritualia sunt & cœlestia sapit, & sequitur. Rem sic intelligere, Adam ab initio quidem creatus est iustus, sapiens, fœlix, beatus, immortalis, adeoque plane diuinus. *Faciamus*, inquiebat, Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostrã. Cum enim homo constet diuina creatione ex corpore, & anima: quod ad corpus adtinet, tanta fuit firmitate & soliditate conditum, ut in ipsum nec morbus, nec senectus, nec mors, corruptio, ullum ius habuerit. Quod autem ad animam, cuius præcipue partes sunt intellectus, memoria, & uoluntas, adtinet, in illa fuit summa diuinarum, & humanarum rerum

intelligen-

intelligentia, & sapientia, fuit in illa etiam summa cupiditas, promptitudo & alacritas obsequendi & perficiendi, quæ ratio ipsa perficienda cognouerat, ac breuiter, Spiritus Dei ita hominem gubernabat, ut totius esset iustus, sanctus, sapiens, immortalis, fœlix & beatus. Nulla hic erat iniusticia, nulla impietas, nulla mors, nullus infernus &c. Quod si Adam non peccasset, certe, quotquot ex ipso nati essent, hij retulissent etiam secum hanc iusticiam & fœlicitatem. Nunc autem Adam à Satana seductus, non constitit in ea iusticia & bonitate, in qua à Deo creatus est, sed auertit se à Dei uerbo, & peccauit aduersus Deum. Itaq; factum est, ut, recedente Spiritu sancto propter peccatum, susceperit imperium in Adam Spiritus malignus, & corruptus & deprauatus sit Adam tam corpore, quam anima. Nam quibus periculis & miseriis expositum sit corpus humanum quis non in horas experitur? Quis nō conqueritur? Quod uero ad animam attinet, & ipsa cum suis uiribus corrupta & deprauata est. Nam intellectus obtenebratus est, ut de rebus diuinis nihil certi statuere possit. Est & in memoria magnus defectus, ut quæ magis malorum, quā bonorum recordari soleat. Sic uoluntas nostra suam prauitatem & corruptionem habet, ut ad malum, non ad bonum prona & inclinata sit. Homo igitur sic deprauatus (nam sic omnes in mundum nascimur) quid faciet boni? Ad res

diuinas omnino stupet, &, quæ carni placent, sequitur. Adde quod, cũ in peccatis & conceptus, & natus fuerit, & Spiritum Dei non habeat, placere Deo non potest. Quid igitur faciendum? Renasci nos oportet, ut in alios homines transformemur. Quomodo uero hoc fit? Ex aqua & spiritu sancto. Nam in Baptismo, ceu diximus, regeneramur, & noui homines fimus. Delentur in nobis omnia mala, & donantur nobis omnia bona. Reparatur anima nostra cũm omnibus suis uiribus. Succurritur intellectui nostro, memoriæ nostrę, & uoluntati nostræ. Intellectum subleuat fides, memoriam spes: uoluntatem uero charitas. Homines ergo sic renouato, & cælestibus muneribus ditato, iam nõ carnalis, nec animalis, sed spiritualis dicitur. Non quod ablato corpore totus fiat Spiritus, sed quod non carnis malam concupiscentiam, sed Spiritus sancti dictum sequatur. Et hæc quidem de regeneratione illa dixisse sufficerit.

Non mireris, quod dixi tibi. Oportet uos nasci denuo &c.

Hoc est: Mi Nicodeme, ne mireris, quod dixi tibi, Oportere hominem nasci denuo, quasi hoc impossibile sit, sicut inuisibile est. Multa enim fiunt, quæ, licet quomodo fiant non uideamus, tamen facta esse negare, non possumus. Sed heus tu, si ita tibi constitutum est, ut sen-

tias

tiás eas nugas esse, quæ non videas, profecto nec uentum aliquid esse dices. Quis enim unquam uentum uidit? Sed quemadmodum uentus re ipsa uere est, & perflat, quo natura sua fertur, non tamen uides eum, nec cum uenit, nec cum abit: sed tantum audis sonum agitationem eius: ita cum quouis accidere solet, qui é Spiritu nascitur. In nullo enim homine percipitur Spiritualis generatio corporalibus oculis. Nam in hac generatione nec corpus, nec anima uidetur immutari. Corpus infantis, qui per baptismum renascitur, & inseritur CHRISTO, idem uidetur post baptismum, quod ante erat: At nobis, iuxta fidem ECCLESIAE catholicæ, certo constat paruulum illum sic baptizatum longe alium esse coram Deo, quam antea fuerit. Sed adultorum exemplis res clarior fiet. Vide Petrum ante acceptum spiritum sanctum, & uide Petrum post acceptum Spiritum sanctum. Nemo potest negare, quin longe alius homo apparuerit post acceptum Spiritum sanctum, quàm prius fuerit. Sed quis illam immutationem uidit? Negari non potest, quin factum fuerit: sed quomodo factum fuerit, hoc nullius hominis oculos uidit.

Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?

Et si Christus iã iam exemplo uenti exposuerit, spiritus

ſpiritualem regenerationem eſſe rem, quæ externis oculis uidere nequeat, nihilominus tamen Nicodemus perſiſtit in ſua quæſtione, Quomodo hoc fieri poſſit, ut homo ſenex renaſcatur? Reſpondit ei Ieſus. Tu es Magiſter in Iſrael & hæc ignoras? Non explicat CHRISTVS, quomodo illud, de quo agitur, fiat: ſed reprehendit Nicodemi ignorantiam, qui, quum ſit Magiſter in Iſrael & legis doctor, non intelligat ea, in quibus totius hominis ſalus conſiſtat, & quorum frequens mentio in illis ſcripturis, quarum Nicodemus uoluit uideri uerus interpres, Hominem enim in peccatis concipi & naſci, ignorare non potuit: Legit etiam in libro Iob. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es? Et
Hier. 31. in Hieremia. Dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra uir proximum ſuum, & uir fratrem ſuum dicens, Cognoſce dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſq; ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non me-
Eze. 36. morabor amplius. Et in Ezechiele. Effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris, ab uniuerſis idolis ueſtris mundabo uos. Et dabo uobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri: & auferam cor lapideum de carne

ueſtra

uestra, & dabo uobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio uestrum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operimini. Hæc certe de spirituali illa nostri regeneratione dicta sunt à prophetis, utcumq; illa non intelligat Nicodemus. Recte itaq; ac merito reprehenditur à Christo, quod, cum sit Magister in Israel, ignoret, quæ tam multis uerbis Propheræ prędixerunt. Admonemur hoc loco, quid merito exigatur ab eo, qui docendi in populo Dei munus accepit. Si enim cæcus cæcũ ducit, ambo in foueam cadunt Et in Malachia legimus. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirent ex ore eius. Et diuus Paulus uult habere Episcopum, qui recte sciat sacre uerbum dei. Sed, heu dolor, Ecclesia nostra iam multos habet Nicodemos, qui cum ament uocari Rabi, & desiderent primas cathedras in Synagogis, ne prima quidem fidei nostræ Elementa callent. In eo uero peiores sunt Nicodemo, quod hic in discipulorum classem se submittit, illi uero ne bene monentem quidem æquanimiter ferre possunt. Amen amen dico uobis, quia, quod scimus, loquimur, & quod uidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Videtur Christus hæc dixisse reprehensionem Nicodemi, qui putabat nihil posse fieri, qd ipse non posset sua

sit sua ratione comprehendere. Christus itaq; affirmat se nihil fingere, sed omnia loqui, sicut ipsa expertus est, & de hijs rebus testimoniū dare, quæ certo uidit. Ipse enim Christus nō ignorare potest, in quas miserias inciderit homo, & qua ratione, etiam deo reconciliari possit. Nouit hominem post lapsum omnino carnalem factū esse, nouit quod homini nō, nisi per regenerationem succurri possit, nouit præcipuum esse regenerandi modum per aquam, & spiritum. Nouit hunc regenerandi modum, non magis posse corporalibus oculis comprehēdi, quàm flatum uenti, cuius sonitum audimus, licet formam non uideamus. Ergo propter Nicodemi ignorantiā, non erit falsum, quod de regeneratione Christus hactenus dixit. **Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo, si dixero uobis cœlestia, credetis?**

Sunt qui putant Christum ea, quæ dixit de uenti flatu, iam uocare terrena. Atqui ego puto Dominum respondisse ad opinionem Nicodemi, qui putat impossibile esse, ut homo semel natus, rursum renascatur. Atqui Deo nihil est impossibile. Si potuit ex terra creare Adamum, & ex Adamo Euam, quid prohibere potest, quo minus possit hominem omnino in aliud transformare? Certè in die extremi iudicij fiet generalis regeneratio, quando mortui in sepulchris audierint uocem filij Dei, & qui audierint uiuent. Ergo

go qui non credit, quod Deus possit hominem creatum regenerare: quomodo creder, quod Deus possit hominem saluare?

Et nemo ascendit in cœlum, nisi, qui descendit de cœlo &c.

Dupliciter hunc locũ interpretari possum. Neminẽ potest deus adducere, qui testimoniũ ferat de rebus cælestibus, quũ nemo unq̃ in cœlum peruenerit. Secundo si homines regenerationẽ nõ indigent, sed suis operibus, aut meritis in cœlũ cõscendere possunt: qui fit quod inter tot sanctos uiros, inter tã multos celeberrimos Prophetas, nemo in cœlũ peruenire potuerit? Sequitur.

Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet filium hominis exaltari &c.

Historiam exaltari serpentis poterat nosse Nicodemus, sed non mysterium. Expositum autem Christus quo medio nobis introitus pateat ad Regnum Dei, quod non renatus nec uidere nec intrare poterit. Quis enim uult in Regnum cœlorum ingredi is necesse est in Christum credat, cumq̃ pro uero saluatore agnoscat, ac ei per omnia obtemperet. Hic est filius meus dilectus, ait Pater cœlestis de filio in quo mihi complacui ipsum audite. Audiat ergo ipsum Nicodemus, credat ei dicenti hominem carnalem, siue animalem non posse Regnum

dei

dei ingredi, nisi prius renascatur, & hoc ex aqua & spiritu, sicut hanc rē supra exposuimus. Non ergo aliquis contemnat Christum, ac si sine ipso saluari queat. Et si serpens ille æneus non uidebatur aliquid uirtutis in se habere, tamen, qui illum iussu Dei intuebatur, sanabatur. Qui uero dixisset. Quid? Si Deus me curare uult, quid opus est intueri bestiam illam, quæ non habet uitam quæ nec se ipsam mouere potest? Qui hoc, inq̄, dixisset, nunq̄ sanitatem recuperasset. Sic, qui uel sibi se sufficere putat ad consequendam salutem, uel Christum non sufficere ad impetrāndum nobis illam, nunq̄ saluabitur. Credamus ergo Christum Iesum unicam & sufficientem esse hostiā, pro peccatis totius mundi, odio habeamus peccata nostra, quæ & ipse odit, seruiamus uero illi in omni sanctitate & iusticia omnibus diebus nostris, ut, dum periodus uitę huius nostræ mortalis absoluta fuerit, singuli à Domino audire mereamur, Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Quod utinam nobis contingat gratia & benignitate Domini nostri, Iesu Christi, qui est Deus benedictus in sæcula,

AMEN.

IN FESTO S. EVCHARIstiæ. Euange. Ioan. 6.

In illo



IN illo tempore, Dixit Iesus Discipulis suis, & turbis Iudæorum, Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut me misit uiuens pater, & ego uiuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres uestri manna & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, uiuet inæternum.

EXPOSITIO.

QVi manducat meum carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ioan. 6. Peractis temporibus, & celebratis haud ita dudum succedentibus festiuitatibus, uerbis & exemplis nobis demonstratum est, quot & quanta nobis Deus per filium suum unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum largitus est beneficia: Vidimus eum pati, congratulati sumus resurgenti, uidimus ascendentem in cœlum, accepimus dona spiritus sancti, benediximus propter ea patrem, & filium cũ sancto spiritu. Iam ne uideamur penitus destituti Christo seruatore nostro, age hodie nobis indicta est solennitas, quæ nobis in memoriam reducit, quam pretioso dono donauerit nos Christus dominus noster, nimirum pretiosissimo corpore suo, non quidem mortali, & passibili, sed uiuifico & immortali. Dum adhuc in hoc mundo nobiscum mortalis, & passibilis obambularet, pastor noster erat, iam factus est cibus noster. Corpus nostrum (nimirum anima & caro) mortuum fuerat, quod ut uiuificaretur, Christus corpus suũ, hoc est animam & carnem suã tradidit in mortem. Iam nisi aleretur corpus nostrum, rursum moreretur: quod ne fiat, Christus corpus suum tradidit nobis in cibũ, qui nos à perpetua morte præseruare debeat. Caro enim mea uere est cibus, inquit, & sanguis meus uere est potus &c. Ne autem quispiam putaret carnem domini, &

eiusdem

eiusdem sanguinem, esse cibum & potum temporalem, paulo superius dixerat. Amen amē dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitā in uobis. Atqui illi, ad quos loquebatur, certe iuxta temporalem hanc uitam satis uiuebant: unde Dominum, de alia quapiam, & meliori uita locutum esse euidentissimum est. De qua, rogas, uita? Audi eundem. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. An non & alij resuscitabuntur: Resuscitabūtur quidem, sed non ad æternam uitam, sed ad mortem æternam, ad mortē, in qua mori desiderantes, mori non ualebunt, sed ad uerba hodierni Euangelij reuertamur, ut exponamus illa. Caro mea inquit Christus uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Disputatio est, uter, inē Christum & Mosen, alteri præferendus sit: Et in contentionem ueniunt, uter populo Iudæorum maiora beneficia exhibuerit, Christus ne, an Moses: Inquiunt enim Iudæi ad Christū. Quod tu facis signum, ut uideamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt Manna in deserto, sicut scriptū est: Panem cæli dedit eis manducare. Ad hoc respōdet Christus: Amen amen dico uobis, non Moyses dedit uobis panē de cælo: sed pater meus dat uobis panē de cælo uerū. Et deinde, Patres uestri māducauerūt Manna in deserto & mortui sunt. Si qs māducauerit

Ioh. 6.

Apo. 9.

Exo. 16. Num. 11. Psal. 77.

ducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Litigabant igitur Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum? qua in re certe referunt parentes suos, qui etiam non sperabant fieri posse, ut tanta hominum, & pecorũ, *Psal. 77.* multitudo ali posset in deserto. Tentauerunt deum in cordibus suis, inquit psaltes, ut peterent escas animabus suis. Et male locuti sunt de Deo dixerunt. Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Sic etiam hoc loci dicunt, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Putabant enim, non nisi unum esse manducandi modum, scilicet ut, qui manducaretur, pateretur, & consumeretur, & qui manducaret, etiamsi in multos annos uiueret, tamen tandem eum esse moriturum. Iam si Christus carnem suam traderet in cibum, consequeretur (iuxta illorum opinionem) Christum quidem certo periturum, seipsos uero perpetuo hic uicturos. Iam quis crederet Christo, Iosephi (ut putabatur) & Mariæ filio tam magna & admirenda pollicenti? Quis? Non Iudæus, non *2. Co. 10.* Ethnicus, non Sacramentarius hæreticus. Sed quis? Humilis Christianus, qui didicit intellectum suum dare captiuum in obsequium Christi, qui plus fidit Christi uerbis, quam proprio *Sap. 12.* suo ingenio, qui persuasum habet Christo nec uoluntatem deesse, nec potestatem, qua nobis uelit,

uelit, & possit carnem suam dare ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum. Sunt quidem multi & uarij corporis huius corporales cibi, sed nō sunt tales, qui possint sic omnem extinguere esuriem, ut nunq̄ redeat, nec possunt etiam satiare animas nostras. Cibus autē, quem nobis Christus largitur, illis longe melior et pretiosior est, & tanto pretiosior, ut ille corporalis uix possit cibus dici. Caro autem mea uere est cibus, et sanguis meus uere est potus. Quare hoc? quia uere cibat & potat animam, & corpus nostrum. Quomodo hoc? Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo: hoc est, corpori meo inseritur, mihi unitur & incorporatur. Iam, qui membrū corporis Christi est, quomodo non perpetuo uiueret, quum Christus perpetuo uiuat? Vel dic. An ne potest mori corpus, uiuente capite? An nē potest uiuere corpus, ablatum à capite? Nihil minus. Ergo in quo Christus manet, & qui in Christo manet, hoc est qui unum cum Christo corpus est, non potest mori in perpetuum? Christo autem incorporatur, qui manducat corpus Christi. Sic enim ait, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hic dicet quispiā, Ergo quotquot, quocumq̄ modo, sumunt corpus domini, uere in Christo manent, & uitam consequentur æternam? Hoc ego dicere non ausim: nec̄ tamen dicam Christum non esse ueracem. Hic

dixit, Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Quis cõtradicet Christo? quis arguet ipsissimam ueritatem mendacij? Ergo dicemus, omnes huius sanctæ mensæ conuiuas habituros uitam æternam? Hoc ego lubens dicerem, quoniam nemini inuideo salutem: sed cur non audeam dicere, in causa est Apostolus dicens. Quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Et rursum. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Et ab initio huius disputationis dicit idem Apostolus, conuenientibus uobis in unum, iam non est dominicam cænam manducare. Ergo non omnes mãducant carnem domini, & bibunt sanguinẽ domini, qui manducare uidentur & bibere: aut potius sic dicamus (nolumus enim ueritatem ipsam in dubium uertere) Non omnes manducant corpus domini ad uitam æternam, qui corpus domini manducant. Eundem quidem cibũ manducãt, qui de eadem participiant mensa, sed non eadem in omnibus operatur cibus idem. Quæ uarietas non cibi est, sed manducantis, hoc etiam solet contingere in corporalibus cibis, ut unus cibus, alij sit antidotum, qui tibi est uenenum. Sed hoc, inquit, Christus non dixit, sine omni autem exceptione hanc protulit sententiam. Qui manducat meam carnem, & bibit meum

1.Cor.11.

meum sanguinem, habet uitam æternam. Non dixit uel de digna, uel indigna manducatione. An igitur reprehendendus est Christi Apostolus, qui tantum inter sumentes facit discrimen, ut Corpus Christi alius sumat ad uitam æternam, alius uero ad supplicium æternum? Quis uero ausit D. arguere Apostolum, qui alibi scripsit. An experimentum quæritis loquentis in me Christi? Et iterum, puto quod & ego Spiritum Dei habeam. An ne plura dicemus Apostolum à nobis postulare, quam Christus à conuiuis suis Apostolis postulauit? Si omnia, quæ Christus dixit, & fecit, in Euangelijs scripta essent, nodus hic facillime explicaretur. Atqui noscimus ex eodem Euangelio, Christum multa, & dixisse, & fecisse, quæ in Euangelio conscripta non sunt, sicut & multa sancte dixerunt, & fecerunt Apostoli, quæ à D. Luca in Actis non sunt scripta. Vnde coniicimus etiã ea, quæ Paulus hic dicit, ab eis quæ CHRISTVS in cæna dixit (etiamsi non scripta sunt) non discrepare. Admisit CHRISTVS Iudam ad cænam suam, admisit & Petrum. Huic cibus sacer ad uitam, illi ad perpetuum interitum faciebat. Nonne buccella Dominica uenenum fuit Iudæ? Ait Augustinus. Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malum accepit, sed quia bonũ malus male accepit. Cur ergo Ecclesia uetus manifestos

2. Cor. 13

1. Cor. 7.

Ioan ultimo.

criminosos à cæna domini prohibuit, quum Christus Iudam admiserit? Sed nolumus in hac concertationem descendere. Nemo Christianorum est, qui non Paulo credit dicenti, Quod indigne manducantes corpus domini iudiciũ sibi manducent: etiamsi Christus dixerit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Quid porro est digne manducare? Ecclesia breuiss. respondet, Corde contrito & humiliato accipere, hoc est, cum detestatione uitiorum, Non enim nocent Peccata præterita, inquit Augustinus, si non placent præsentia. Aduersarij nostri plerique nihil aliud postulant à suis conuiuis, nisi pecuniarem illam suam fidem, qua sumens certo credat se Deo propter Christum placere: quasi scilicet Corinthij, quos Apostolos arguit, non crediderint Deum nobis per Christum placatum fuisse. Sed audacter dicã. Apostolus magis arguit Corinthios neglectæ Charitatis, quam neglectæ fidei: hoc quod ex contextu illo facile conuincere possumus. Quid enim illud? Confunditis eos, qui non habent, Contemnitis Ecclesiam. Alius quidem esurit, alius uero ebrius est. Ergo in suscipiendo Sacratiss. hunc, de quo loquimur, cibum, non sola fides, sed præcipue charitas requiritur: Charitas, inquam, erga Deum, & proximum, ut scilicet agnoscentes Christi in nos Charitatem, qui semetipsum dedit nobis in cibum, parati simus in ipsius gratiam

Vide Cyrillum li. 4. cap. 27 in Euan. Ioan.

1. Cor. 11

tiam, etiam nosmetipsos pro fratribus nostris impendere. Huc pulchre quadrat, quod eadem scribit Ioannes de Charitate, quæ Christus dicit de Eucharistia. Christus dicit. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioannes uero. Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. An non eadem promittit diligentibus Deum Iohannes, quæ promittit Christus manducantibus Eucharistiam? Non immerito itaque dicimus necessarium esse, ut magna charitate in Deum, & proximum ornati, cœlestes illas epulas adeamus. Et hoc etiam perpetuo habuit praxis Ecclesiæ, ut homines fideles præmissa prius peccatorum confessione, accederent ad Eucharistiam: hoc est repurgato à criminibus corpore, tum tandem, tam præcioſum ſuſciperent Pharmacum. Sed hac de re plus satis. Sequitur. 1. Ioan. 4

Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse uiuet propter me.

Pollicetur dominus manducantibus corpus, & sanguinem suum, uitam æternam, sed ne quis illi obiiciat, quod alibi Iudæi illi obiiciunt. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum? Ideo iam incipit ostendere, unde illi tanta uirtus, ut manducantes de

Ipſius corpore, perpetuo queant uiuere. Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem. Quod ego uiuo & perpetuo uiuo, nec in æternum perire potero, hoc à patre, hoc eſt ab ipſa diuinitate accepi: ita ut iam humanitas non à ſemetipſa, ſed à diuinitate perpetuam habeat uitam. Sic etiam, qui manducat me, qui mihi incorporatur, qui me in ſe manentem habet, perpetuo uiuet, non quidem ob id, quod homo ſit, ſed quod mihi ineffabili, certo tamen modo unitus, & incorporatus ſit. His continuo ſequitur.

Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.

Vultis, O uos impij capernaitæ, manducare cæleſtem panem? Agite, hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, quem pater uobis miſit, qui ſic ad nos deſcendit, ut tamen cœlum nõ relinqueret. Cæleſtis & æternus cibus eſt, unde non mirandum, etiamſi tam magnifica in nobis operetur. Patres, inquit, ueſtri manducauerunt Manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum. Hæc iam toties dicta ſunt, ut non ſit neceſſe rurſum repetere. Accipimus ergo quod CHRISTVS nobis ſuum uerum corpus comendauerit in cibũ, quo nos illi incorporaremur, cumque eo uiuerimus in æternum. Ne autẽ cibus ille ſanctiſſ. uobis uertatur in uenenum, diligenter cauendum eſt, ne

Chriſto

Christo simus molesti, ne fratres nostros odio habeamus, sed potius nos Christo, & confratribus nostris totos consecremus, parati etiam animas nostras, pro fratribus nostris ponere. Audi quid dicat Diuus Augustinus, Qui accepit mysterium pacis & unitatis, & non tenet uinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. *Ser. de infantibus.* Vtinam Sacramentarij hanc sententiam diligenter expenderent, & tandem ex animo resipiscerent. Non obscurum est, quibus gradibus Sacramentum hoc sacratissimum in tantum peruenerit contemptum. Nos qui sacrorum ministri sumus, nimium negligenter tractauimus sacra domini: Hic ergo iratus contra nos tam malos hostes excitauit, ut sic peccatum peccato puniret. Primo itaque Aduersarij uoluerunt sacra publicari, hoc est, ut omnia fierent lingua uulgo nota. Secundo, ut singulis liceret sacra propriis manibus contrectare. Tertio, Sacramenta CHRISTI nihil à nobis præter fidem postulare. Quarto, nullam esse necessitatem, ut aditurus has cœlestes epulas, prius cõfiteretur peccata sua sacerdoti. Quinto, Sacramentum hoc non requirere tot Ceremonias, quot Missa continet. Sexto, In Eucharistia non solum corpus, & sanguinem, sed etiam panem et uinum contineri. Septimo, Laicos nihil differre à sacerdotibus, ideoq; nõ minus illis quam istis

debere

debere distribui, nimirum Eucharistiam sub utraq; specie, siue ut illi loquuntur, cum pane & uino. Octauo abrogatum & prophanatum est totum Missæ sacrificium. Nono abnegata est, in uniuersum ueritas præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia. Decimum secutum est, ut iam nihil certi habeant aduersarij, nisi panem & uinum in quorum distributione non minus uarij sunt, quam in reliquis paulo antea enumeratis. Quid igitur in tantis turbis faciet homo Catholicus? Ex animo fateatur nos peccatis nostris longe grauiora promeritos, iustèq; nos tãta pati. Deinroget Christum, utipse pestilentiss. illas uulpes ex uinea sua propulsare uelit, & Ecclesiæ suæ propitius succurrere, ut tandem incipiamus, quæ sancta sunt, sancte tractare. Deum rite colere, proximis nostris ex animo inseruire, sicque tandem consequamur æterna illa bona, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quod faxit Deus trinus & unus, cui laus, honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Can. 2.

Iacobi. 1.

DOMINICA PRIMA post octa: Pentecostes. Lucæ. 16.

In illo



IN illo tempore: Dixit Iesus appropinquantibus ad se Pharisęis parabolã hanc: Homo quidam erat dives qui induebatur purpura, & byssо, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: Sed & canes ueniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno: Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamãs

dixit

dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: fili, recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Et in his omnib⁹ inter nos, & uos chaos magnum firmatum est ut hi, qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neque inde huc transmeare, Et ait, rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne & ipsi ueniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. Ait ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

Ait illi,

Ait illi, si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

EXPOSITIO.

VIdetur quidem hoc hodiernum Euangelium de diuiti, & Lazaro Diuitibus timorem incutere, pauperibus uero & mendicis ingentem afferre consolationem, cum pauper Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ portatur, Diues uero Epulo in inferno sepelitur. Atqui, si rem ipsam propius & penitius fuerimus contemplati, nec Diuites in uniuersum damnantur, nec mendici omnes comendantur. Diuitiæ bona Dei sunt dona, quæ ipse, iuxta consilium uoluntatis suæ, solet indifferenter et bonis, et malis distribuere. Et paupertas adiaphora est, ut quæ non tam bonos, quam malos solet obruere. Ergo Diues non ob solas diuitias condemnatur: nec Lazarus ob solam mendicitatem coronatur. Quid igitur? Abusus diuitiarum, luxus & immisericordia, causam dederunt, quare condemnatur Diues: Patientia uero Lazari ipsum ad coronam perduxit. Sed age, uideamus, num contextus Parabolæ, siue historiæ hoc, quod diximus, clarius ostendat. Parabola ne sit, an historia nihil

moramur. Homo quidem erat diues, inquit, qui induebatur purpura & Byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Hęc eſt deſcriptio luxus, & nimium delicata carnis cura in diuite. Natura ſic comparata eſt, ut ad propellendum frigus, & ad ſatiandum corpus, non indigeat purpura, uel Byſſo, uel quotidianis epulis, ſed paucis contenta ſit. Recte ergo Paulus. Habentes alimenta, inquit, & quibus tegamur, his contenti ſumus. 1. Tim. 6. Huc etiam quadrat quod Patriarcha Iacob dicebat. Si dederit mihi Dominus panem ad ueſcendum, & ueſtimentum ad induendum &c. erit mihi Dominus in Deum. Gene. 28. Nec abhorret ab hoc inſtituto, ꝗd Salomon ſcribit. Duo rogaui te, ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem, & uerba mendacia longe fac à me. Mendicitatem & diuitias ne dederit mihi: tribue tantum uictui meo neceſſaria: Ne forte ſaciatus illiciar ad negandum, & dicam. Quis eſt Dominus? Aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei. Pro. 30. Pulchra hæc ſunt, & utinam tam grata, ut à nobis probarentur, & ſequerentur. Quis enim ſanæ mentis poterit probare immenſum huius ſæculi luxum, quem facimus in præparandis epulis, & conficiendis peregrinis, exoticis, & delicatis ueſtibus? Dij boni, ſi ea reponerentur, quæ à nobis præter omnem neceſſitatem, & tantum per luxum inſumuntur, quantum haberemus Theſaurũ? Qui prudentiores uidentur, hac in re

in re stultiores probantur. Nec satis peccatum est in eo, quod sic luxui studemus, nisi etiam nō agnosceremus peccatum, putantes uidelicet nos si non bene, certe nec male agere, Mos sic apud præsens sæculū obtinuit, ut hæc sic fiant, aiunt. Respondeo. Mos talis apud deum sic obtinuit, ut homines eiusmodi, qui gulæ & corporis uoluptati dediti sunt, Satanę puniēdos trāsmittat. Si tu nolis desistere à more tuo, nec Deus tuo nomine mutabit morem suum. Sed audiamus Prophetam. Hæc est, inquit, iniquitas Sodomæ sororis tuæ. Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius. Et manum egeno & pauperi nō porrigebant. An nō commode hæc dici possunt in mares huius sæculi? Sed reuertamur ad Diuitem nostrum, in quo hæc iam enumerata uitia uidemus. An non magna superbia, & nulla necessitas est, uestiri purpura & Byssō? An non magna satritas & abundantia, ubi quotidiana sunt illa splendida & exquisita Conuiuia? Sed ubi otium? Certe eiusmodi uestitus, & longa illa prandia, nullum laborem admittunt. Quid uero de liberis huius Epulonis? Liberos habuerit, nec ne, incertum est: fratres habuit ipso non meliores, quod Euangelium demonstrat, nec dubium est, quin si modo habuit, etiam liberos suos consecrauit luxui. Sic enim solet fieri in hoc seculo, ut Magnatum liberi prius doceantur superbire, quam orare. Reliquum est, quod dominus de Eze. 16.

talibus dicit diuitibus. Manum egeno & pauperi non porrigebant. An non hoc competit in Epulonem nostrum? Certe qui totus luxui deditus est, non so um nihil de suis porrigit a ijs, sed etiam subinde aliena inuadit. Epulo ille putabat delicijs suis subtrahi, quod impenderetur pauperũ miseriæ. Vnde nihil erogabat in usus pauperũ. Sed forte non erant, qui stipem ab illo Epulone postulassent. Audi Euangelium.

Erat autem mendicus quidem nomine Lazarus &c.

Vide quam egregie miserum Lazarum describit, Erat omnibus notus de nomine Lazarus, & forte nemini non constabat, quod non sua malitia in hanc miseriam deuenisset: sed forte per infirmitatem suam, Nam sequitur. Lazarus iacebat ad ianuam diuitis plenus ulceribus. Vides quod Lazarus pauper fuit, & ualde pauper, cuius paupertati etiam addebatur ægritudo, & ægritudo amarissima, quæ ipsam paupertatem redderet duriorem: quum & uis morbi solatia multa deposceret, & nullum penitus paupertas posset adhibere. Horũ enim alterum etiamsi solum sit, graue est, & doloribus plenum: cum autem simul iunguntur, nec adest, qui subleuet, tolerabile efficitur malum. Vide singula. Mendicus est. Non unicum ulcus habet, sed plenus est ulceribus.

Iacet:

Iacet: quia præ infirmitate, & dolore stare non potest. Iacet ad ianuam diuitis, ubi uidet, unde sibi subueniri possit: nec uidet tamen, qui ipsum adiuuare uelit, quod illius augebat afflictiones. Multo enim grauius affligit animam, quod cogitur carere bonis, quę uidet, quam his egere, quæ non uidet. Vide quam nulla excusatio relinquatur diuiti. Iacet ad ianuam, ut non possit ille dicere se non uidisse Lazarum. Nec potest dicere, Lazarum tam multa postulasse, ut ipsi subueniri non potuerit. Non enim postulat magnos thesauros, sed tantum micas panis, quæ nec canibus denegantur. Et nemo illi dabat. Neque dominus, neque Domina, neque seruus, neque famula, neque hospites, neque Conuiuæ &c. O crudelitatem plusquam Scythicam. Forte erga solum Lazarum tam crudelis fuit diues Epulo. Quis hoc credat? Qui enim tam miseri ac ulcerosi hominis non moueatur miseria, cuius moueri posset? Certe ista res declarat, quod non huius solum, qui iacebat, in uestibulo, uerum nec alterius cuiusquam misertus sit. Et enim si illum in uestibulo domus prostratum, quē quotidie semel atq; iterum, ac sæpius uidere cogebatur, foras prodiens ac domum rediens (Non enim in biuio, nec in angiportu, occultoue loco decūbebat) non est miseratus, erga quē putas eum flexum fuisse misericordiā. Sequitur, quod canes ueniebāt & lingebāt ulcera eius; ita ēm erat ęgritudine relaxatus,

ut nec ipsos quidem canes ualeret abigere. Sed quid ad tantam crudelitatem Lazarus? Nostri sæculi mendici solent subinde magnis clamoribus diuitibus suam improperare crudelitatẽ, eosque nonnunquam cõuitijs incessere. Atqui Lazarus noster nihil tale: sed patienter omnia fert, & rem tacitus omnẽ Deo committit. Non dicit apud se, quod dicunt complures: Quid tãdem est hoc? Iste, qui improbam uitam, crudelemque agit ac inhumanam, omnibus modis supra quam opus est fruitur rebus, nec ullam animi molestiam patitur, nec aliud quicquam inopinatum, qualia multa solent in rebus humanis accidere, sed pura nullaque ægritudine contaminata uoluptate fruitur. Mihi uero ne tantum quidem impartitur alimoniæ, quantum postulat necessitas. Nihil horum neque dixit, neque cogitauit, sciens haud dubie Deum nulli iniuriam facere. Vnde hoc sciam, rogas? Ex ipso Euangelio, quod iam interpretamur. Si enim peruersus fuisset Lazarus, nequaquam sublatus fuisset ab angelis in sinum Abrahæ. Euangelium uero sic habet. Factum est enim, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Portabatur post tãtos labores, quia defecerat, & portabatur ab Angelis. Non sufficerat ad portandum unus Angelus pauperi, sed propterea plures ueniunt, ut Chorum lætitiæ faciant. Hæc magna consolatio est miserorum. Ecce quem homo & puluis cõtemnit

temnit, nec micis panum dignatur, Angeli suscipiunt, & in sinum Abrahæ deponunt. Non omnibus egenis, mendicis, infirmis, uel paupertibus, hæc contingunt, sed qui Lazaro similes sunt. Tu rursum hic uide, Lazarus iacet ad ianuam diuitis, ut sit, de quo Diues bene mereatur, & sibi tabernacula æterna comparet. Iacet Lazarus egenus ad ianuam diuitis, ut patientiæ occasionem habeat. Sed quid? Diues non mutatur in melius: & Lazarus non consolatur à diuite. An uero perpetuo patietur Deus Lazarum sic affligi, diuitem sic deliciari? Nequaquam. Vt enim uideas magna Dei bonitatis exempla, ecce Christus Lazarum hunc ad se cum magno gaudio rapit. Diuitem autem diutius uiuere permittit: nimirum in hoc, ne Lazarus desperet, & diues spacium, si uelit, pœnitendi habeat. Primum enim mortuus est Lazarus mendicus: post mortuus est diues epulo. Ille ab Angelis delatus est in sinum Abrahæ: hic delatus est à malignis spiritibus in Tartarum. Sic enim de diuite luxurioso scribit Euangeliographus. **Mortuus est autem diues, & sepultus est in Inferno.**

Hic uerificatur, quod in Iob legimus de impijs diuitibus. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna, descendunt. Ne timueris, igitur, inquit, Psalmista, cum diues factus fuerit homo; & cum multiplicata fuerit gloria do- Iob. 21.

mus eius. Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendit cum eo gloria eius? Ecce enim hic diues Epulo, qui, iuxta alium Psalmum, non posuit DEVM adiutorem suum, sed speraui in multitudinem diuitiarum suarum, prævaluit in uanitate sua. Vbi iam est uestitus purpureus, & byssinus? Vbi quotidianæ illæ, & luxuriosæ epulæ? Mortuus est, hæreditauit serpentes, bestias, & uermes, & sepultus est in inferno (Nihil moramur aliam distinctionem) Quid sequitur? Eleuans autem Diues ille epulo, uel potius damnatus, & in infernalis ille Titio, oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. A longe uidit Lazarum, quem in uestibulo domus suæ uidere noluit. Sic enim solemus cecutire ad ferendam opem egenis: sed adimplorandum opem alienam nobis satis oculati, & uocales sumus. Quid uero Euangelium? Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur & uobis. Si diues ille Epulo misericordiam fecit cum proximo, iustum est, ut misericordiam consequatur à Domino. Sed quoniam in pauperes crudelis fuit, audi rerum uicissitudinem. Pater Abraham, inquit, miserere mei. Misericordiam postulat, qui semper crudelis fuit? Misericordiam postulat ab Abraham, qui debi-

Psal. 48.

Psal. 51.

Eccl. 10.

Mat. 5.

Adieci illud. Qui obturas aurẽ etc. & increpauit auli cos, qui innocentibus non subueniũt

tum

tum non dederat LAZARO. Quam misericordiam postulat? Mitte, inquit, Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Multa latent mysteria in his breuibus uerbis. Abrahamum uocat patrem, qua appellatione arguit se non fuisse Ethnicum infidelem, sed Circumcisum Iudæum. Et quoniam Iudæus fuit, sciebat in inferno nullam esse redemptionem, ideoque non orat ex inferno eximi, & liberari, sed tantum linguam suam guttula aquæ refrigerari. Vides iam rerum uicissitudinem? Qui LAZARO in hac uita denegabat micas panis, ut alia uita mendicat guttam unicam aquæ, nec tamen meretur eam accipere. Corpus item, quod purpura, & byssso uestiebatur, pro uestitu flammas habet. Lingua, quæ uarijs, & delicatis consueuerat Epulis, & impura effutierat uerba, iam misere torquetur, nec ullum, quantumuis paruum, inuenit refrigerium. Audi enim ABRAHAMVM. Fili, inquit, ad diuitem, recordare, quia recepisti bona in uita tua. & LAZARVS similiter mala &c. Quis hanc equitatem audeat calumniari? Væ uobis, qui hic ridetis, inquit CHRISTVS, quoniam plorabitis. Væ uobis diuitibus, qui habetis hic consolationem uestram. Non loquitur de omnibus diuitibus, sed de eis, qui huic

Vide Augustinum Ser. 227.

Vide D. Gre. li. 11 Moraliū. ca. 5. et 6

Epuloni similes sunt . Epulo non damnatur quod diues est, sed quod erga se luxuriosus, erga pauperes uero immisericors fuerit . Sic Lazarus non consolatur, & coronatur, quod mendicus est, sed quia pauperiem suam æquanimiter ac patienter tulit . Cæterum ne quis putet hæc in solum Diuitem epulonem, & in solum Lazarum competere, testatur Abraham impossibile esse , ut beati ueniant ad damnatos , uel damnati ad beatos, quibus innuit iudicium Domini esse immutabile, & perpetuum. Sicut enim electi in perpetua erunt lætitia, ita, & condemnari in perpetuis cogentur permanere tormentis. Hæc cum non ignoraret Diues, ad alia se uertit dicens Rogo ergo te pater, mittas eum in domum patris mei &c. Ex hijs conijcimus totam diuitis familiam fuisse corruptam, unde hic ueretur ne grauiores ipse passurus sit pœnas, si aduenerint, ad se fratres sui ad similes pœnas. Tu iam hic cogita, quam sero sapuerit Diues. Si quis ei adhuc in sæculo existenti, dixisset (sicut haud dubie factum est) Audi tu Diues, accepisti multas diuitias, nõ ut omnia in luxum tuũ uertas, sed ut ex illis subuenias alijs: quod si perrexeris sic abuti diuitijs, certe in æternũ peribis: hæc inq̃, si quis ei dixisset, cachinno excepisset. Iam uero nimis sero, suoq̃ summo periculo experitur uerũ, q̃d maluit falsum esse. Vnde certo persuasum habet, fratres suos sic peregentes

gentes in delicijs, haud dubiè in eundem locum uenturos tormentorum: quod ne fiat, & ne ipse dolorem super dolorem habeat, petit Lazarum mitti ad illos docturum eos, quis futuri sæculi status sit. Et hæc diuitis petitio daret nobis occasionem de alijs rebus prolixius disserendi. Videlicet quod diues adhuc recordatur fratrum suorum, & pro ipsis intercedit. Item de mutua eorum, qui hinc discesserunt cognitione. Sed quoniam hæc proprium requirunt sermonem, nos ad Responsum Abrahæ uertemus. Habent Moysen & Prophetas, ait Abraham, audiāt illos. Hoc est si uolunt resipiscere, non deerunt monitores. Mosis & Prophetarum scripta satis docent, quis sit uerus diuitiarum usus, & illorū scripta leguntur audientibus fratribus tuis: quo si illis auscultauerint, & obtemperauerint, non est, quod uereare illos uenturos in locum tormentorum. At ille dixit. Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Diues ille doctior est, quā multi sæculo nostro Euangelici: hij enim sola fide metiuntur omnia: Diues uero intelligit, & bene intelligit, pœnitētia opus esse, ut quis ueniā meretur. Ait illi Abrahā. Si Moysen & Prophetas nō audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credēt. Quare hoc? Quia uidelicet certi sunt, quid sentiendū sit de Moysis & Prophetarum scriptis: De mortuis autem possent dubitare & merito, quum malignus spiritus subinde soleat

se In angelum Lucis transferre. Ergo si quinque illi fratres nõ credent uera esse (nam de tali fide loquitur) quę Moses & prophetæ scribunt, certum est, quod nullum alium monitorẽ audient. Et hactenus quidẽ, pro accepta gratia, explicauimus Euangelium, cuius summa est, ut simus misericordes erga pauperes, ut abstineamus ab omni luxu, ut credamus scripturis, ut pœnitentiam agamus: sic enim fiet, ut non in locum tormentorum, sed in regnum cœlorum hinc transferamur. Quod utinam nobis contingat &c. Amen.

DOMINICA II. POST Trinitatis. Luc. 14.



NIllo tempore: dixit Iesus parabolam hanc: Homo quidam fecit cænã magnam, & uocauit multos, & misit seruum suũ hora cænæ dicere inuitatis, ut uenirent, quia iam parata sunt

sunt omnia: & cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit eis. Villã emi, & necesse habeo exire, & uidere illam, rogo te habe me excusatum: Et alter dixit: Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo. Exi cito in plateas, & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles & cęcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus, Domine, factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo, Exi in uias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quia nemo uirorum illorum, qui uocati sunt, gustabit cænam meam.

Expositio,

EXPOSITIO.

2. Tim. 2

EXi in uias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur Domus mea. Lu. 14. Mirum est, quod Deus omnes homines uult saluos facere: & nemō est, qui non cupiat salus fieri, & tamen tam pauci ad salutem uitamq; beatam ueniant. Nemo non audiens mentionem Regni cœlestis cogitat, quod ille in Euangelio. Beatus qui manducabit Panem in Regno Dei. Quare ergo, quum omnes beatitudinem cupiant, tam pauci ipsam consequuntur? Audi rationem, breuem quidem illam, sed, ni fallor, non pestremam, nec dubiam. Quæ illa? Quoniam terrenis & uisibilibus rebus sic sumus dediti ac immersi, ut harum amore æterna & inuisibilia porro negligamus. Aut quod uocanti nos Deo ad cœlestia obtemperare recusamus. Quæ omnia quàm uera sint præsentis Euangelij lectio satis arguit. Homo quidam fecit cœnam magnā, inquit, & uocauit multos. Humanitas est quod suis propriis impensis cœnam parauerit, & non paucos sed multos uocauerit. Constans omnium sententia & concors Doctorum interpretatio est, hac parabola depingi Iudæorum populum, propter suam improbitatem reiectum, Gentes uero propter fidem, in regnum dei trāslatas. Missus est Christus ad Iudæos, missi sunt & Apostoli,

Omnes saluari cupiunt.

Parabola contra Iudæos.

postoli, sed quàm pauci in tam magno Iudæorum numero fidem dederint Euangelio, obscurum non est. Missi sunt postea Apostoli ad Gentes, quę in maximo numero ad Christianismum conuersæ sunt. Sed nos Iudęis & Gentibus post habitis, parabolam reformandis nostris moribus accommodabimus. Deus Pater cœlestis magnam pręparauit cęnam, ęternam nimirum beatitudinem, qua nec potior fuit, nec unq̃ erit. Ad hanc nos creauit Deus, uocarunt Lex et Prophetę, uocauit Christus, uocauerunt Apostoli, uocauerunt omnes Doctores Ecclesiæ. Iam enim hora est cænandi, parata sunt omnia. In ueteri Testamento non erant omnia parata. Vmbram enim habet lex futurorum bonorũ, non imaginem rerum, & Lex nihil ad perfectum adducebat, quoniam impossibile erat sanguine Taurorum & hircorum aboleri peccata. In ueteri Testamento, inquam nondũ fuerant omnia parata: unde & prophetæ noua & potiora pollicebantur. In nouo iam non promittuntur potiora, sed exhibentur, & à peioribus pręmonemur. Hęc enim Religio postrema est, non succedet noua, sed succedent Hæreses. Hæc enim sic fore, prædixit Dominus. Quia igitur hora cæne est, & omnia parata sunt, missus est à Domino seruus. Quare seruus, & non serui? Nunquid multi missi sunt Prophetæ, multi Apostoli, multi Episcopi, multi Doctores? Multi quidem missi sunt, sed quoniam omnes ad eandem cænam,

Omnia parata in nouo Testa.

Heb. 10.
Hebre. 7.
Heb. 10.
Hiere. 31.

Seruus nõ serui?

eodem

eodem mandato nos uocarunt sub unius appellatione, propter consensum doctrinæ, appellantur nō serui, sed seruus Quomodo uero uocat?

Vocamur multipharia.

Multifariam, multisq; modis: hunc beneficijs, aliū flagello &c. An ne quotidie uocamur? An non uidemus seruos domini? Bella, fames, & pestilentiæ, & alia huius sæculi innumera incommoda, non alia de causa in nos mittuntur, nisi ut manum Domini agnoscentes, tandem ad ipsum conuerramur. Sed quid Dominus? Vocaui, & non respondistis mihi: locutus sum, & nō audistis: & faciebatis in oculis meis malum, & quæ nolui elegistis. Propter hæc dicit Dominus deus, Ecce, serui mei comedent, & uos esurietis: Ecce serui mei bibent, & uos sitietis. Ecce serui mei letabuntur, & uos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Et alibi ait scriptura. Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & nō fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu uestro ridebo, & subsannabo cum uobis id, quod timebatis, aduenerit. Et Dominus apud Hier. Misi ad eos omnes seruos meos, Prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam, & peius operati sunt, quam patres eorum. Sed quæ nam est causa huius nostræ induratio-

Esa. 65.

Pro. 1.

Hiere. 7.

nis?

nis? Non est necesse, ut longius eam inquiramus, quum in hodierna parabola satis depingatur, quæ nam sint illa salutis nostræ obstacula. Caue ne causam perditionis tuæ Deo ascribere cogites. Perditio tua ex te, Israel, ait alibi Dominus. Ipse enim parauit suis impensis, ceu diximus, magnam, & opiparam cœnam, & nos ad eam uocauit. Quid ultra debuit facere, quod non fecit? Quin ergo accedimus? Audi Euangelium. Et ceperunt simul omnes excusare. Diuersæ excusationes nihil aliud indicant, quam uarios animi morbos, & affectiones, propter quas regno cœlorum priuamur. Nam hic quidem ista detentus, alter autem illa, tertius uero alia affectione Regnum Dei negligit: præcipue autem nos ab ingressu cœli remorantur, quæ Christus hic recitat. Primus dixit.

Oseæ. 13.

Esaie. 5.

Villam emi, & necesse est mihi exire, ut uideam illam, rogo habe me excusatum.

Villa emta.

Mira res est, uillam emit, quam nondum uidit. Quid hic aliud significatur, nisi nos dum stultè, solliciti sumus de rebus temporibus, & cœlestia negligimus, quod utrisque priuamur. Sic olim ueteres Iudæi contemnētes terram promissam, & huic Aegyptum præferētes, neq; hac neq; illa potiti sunt. Sic rursum Iudæi timentes ne, dum Christum acceptarēt, audientes Romani uenirent, & perderent locum & gentem,

perdiderunt

perdiderunt Gentem & Locum, & Christũ ipsum. Sed quid significat uillam emere? An excludẽtur omnes à Regno cœlorum, qui uillam emunt, qui boues emunt, qui uxores ducunt? Hoc nemo sanæ mentis dicet. Quid igitur? In uilla empta, inquit D. Augustinus, dominatio notatur, ergo superbia castigatur. Habere enim uillam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere, & dominari delectat. Vitium malum, uitium primũ. Primus enim homo dominari uoluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Et certe multi, qui ambitione Dominij tenẽtur, etiamsi aliquã potestatẽ legitimo ordine adepti sunt, in Tyrannidem abeunt, unde non mirum est, etiamsi Regnõ cœlorum destituantur. An nõ putas multos esse nostro sæculo, qui inuadunt, aliorum possessiones, aut aliorum se imperio subtrahunt non curantes, quicquid tandem de Regno cœlorum fiat? Et ille in Euangelio, qui uillam emerat, nõ per uiolentiã occupauerat, lõge melior est nostris Euangelicis quibusdam, qui per phas, atq; nephas aliena inuadũt Sed audiamꝰ, quid alium prohibuerit à cœna illa magnifica.

De uerbis Dom. Ser mo. 33.

Quinque Iuga Boum emi, & eo probare illa, &c. Ille tenebatur ambitione imperij, quo multos sibi subijceret populos. Hic uero auaritia tenebat, quo sibi multas huius terræ opes pararet. Rursum dico, hic non

non reprehendí negocia illa terrena, quibus necessario occupamur, & quæ ad uitæ nostræ sustentationem faciunt. Quamdiu enim sumus in hoc mundo, necesse est circa mundana negocia occupemur, necesse est, alij imperent, alij obediant, alij uendant, alij emant, alij seminent, alij metant. Et hæc per se sunt adiaphora: uerum hijs sic deditum esse, ut cælestia non cures, hoc demum malum est. Iam cum etiam licita nos prohibere possint à Regno cælorum, quid fiet de illicitis? Si excluduntur à Regno cælorum, qui uillas, uel Boues emunt, uel uxores ducunt, quid sentiendum de eis, qui per uiolentiã, & tyrannidẽ aliena inuadunt, qui scortantur, & uagæ libidini operam dare solent? Carpit itaq; dominus, ut ita loquar, etiam licita, ut nos ab illicitis melius abstrahat. Habentes alimenta, & quibus tegamur, ait Apostolus, his cõtenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt, in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitũ & perditionem. Et Christus ipse. Quid prodest homini, etiamsi uniuersum lucretur mũdum, animæ uero suæ iacturam faciat? Et in proxima dominica audiuimus, quam male cesserit Diuiti illi Epuloni. Verum est, diuitiæ per se neq; probandæ, neque culpandæ sunt. Redemptio uiri animæ diuitiæ eius, ait scriptura. Verum alia scriptura dicit, Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Et rursum alia. Si

1. Tim. 6

Math. 16

Pro. 13.

fueris diues, non eris immunis à delicto. Sed ad
Eccle. 5. tertiã excusationẽ properem 9. Vxorẽ duxi,
Eccle. 21. Ait tertius, & ideo non possum uenire. Vide quam differenter respondeant, ac sese excusent. Primi duo non dicunt se non posse uenire, tamen rogant excusari à seruo, quum ipsi non ignorarent uanam, & friuolam esse excusationem. Tertius uero dicit, se non posse uenire, nec curat siue excusetur, siue minus, putans se habere rem iustam & licitam. Sic nemo est, qui audeat cænam illam calumniari, sed dicunt sibi non uacare, ut illam adeant. Sic multi quidem amarent ad Regnum dei uenire, si modo concederetur ipsis etiam interim uti, aut potius abuti rebus terrenis. Verum, cum altero carẽdum sit malunt uti præteritis, quã inhiare futuris: malũt, possidere terrestria, quam sperare cælestia. Heu quã multi sunt iam, qui ternario hoc cuius iam mentionem fecimus, ambitione, auaritia, & uoluptate carnis remorã patiuntur à regno cælorũ? Quare multi sic abhorrent à concilio? à Reformatione? à restitutione iuris Cæsarei? Timẽt uillis, timent bobus, timeut uxoribus. Et sunt, qui agnoscunt, se temere cænam hanc negligere, neq; tamen uolunt comparare. Alij uero dicunt uxorem se duxisse, unde se non posse uenire, hoc est putant se habere iustas causas, quare ad cænam hanc uenire non debeant. Vxorem duxerunt, hanc non possunt, immo nõ audent relinquere, quum illam semel imprudentes duxerint.

xerint. Sed rem breuiſſ. expediemus: putamus enim totum negotium conſiſtere in uerbo illo, quod dixit Chriſtus ſtatim poſt hodiernum Euangelium, Si quis uenit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hoc alibi clarius exponit dicens, qui amat patrem, aut matrem &c. plus, q̃ me, non eſt me dignus. Et uere ſic eſt. Niſi omnia poſt habuerimus Chriſto, nunquam poterimus cenæ illi adeſſe. Qui magis amat uillas, boues, uxores, quam Chriſtum, & huius Eccleſiam, nunq̃ perueniet ad cænam illam. Sed quid dicam? Filij hominum, uſque quograui corde? ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? An ne iam ſatis diu erratum eſt? An ne ſatis diu nos inuicē odimus, & infectamur? Chriſti ſententiam hanc notate: Qui male agit, non uenit ad lucem. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucē. Quid dubitamus, quid timemus? An putas tu hoc anno Sathanam prævaliturum Chriſto? An putas nullum pium hominem ultra in terris reperiri? Si concilium celebrandum eſt, certe ab hominibus celebrandum eſt? Iã piorum hominum eſt ſemper de confratribus meliora ſperare. Charitas enim non eſt ſuſpicax. Quid trepidamus? Meliora de fratribus noſtris ſperanda ſunt: &, quod ſi hij uellent etiam aliquid tentare contra Chriſtum, an quiſquã tam robuſtus eſt, qui poſſit uincere

Luce. 14.

Matth. 10

Christum? Certe nostris tergiuersationibus declaramus, in nobis parum fidei, charitatis, et spei reliquum esse. Sed procedamus.

Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo. Exi cito in plateas &c.

Hæc probe considerandasunt, nam, quæ præcesserunt, misericordem esse dominum declarãt: quæ uero subsequuntur, argumenta sunt Iustitiæ illius. Ne dixeris, inquit sapiens, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Et ne dicas. Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira, cito proximant, & in peccatores respicit illius. Misericordiæ est, quod Dominus cœnam opiparã propriis sumptibus parat, & tam multos inuitat. Quod uero nolentes dimittit, & alios uocat iustitiæ est. Vide autem rursum diuitias, & benignitatem dei. Primo, mittit (dum illi neglexissent) in plateas & uicos ciuitatis collectũ hospites, et cõuiuas deinde, cũ locus uacuus est, addit.

Ecclc. 5.

Multi iã cõpellunt exire domum etc.

Exi in uias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur Domus mea.

Nemo iam dicat, quod Pater familias priores illos non serio uocauerit, qũũ iam abiectissimos quousq; uult compelli ad cœnam, tantum ut nullus locus sit uacuus. Adhuc hoc est, quam diu præsens seculum steterit. Dominus ad prædicatores

tore dict, ut exeant, prędicent, ad cæleſtes Epulas uocent: nondum enim impleta eſt Domus Eccleſiæ, adhuc multi ſunt extra caulas, qui ad Domini gregem pertinēt. Multi uidentur alieni, qui ad Eccleſiā, qui ad cęnā hanc pertinēt. Et uerendū ne multi ſint, qui corpore quidē ſūt in Eccleſia, qui nō habentes ueſtē nuptialē, ſuo tempore eijcientur. Proinde nō ceſſandum ab inuitatione, prædicandum, inſtandū oportune, & importune, donec domus Dñi impleatur. Quicunq; uocari amat fidelis, & prudens Domini ſeruus, exeat, uocet inuitet, concionetur, quiſq; pro ſuo munere agat, ut tandē impleatur domus domini. Nolim hic odioſim illum locū compelle intrare, uerboſius, ne dicam odioſius perſequi. Videmus multis principibus rem Eccleſiæ parum cordi eſſe, uidemus multos magis curare ruinoſum aliquod caſtrum, quam uniuerſam Chriſti Eccleſiam. Videmus Cęſari Catholico uix tantum iuris concedi in ſuos ſubditos, quā Ruſtico quidam Sculteto, ſiue prædicto in conciues, ſiue compagano ſuos. Sed ſinamus hæc: & perpēdamus extremam hodierni Euangelij ſententiā.

Vide Auguſtinum Epiſtola. 48. et 50

Dico uobis, quod nemo uirorum illorum, qui uocati ſunt guſtabit cęnam meam. An non iam dixi multos eſſe corpore ſcilicet, addār, & communione externa Sacramentorum in Eccleſia, qui olim eijciēbantur? Nos uidemur nobis eſſe Chriſtianiſſimi, uide-

mur nobis habere Christū in uinculis captiuum ita, ut siue uelit, siue nolit, cogat nos saluare. Et merito scilicet. Nam qui uocantur Christiani, Christum audire renuunt: &: Qui uocantur Euangelici, sic Euangelice uiuunt, ut uideantur constanti animi proposito uelle contra Euangelium pugnare. Quid igitur sperandum? Quid timendum potius? hoc quod in Euangelio hodierno legimus, Quod nemo uirorum istorum, qui uocati sunt, gustabit cænam hanc. Vocati sumus apellamur Christiani, utimur Ecclesiæ sacramentis, uerbis abominamur Gentiles: Verum hęc non arguunt ueros Christianos, sed hypocritas, qui habentes speciem pietatis, uirtutem eius abnegant. Proinde timendum est, quū maior, & præcipua Christianitatis pars à nobis ablata est, quod reliquum etiam à nobis tandem auferetur. Non propterea carebit Dominus Christianis etiamsi nos stulti germani porro de sciuerimus. Potens est Deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ. Reliquit filios ueteres Abrahæ, quid si & eos, quos iuxta, Euangelium, ex lapidibus exuscitauit, tandem reiiciat? Aut quid prohibebit, quo minus, malum illud nos capiat? Quid præsidij reliquum? Maior pars ultro ab Ecclesia deficit, reliquam partem perdit crudelis Turca: Quam magnam partem Christianitatis ad se rapuit? Cui hæc sunt cordi? Scilicet nobis parcet, contentos in alios sæuisse. Forte fecimus pactum cum illo, qui sperat nos ultro

Nota.

ultro conceſſuros ad illum. Aut uirtute noſtra illū etiā nolētem expugnemus. O miſeros nos germanos, qui toties icti nolumus tandē reſipiſcere. Sed nolim hanc miſeram camerinā proli-xius mouere. Qui præſenti huius ſeculi calami-tate non mouetur, nō uideo, quomodo mea ora-tione moueatur. Dominus Ieſus pro ſua miſeri-cordia, tandē dignetur nos reſpicere, animos no-ſtros immutare, ut uideamus tandem, quæ recta ſunt, eaque ex corde impleamus, quo tandē ad Cænam hanc domini perueniamus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui gloria, & ho-nor in Deum. Amen.

DOMINICA TERTIA poſt Trinita. Lucæ. 15.



IN illo tempore: Erant appropin-quantes Domino Ieſu Publicani, & peccatores, ut audi-rent illum. Et mur-murabant Phari-

sæi, & scribæ, dicẽtes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam dicens: Quis ex uobis homo, qui habet centum oues, &, si perdiderit unã ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illam, quę perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & ueniens domũ conuocat amicos, & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quę mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter,

donec

donec inueniat eã? Et cũ inuenerit, inuocat amicos, & uicinas, dicẽs. Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quã perdiderã. Ita dico uobis, gaudiũ erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiã agente.

EXPOSITIO.

DIco uobis gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. Duæ multũ, ac ualde pretiosæ in hodierno Euangelio ponũtur, & audiuntur sententiæ, quibus oẽs peccatores, aut potius pœnitentes supra modũ consolãtur. Primam dicunt Pharisęi, superbum hominũ genus. Hic, inquiunt, de Chr̃o peccatores recipit, & manducat cum illis. Alterã bis repetit Chr̃s, dicens angelos gaudere de pœnitentia peccatorũ: quibus quid Christus uelit paulo post aperiemus: nos tm̃ hoc adnotamus, quod pęnitẽtibus nõ claudatur uia ad regnum cœlorum, quũ Angeli de ipsorum pœnitentia lętentur, Christus uero illos susciꝑiat, familiariterq; cum eis cõuersetur. Nesq; em̃ frustra credimus in Symbolo nostro remissionẽ peccatorũ nobis in Ecclesia cõtingere,

quæ nisi contingeret, non iussisset nos Christus dicere in precatione nostra solenni, Pater noster dimitte nobis debita nostra. Seduideamus to-

Publicani tum Euangeliũ, ut nihil intactum prętereamus. Erant, inquit Lucas, appropinquãtes ad Iesum publicani, & peccatores Publicani sunt, qui publica uectigalia exigenda, certo ære cõstituto, redimebant. Erat hoc hominum genus tum Iudæis plane exosum: idq; supra cæteros (quod apparet) peccatores. Peccatores uocant homines

Peccatores. criminosos, & malę famę. Si enim in genere peccatores intelligerent, & peccatores non auderẽt Christum accedere, quis illum accederet, maxime in terris agentem? Quare ergo accedunt?

Vt audirent eum. Inquit Lucas. Tantum ne ob hoc, ut audirent Christum? Non auditores legis, inquit Paulus, sed factores iustificabũtur. *Rom. 2.* *Iacob. 1.* Non itaque tantum accedebant audiendi gratia ad Christum, sed etiam obediẽdi, sicut exemplum Mathæi, Zachæi, Magdalenæ, & aliorum pœnitentium satis declarat. Audiebant primum, quid se facere oporteret, quomodo pœnitentia instituenda, deinde pœnitentiam age-

Math. 9. *Luce. 19.* bant. Accedit Mathæus publicanus, recedit Apostolus, & Euangelista, relinquens secularia festinat ad cęlestia. Accedit Zacheus raptor, & miserorum excoriator, audit Christũ, & statim dimidium bonorum suorum, dat pauperibus, &

Luc. 7. si cui fraudem antea fecerat, iam reddit quadruplum. Accedit Magdalena insigne Scortum, audit Chris-

dit Christum, recedit penitentię euidentissimum exemplar, omnia sua membra in Christi uertēs obsequium. Cum igitur tanto fructu recedunt, cur non adirent? Quid igitur ad hæc Pharisæi, qui, iuxta Pauli quærelam, suam uolentes statuere iustitiam iustitię Dei non sunt subiecti? Dum Christus alibi ad Mathæum accedit, adsunt Pharisæi, & dicunt ad illius discipulos. Quare cum Publicanis, & peccatoribus māducat Magister uester? Quando Christus ad Zachæum diuertit murmurant omnes, quod ad peccatorem diuerterit. Quando Magdalena Christum accedit, cogitat Pharisæus, Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis esset ista mulier, quæ tangit eum. Quid uero hoc in loco? Hic inquiunt. Rom. 6. Rom. 10.

Peccatores recipit, et māducat cū illis:

An ne hoc malum est? Si peccatores recipiendi non sunt, quis uos recipiet? Si cum peccatoribus manducandum non est, nunquid uos soli manducabitis, aut famæ peribitis? Cur non susciperet Christus peccatores, quum hoc officij illius sit? Cur non manducaret cum eis, pro quibus etiam mori dignatus est? Si Christus non reciperet peccatores, non esset uerus Messias. Nam de futuro Messia apud Prophetas dictum est, Spiritus domini super me, propter quod unxit me, Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem &c. Hanc scripturam in Esa. 61.

Messiam

Messiam competere. Christus ipse testatur. Et a-
Luc.4. pud Ezechielem. Ego pascam oues meas, et ego
eos accubare faciã, dicit Dominus deus. Quod
perierat requiram, quod abiectum erat, reducã:
& quod confractum fuerat, alligabo, & quod in
Ezec.34. firmum fuerat, consolidabo, & quod pingue, &
forte fuerat, custodiam, & pascã illas in iudicio.
Si hæc implenda fuerant per Messiã, & Christus
Messias est, quomodo nõ deberet Christus reci-
pere peccatores & manducare cum illis? Scilicet
Math.9. piaculũ est medico, si ęgrotum accesserit. Quan-
do Christus eo, quod Mathæi conuiuio interes-
set, à phariseis male audiret, sicut supra diximus
excusabat se talibus uerbis, Non est opus ualen-
tibus medico sed male habentibus, euntes autẽ
discite, quid est, Misericordiã uolo, & non sacri-
Luc. 19. ficium. Quum uero ad Zacheũ diuertisset, pro
sui defensiõe dicebat. Venit filius hominis quę-
rere, & saluum facere, quod perierat. In hodier-
no autem Euangelio duabus parabolis seipsum
excusat, quas breuissimis expediemus.

Quis ex uobis homo, qui habet cen-
tum oues etc. Quos in hac parabola sublimi-
or Philosophari delectat, sic negotiũ expediũt,
ut in perdita centesima oue ipsũ Adã, & in hoc
uniuersum hominũ genus intelligant, in nonag-
inta uero nouem ouibus, Angelorum innume-
ram multitudinem. Enimuero cui ouis perie-
rat, Christũ interpretantur, Homo habens cen-
tum

tum oues ait P. Chrysologus, Christus est. Pastor bonus, pastor pius: qui in una oue, hoc est in Adam posuerat totum gregem generis humani: hanc inter amœna paradisi, hanc in regione uitalis pascuæ collocarat: sed illa uocem pastoris oblita, dum Lupinis ululatibus credit, & causas perdidit salutares, & tota lethalibus est sauciata uulneribus. Hanc ergo Christus uenies quærere in mundum, in utero uirgineæ regionis inuenit. Hæc quidem docta sunt, & pia, sed nos simpliciorem sensum adferemus. Sensum hunc esse putamus Christi, ut uelit dicere. Si nos rem temporales, si quando perditę sunt, tanta diligentia quærimus: quare non maiori studio, ac diligentia quærenda est res, quæ potior est. Iam scimus unicam hominis animam pretiosiorem esse omni huius mundi substantia. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? Aut quid prodest homini, etiamsi uniuersum mundum lucretur, animæ uero suæ iacturam patiatur? Alibi dum homini habenti aridam manum, hanc sanaret, ac restitueret, hocque factum calumniarentur Pharisęi, dicebat eis. Quis erit ex uobis homo, qui habet ouem unam, &, si ceciderit in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? Quanto melior est homo oue? Pari similitudine, & excusatione utitur contra Pharisæos, qui reprehendebāt illum, quod Sabbatho curasset hidropicum. Sic & in hodierno Euangelio uidetur mihi dominus ideo has duas similitudines ad-

Mat. 16. *Lu. 19.* *Math. 12.* *Luce. 14.*

nes ad-

nes adduxisse, ut declararet, non negligendam esse hominum salutem, quum tam solliciti sumus recuperare ouem perditam, uel dragmam perditam. Pulchre autem recenset parabolas, ut penitius scilicet intelligamus, quanto studio nostram requirat salutem. **Quis ex uobis, qui habet centum oues, &c.** Vide centum oues habet, quod si ex his unam perderet, quid magni periculi, uel damni esset? Sed tamen centesimam non negligit: immo magis uidetur dolore de unica perdita, quam de 99. seruatis gaudere. Vadit perditam quærere: nec negligentim quærit, sed non cessat ab inquirendo, donec illam unicam perditam recipiat. Quod si inuenerit, non flagellat, non statim mactat, non canibus obiicit, non iumento imponit, sed imponit in humeros suos, non molestia quadam, sed gaudens, et portat domum, lęticiamq; suam ex recuperata uidelicet oue, omnibus amicis, & uicinis suis significat, Quum igitur homo quispiam tanto studio quærit perditam ouem, & tanto gaudio inuentam domum adducit: an ne indignum est, si Christus omnio studio conatur peccatores ad cœlestem patriam reducere? Non loquitur in hæc uerba Christus, sed diligens auditor talem sententiam ex Christus uerbis facile colligere poterit. **Dico uobis inqt Christus, quod ita gaudium erit in cælo super uno**

uno peccatore pœnitentiam agente.

Si Angeli gaudent de nostra salute, qui naturæ nostræ non sunt: quid faceret Christus Iesus, qui frater noster, & caro nostra est? Attende obsecro, Angeli de nostra salute gaudent, & homines Pharisæi dolent, quod Christus peccatores ad pœnitentiam adducere laborat. O pestilentes Pharisæos, qui obstant, quo minus populus ad pœnitentiam ueniant, & O felices pastores, qui omne studium suum eo intendunt, ut oues perditæ rursum inueniantur, atq; in uiam redeant. Sed quid ait Dominus per Prophetã. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum nõ pascebatis. Hæc tu forsan dicta putas in solos pastores Ecclesiæ, sed multum falleris. Si soli Iudæorum Sacerdotes officiõ suo defuerunt, causam habes cur illa Domini uerba de solis Sacerdotibus intelligas. Si uero probatum fuerit, etiam alios non raro officium suum neglexisse, tunc & in illos Domini uerba dicuntur. Pastorum nomine intelligimus omnes, quibus aliquid commissum est. Magna uero iam agitur quæstio inter Pastores de potestate, hoc est, uter utri præstet: Item de ditione, quousque sese unaquæque extendat, uerum quam diligenter quisque suos subditos curet quos Ezec. 34

modo

modo defendat, quomodo in officio detineat, uidemus magnam cessationem. Hodiernus dies
Ioan. 10. testatur quam parum nobis cordi sint Christi membra, fratres nostri, quam parui faciamus eos, quos Christus tam magno redemit. Vbi pastores illi boni, qui animas suas ponunt pro ouibus Christi? Vbi Ioſaphat ille, qui emittit
2. Par. 17 Concionatores in omnes ciuitates, ut doceant populum? Vbi Ioſaphat ille, qui constitutis iudicibus suis dicit. Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, &, quodcumque iudicaueritis, in uos redunda-
2. Par. 19 bit. Sit timor Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Domi num Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Vbi Ioſi-
2. Par. 34 as ille Rex, qui adhuc puer cepit quærere Deum patris sui, & mundauit Iudam, & Hieruſalem ab excelsis, & lucis &c. Vbi Moyses, ubi Aaron, ubi Samuel, & alij pij Sacerdotes, qui ni-
Deute. 9. hil aliud magis quærebant, quam ut intercederent, pro peccatis populi, ut iratum Deum pro-
Exod. 32. pitiarent? Sed quid ego hæc multis? Pauci sunt
Philip. 2. immo pauciss. qui quærant, quæ Iesu Christi. Pauci sunt, qui oues suas in humeros suscipere uelint, & ad gregem reducere. Rogandus itaque
Luc. 10. Dominus, ut dignetur operarios extrudere in messem suam. Negligentia Cathedræ Ecclesiam turbauit, diligentia Cathedræ eam reparare poterit. Olim neglecta Cathedra, solus triũpha-

bat

bat Ecclesiasticus cantus. Diuersarũ, neglectis cantionibus Ecclesiasticis, nihil nisi concionãtur. Sed conueniebat unam quamq; rem suo haberi loco. Certe populus domini semper habuit non solum certas horas, in quibus audiret uerbum Dei, sed etiam certas, & statutas horas, in quibus precabatur, & inuocaret nomen Dei. Quis aũt non uidet, in quẽ contemptũ uenerint precationes Christianorũ. Qui canonicas precãdi horas cõtemptui prostituerũt, solẽt, illud obijcere, oportet semper orare, et nũq; deficere. Sed his factũ est, ut fere iã nullus precetur. Sic qui cõfessionẽ nolebãt alligari tẽpori, fecerũt, ut iã nemo amplius cõfiteatur. Itidẽ fecerũt de pœnitẽtia, ieiunijs, & alijs bonis exercitationibus. Sed suffecerint hęc. Nos nolumus tales pastores, qui magis solẽt abigere oues quã ad domini cũ ouile eas reducere. Nolumꝰ ineptas mulieres, quæ, dũ imprudẽter quærũt amissam dragmã, longe plures perdũt. Quõ uero reducitur ouis, quõ in humeros Christi ponitur, quõ reliquo gregi restituitur? Non licentia, sed pœnitẽtia, Nã q̃d dñs primo de restitutione & reductione dixerat, postea pœnitẽtiam uocat, Dico inquit, uobis gaudiũ erit corã Angelis Dei super uno peccatore pœnitẽtiã agẽte. Ergo quod in parabola uocat ouẽ errantẽ, iã uocat peccatorem, q̃d uocauerat in humeros suscipere, hoc iam uocat pœnitentiã agere. Quid igitur restat, nisi ut qui per malitiã errauit, per pietatẽ redeat. Nisi pœnitentiã age-

ritis, inquit, alibi Christus, omnes simul peribi-
tis: Pœnitentiam nostram expectat Dei patien-
tia, ut misereatur nostri. Age singuli igitur con-
siderent uias suas, declinent à malo, & faciant
bonum. Sic enim post hanc uitam transire po-
tuerunt ad Principem pastorum Dominum no-
strum Iesum Christum, cui laus & gloria per in-
finita seculorum secula. Amen.

IN FESTO IOANNIS Baptistæ. Lucæ. I.



N illo tempore Imple-
tum est tempus Elisa-
beth pariendi, & pepe-
rit filium. Et audierũt
uicini, & cognati eius,
quia magnificauit dominus miseri-
cordiam suam cum illa, & congratu-
labantur ei. Et factum est in die octa-
uo, uenerunt circumcidere puerum,
& uocabãt eũ nomine patris sui Za-
chariã. Et respondens mater eius di-
xit:

xit: Nequaq̃, sed uocabitur Ioannes. Et dixerũt ad illã: Quia nemo est in cognatione tua, qui uocet̃ hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quẽ uellet uocari eũ, Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sũt uniuersi. Apertum est aũt illico os eius & lingua eius loquebatur, benedicens Deum. Et factus est timor super omnes uicinos eorũ, & super omnia montana Iudeæ diuulgebantur oĩa uerba hæc, & posuerunt omnes, qui audierunt, in corde suo, dicẽtes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus dñi erat cũ illo. Et Zacharias pat̃ eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus dñs Deus Israel, qa uisitauit, et fecit redẽptionẽ plebi suę.

EXPOSITIO.

TAm aperta est huiꝰ hodierni Euangelij lectio, ut omnino superfluũ uideatur eam uelle latius exponere. Quid enim in eo est quod non á rudioribus etiã intelligatur? Elizabet fit puerpera, Ioannes nascitur, circũcidi-

Impletio temporis.

tur, eicꝫ nomen imponitur. Et Zacharias mutus fit rursum eloquentiss. Hæc ne satis aperta sunt? Sed quid prohibebit nos nostro more uerba sancti Euangelij diligentius discutere: Elizabet impletũ est tẽpus pariendi, inquit, & peperit filiũ, Quid hoc est, quod ait Impletũ esse tẽpus pariendi Elizabethę? De Maria uirgine eadẽ legimus, impleti sunt dies, ut pareret, & peperit filiũ suũ unigenitũ. Si diligentius negotiũ hoc ęsti-

Lu. 2.

mauerimus, non deerit ratio, quare Euangelista non simpliciter scripserit, Mariã, uel Elizabethã peperisse, sed pręmiserit, impletũ fuisse tẽpus, ut pareret. Sunt forsan, qui putãt hæc sic dicta esse, ut intelligamus sanctas matres nõ abortijsse: sed de hoc nõ est quęstio. Quid igitur? Mariæ castissimæ deiparæ tẽpus impletũ est, ut pareret: quãdo est impletũ? Nõ quãdo ueteres iusti reges & prophetæ cupierant ut pareret tã diu expectatũ & desideratũ Messiã: sed quãdo uenit plenitudo tẽporis, ut Paulus loquitur, misit deus filiũ suũ

Lu. 10.

in hunc mundum. Mundi huius iudicio nondũ fuerat tẽpus impletũ, ut pareret. Maria quia nõ hoc habet naturę cursus, ut mulier ante cõcubitũ pariat: Sed deus nõ est naturæ legibus subie-

Gal. 4.

ctus

ctus: & naturæ ordinẽ constituit, quem tamen semper iuxta suã uoluntatẽ inmutare nouit. Sic Elizabethæ tẽpus pariendi impletum est, non quãdo Zachariæ uisum est, sed quãdo deo placuit, Qui habitare facit sterilem in domo, matrẽ filiorũ lętantem. Zacharias putabat impleri debere tempus Elizabethæ pariendi, dũ adhuc iuuencula esset, nec cogitabat, quod Deus etiam Abrahæ & Sarę annosissimis filiũ in ipsa senectute donasset. Erat Elizabeth natura sterilis, & ad liberos procreandos inhabilis: his accedit quod etiã si sterilitas non intercessisset, quod tamẽ uterq; propter senũ uidebatur ad procreandum inutilis, Proinde non putabat Zacharias uncq; uenturũ tẽpus pariendi Elizabeth, & ideo audiẽs hoc futurũ esse, nõ credidit, utcunq; illud ipsum asseueraret Gabriel Angelus. Vnde hoc sciã, inquit. Ego enim sum Senex: & uxor mea processit in diebus suis. Verũ utcũq; incredibile, & impossibile uideatur Zachariæ, impletur tẽpus pariẽdi Elizabet nec abortit, sed parit filiũ, ut intelligamus deũ nõ allegatũ esse ulli tẽpori, nec illi esse quicq; impossibile. Quapropter desperandũ nõ est, etiã si subinde naturæ ordo uideatur inuerti. Nã ceu diximus, deus naturę suę ordinẽ cõstituit, cui tũ ipse alligari noluit. Vides ergo, quare dictum sit, Elizabeth impletũ est tẽpus pariẽdi, Quandocunq; deus aliquid pollicetur necesse est, ut impleatur, etiãsi uideãtur omnia diuersum testari. Et plerũq; res suas exequi-

Psal. 112

Gene. 18.

Luc. 1.

Obserua.

cur tũ maxime, qñ minus speratur? Isaac ex sterili Sara procreatur, magnas promissiones accipit, fore nimirum, ut fiat in gentẽ magnam. Sed quã multa post acciderunt, quæ uidebantur ex diametro cum Dei promissionibus pugnare? Sed sinamus hæc, & de Ioanne nostro loquamur. Iam olim dictũ fuerat in prophetis. Ecce
Malac. 3. ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, & ueniet ad Templum sanctum suum Dominus &c. Hijs uerbis, iuxta interpretationem Christi, prædictũ fuerat Ioannem nasciturum, & præcursorem fore Christi Messiæ nostri. Iam procreandus est ex Zacharia, & Elizabet. Sed quis hæc futura esse credat? in Zacharia forsan, qui adhuc est Iuuenis, non est defectus: sed Elizabeth, utcunque iuuencula sit, & Zachariæ matrimonio iuncta, tamen cum sit sterilis, inepta est, ut mater fieri non queat. Iam sterilitati adde utriusq; coniugis senium, & uide, num aliqua spes sit procreandæ prolis? Sed hæc omnia non possunt impedire consilium dei. Elizabeth ergo impletũ est tẽpus pariendi, & peperit filiũ. Nã iuxta promissum Angeli debebat filium, non filiã parere. Non timeas Zacharia, in-
Luc. 1. quiebat Angelus, quoniã exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannẽ: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebũt. Nunquit & hoc uerum est? Audi hodiernum Euangelium, Et audierunt uicini, &

cognati

cognati, quia magnificauit dominus misericordiam cum illa, & congratulabantur ei. Duo hic obseruanda sunt. Primum, quod Euangelista nõ scribit uicinos, & cognatos cõgratulatos Elizabetæ, quod peperisset filium, sed quia Dominus magnificauit misericordiam cum illa, quasi scilicet argumentum sit magnæ misericordiæ, si quis in Matrimonio liberos procreare possit. Sciendum itaque Iudæis persuasum fuisse, magnam Dei esse misericordiam, si quando honestis coniugibus multos largiretur liberos. Nouerant enim dominum sterilitatem minatum esse legis diuinæ præuaricatoribus, è contra liberorum multitudinem pijs Dei cultoribus. Seruietis Domino deo uestro, inquit, Moyses, ut benedicã panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infæcunda, nec sterilis in terra tua. Et in Psalmo 127. legimus, Beatus est, & bene tibi erit. Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuę. Filij tui, sicut nouellæ oliuarũ, in circuitu mẽsę tuę. Ecce sic benedicetur, qui timet Dominum. Nec latere uos puto, quemadmodum ueteres patres tam anxie pro sterilibus uxoribus suis aliquando interceſſerint. Vnde non opus est hic multa uerba in cassum fundere. Verum est, quod subinde Dominus peccata populi sui sterilitatis opprobrio punire solet: non est tamen uerum

Sterilitas aliquando pœna peccati.

Exo. 23.

Psal. 127.

uerum quod omnes steriles, & infæcundi propterea Deo minus placeant. Summa. Vicini, & cognati persuasum habebāt nihil lętius, & gratius potuisse Elizabethæ contingere, quam tam fœlix partus, propterea congratulantur ei, quæ res utrisque maximæ laudi merito tribuitur. Quod enim Elizabetham ádtinet, argumento est, quam amice & humaniter amicis & uicinis suis conuixerit. Si enim immodeste, uel hostiliter sese gessisset erga uicinos, & cognatos, nequaquam congratulati fuissent illi: sed potius inuidissent illius fœlicitati. Videas enim homines tam importunos, & uicinis suis tam molestos & intollerabiles, ut nemo non de infœlicitate eorum lætetur. In Prouerbium abijt etiam Iudæos nihil peius imprecari solere hostibus suis, quam malum uicinum. Verum Elizabeth, & sui uicini, uicini iura non leserunt, amice nimirum ac fraterne inuicem cohabitantes. Elizabet amica familiaritate illis cohabitat: & illi rursum non detrectant suum officiū, sed parati sunt etiam Elizabetæ inseruire. Hinc gaudium hoc, hinc gratulatio illa. Et hoc nomine summa laude euehēdi sunt uicini illi, qui nulla tenentur inuidia, nullum habent odium contra proximum, sed potius congratulantur alienis fœliciratibus, & haud dubie condolent aliorum infortunijs. Quam rem si penitus uoles intelligere, age, uide huius seculi mores, & inuenies paucis tales cōtingere amicos, uel uicinos.

Comitas Elizabethæ.

Cōgratulandum alienæ fœlicitati.

Inuidia

Inuidia enim,& odium, totum repleuerunt mũ dum,& pauci sunt, qui non gratulentur alienis malis. Sed hęc alias. Redeamus rursum ad uerba Lucæ. Audierunt, inquit, uicini & cognati, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa,& congratulabantur ei. O magnã Dei misericordiam, quę mundo tales procreari facit pueros, quales fuit Ioãnes. De hoc anteq̃ nasceretur dictum est. Erit magnus coram Domino. Vinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur, adhuc ex utero matris suę,& multos filiorum Israel conuertet ad Dominum deũ ipsorum. Vtinam tandem etiam mitteret nobis Dominus multos tales Ioannes, quorum ministerio corda nostra conuerterentur ad Dominum. Sed ad sequentia. Et factum est in die octauo, uenerunt circumcidere puerum. In ijs notatur studium & obseruatio Legis diuinæ. Et si enim Ioannes in utero matris suę sanctificatus fuerit, tamen nihilominus circumcidi debuit, quoniam non Ioannes, sed Christus ille est, cuius nomine primum circumcisio instituta est. Et quomodo non circũcideretur homo, quum circumcidatur Deus & homo? Ergo iuxta legem circumciditur: Quid dein? Et uocabant eum nomine Patris sui Zachariam. *Obser.*

Hac de re nulla extat lex, uidelicet quibus nominibus appellandi sint pueri: sed liberum uniq̃ cuiq̃ relinquitur quoduis nomen puero suo indere. *De impositione nominum.*

Vide Chryſo. Hom. 28. in Iohannem.

dere. Pij autem perpetuo ſic ſe gerent in hac re, ut ijs nominibus inſigniãt liberos ſuos, quæ ipſis poſſint calcaria eſſe ad pietatem. Mihi certe non probatur temerarius ille mos Neochriſtianorum noſtrorum, qui, quaſi per contemptum, reiectis Diuorum Euangelij nominibus, malũt ſuos ludæorum, quam Chriſtianorum appellari nominibus. Liberum itaq; eſt, ſicut dixi mus, quocumq; uoueris nomine tuos liberos appellare: caue autem, nequid hic committas uel per contemptum, uel per ſuperſtitionẽ. Atqui liberum non erat Zachariæ, & Elizabethæ puerum ſuum appellare quo uellent nomine: non quidẽ quod Lex eos cogeret, ſed quod Dominus alia per Gabrielem iuſſerat. Hinc oritur rixa, ſed nõ impia, Vicini, & cognati ſecretorum Dei ignari, uocabant puerum nomine Patris ſui Zachariam. Et hoc fortaſſis in gratiam Silicernij Zachariæ, quem putabant libenter audire, ut qui in puero iam uidebatur quaſi renatus.

Reſpondens autem mater eius dixit, Nequaquã, ſed uocabitur Ioannes: Videlicet ut à gratia nomen haberet, qui ex ſingulari Dei gratia illi donatus fuerat. Sed unde hoc nomen Elizabethæ? Ego opinor illam hoc didiciſſe per reuelationem aliquam: Niſi forte Zacharias per ſcripturam, quum loqui neſciret, illi indicauerit. Nam poſtea dum nutibus interrogaretur, quomodo uellet uocari puerum. Poſtulans

stulans pugillarem scripsit in hæc uerba. **Ioannes est nomen eius.** Non dicit, Ego nomino eum, ego iubeo eum uocari Ioannem. Sed **Ioannes est nomen eius.** Non necesse est ut nos illi indamus nomen: Ioannes est nomen eius Habet nomen à Deo, quod nemo hominũ præsumat mutare. Vocatus est ante, q̃ natus. Quid porro ad hæc uicini, & cognati? Et mirati sunt uniuersi, inquit Lucas. Et certe erat res admiratione dignissima, maxime apud eos homines, qui ignorabãt, q̃d factũ fuerat cũ Zacharia ex colloquio, quod illi cum Angelo interceserat Et miraculum trudebat miraculũ. Apertum est illico os Zachariæ, & lingua eius soluta, & loquebatur recte. Iam tandẽ rursum uti potest officio linguę bonę Zacharias, postq̃ impleta sunt omnia, quæ ei predixerat Angelus, maximè quæ infantiam Ioannis cõcernunt. Propter incredulitatem suam factus est mutus: postq̃ autem uocatus est suo nomine Ioannes, rursum recipit beneficium linguæ, et loquitur rectè, loquit̃ sanctè loquit̃ magnalia Dei. Vtinam nõ esset nobis alius linguę usus: Multi multa loquunt̃, quos præsta ret mutos esse, q̃ sic indecentia loqui. Beatus ille qui nunc̃ offensus est lingua Habemus exemplũ in Psalmo, unde linguę custodia petenda sit, Dixi, custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea. Et alibi. Pone domini custodiam ori meo, & ostium circumstans labijs meis. Sed

Linguæ uerus usus.

Eccl. 25.

Psal. 38.

Psa. 140.

de

de hijs satis. Ad uicinos nostros reuertemur.

Factus est timor super omnes uicinos eorum etc. Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo dicentes, Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cũ illo. Adhuc ignorant, quid futurum sit de puero isto, circa cuius infantiam tam multa miranda fiunt. Sterilis parit, mutus loquitur, & omnia mirabilem quandam imutationem innuere uidentur. Adde quod ex ueterum historijs forte meminerant, quam mirabiles euaserint, quorum natiuitates diuinitus prædictæ fuerant, & qui de sterilibus nati fuerant. Exemplo sint nobis Isaac, Iacob, Samson, Samuel, Iosias, & alij quidam magnarum uirtutũ uiri. **Quis putas puer iste erit?** Quod illi ignorabant, nos ignorare non possumus. Fuit homo missus à Deo, ait alius Euãgelista, cui nomen Ioannes erat, hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Et Christus de Ioanne testatur, quod fuerit lucerna ardens & lucens, & quod inter natos mulierum, nõ surrexerit maior Ioanne baptista. Reliqua de ipsius uictu, uestitu, conuersatione & officio tam copiose descripta sunt ab Euangelistis, ut non sit, quod ultra quæras. Habent in hoc concionatore & pœnitentiæ precone, omnes uerbi ministri exemplum, quod meritò imitentur: qua de re suo loco

Ioh. 1. *Iohan. 5.* *Math. 11*

loco copiosius. Quæ de Zacharia, & eius cantico in Euangelio sequuntur, iam non uacat excutere. Prophetia est de Christi, & Ioannis officijs, siue ministerijs. Iam ut receptui canamus, quæ ad nobis hactenus dicta sunt, breuissimis recapitulemus. Primum est, ut de Dei promissionibus nequaquam dubitemus, quum uideamus deum tam fidelem, ut nihil uane polliceatur, tam potentem, ut etiam contra omnes Naturæ leges suam uoluntatem implere possit. Secundum est, ut obseruemus Deum promissiones suas aliquando prorogare longius, ut anxie petita cum maiori fructu suo tempore accipiamus. Et hæc quidem Deum concernũt. Quod uero Elizabetham attinet, exemplum habes comitatis, & modestiæ, ut sic cõuiuas uicinis tuis, ne quisquam te odire merito possit. Noli item inuidere proximis tuis suam fœlicitatem: sed gaude cum gaudentibus, fleto cum flentibus. Didicimus item ex hodierno Euangelio, quo loco nobis habenda sint Dei mandata, ut his nihil anteferamus. Consuetudines tandem sic obseruemus, ne quid contra Dei præcepta committamus. Postremo non tantum amemus Ioannem baptistam, sed etiam audiamus prædicationes illius & obtemperemus eis, ut tandem cum illo mereamur ingredi cælum & simul uitam ducere beatam, Quod utinam nobis contingat gratia domini nostri Iesu Christi, cui laus & gloria in æternum, Amen.

Dominica

DOMINICA IIII. POST Trinitatis. Luc. 6.



IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur uobis. Mensuram bonã, & conferã, & coagitatã, & super effluentem, dabunt in sinum uestrũ, Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetiẽt uobis. Dicebat autẽ & illis similitudinẽ, Nunquid potest cœcus cœcum ducere, nonne ambo in foueam cadent? Non est discipulus supra magistrũ, perfectus autem omnis erit, sicut ma

si sit magister

giſter eius. Quid autem uides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autẽ tuam, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, frater, ſine, eiiciam feſtucã, de oculo tuo, ipſe in oculo tuo, trabẽ non uides? Hypocrita, eiice primum trabẽ de oculo tuo, & nũc perſpicies, ut educas feſtucã de oculo fratris tui.

EXPOSITIO.

SI aliquod Euangeliũ eſt, quod tẽporibus & moribus noſtris cõueniat, certe hoc eſt, q̃d iã uerbotim enarrauimus. Quis enim non uidet, quam temeraria ſint hoc tẽpore hominum iudicia? Quam egregie abblãdimur noſtris peccatis: quam ſeuere iudicamus aliena? Sed auſpicemur interpretationem Euangeliĩ. Eſtote miſericordes, ſicut, & pater ueſter miſericors eſt. Quum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creati ſimus, non mirum eſt, quod etiam ad ipſius exemplum uocamur. Et bonorum filiorum eſt, ut parentum probitatẽ in omnibus imitentur. Hinc Paulus ſcribit.

Eſtote

Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, Et Christus iam. Estote misericordes, sicut Pater uester misericors est. Quid est misericordē esse? Misericordia in genere est affici sensu alienæ calamitatis, præsertim iniustæ, & opitulari iniustè oppressis, & prouocatione tua, hoc est, quantū potes, quātumcp licet. Item parcere eis, in quos tibi licebat durius & seuerius agere. Exemplū habes in Euangelio illo de homine remittenti seruo debitum: quam remissionem, ipse fænerator misericordiam uocat. Huc facit, quod Christus apud Mathæum clarius, & apertius eloquitur, ad quam misericordiam nos uocet, siue in quo Patris cœlestis misericordiam imitari debeamus. Ego dico uobis, inquit, diligite inimicos uestros, benefacite *his*, qui oderunt uos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus uos: ut sitis filij Patris uestri, qui in cęlis est, qui solē suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Et nō ita multò post addit. Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. Breuiter misericordia & perfectio illa, ad quam uocamur, in hoc cōsistit, ut parati, & expositi simus ad benefaciendum omnibus & singulis: nunquam uero inducamus in animum, ut uel alicui simus molesti, uel difficiles, nec quencp uelimus ledere &c. De Archetypo nostro Domino sæpiss. in Psalmis legimus. Misericors & miserator Dominus, patiens & multum misericors, Misericordia domini super

Misericordia.

psal. 85.
Psal. 140

per omnia opera eius. Et rursum. Misericordia Domini plena est terra. Hæc si etiam de nobis uere dici possunt, tum tandem recte referemus patrem nostrum cœlestem. Contra hanc Christi doctrinam, aut potius cõtra hoc domini præceptum, faciunt, & peccant homines crudeles, immites, & nimium sæueri, qui nunquam non solent miseris insultare. Sed ad sequentia.

Nolite iudicare, & nõ iudicabimini.

An nemo audebit iudicare? An non licebit discernere inter bonum, & malum? An non licebit, contemptis malis, sequi bonos? Caue hic, ô bone, impiam Anabaptistarum blasphemiam, qui hanc domini piam sententiam pijs magistratibus impie opponunt. Ecce enim, qui hoc in loco dicit, Nolite iudicare: alibi dicit: Recte iudicate filij hominum. Quid igitur? Christus hic non docet, nec præscribit, quid faciendum sit concionatoribus, uel Magistratibus pijs, sed quæ priuatos quosque Christianos deceant. Probe itaque discernenda sunt officia à priuatis personis. Imperatori, tanquam priuato Christiano dicitur. Noli iudicare: tanquam Imperatori uero eidem dicitur, Cura, ut, defensis bonis, tueare malos, neque enim frustra gladium geris. Ob seruandum itaque Christum hic non prohibere in uniuersum omnia iudicia. Nam, ceu iam diximus, non tollit Magistratus, non tollit munus concionatorum, nec damnat iudicia illa

Quatenus liceat iudicare.

charitatiua, ut ita loquar, quum quis proædifi-
catione fratris, quæ bona sunt, commendat, &,
quæ mala sunt, uituperat. Breuiter ista tantum
iudicia hoc loci prohibẽtur, quæ misericordæ,
aut potius fraternæ charitati reluctãtur. Iam si
uellet Magistratus uel concionator, uel etiam
pater familias aliquis, ad mala subditorum faci-
nora conniuere, non faceret officium suum, nec
faceret opus misericordiæ, sed sibi, & a ijs pro-
curaret ingens malum. Dicamus rursum ex Di-
uo Augustino. Diuina lectio sibi contraria esse
non potest: sed intellectum sobrium quærit. In
conuersatione humana, dilectissimi fratres, sunt
Ho. 202. aliqua, quæ rationabiliter reprehẽduntur. Sunt
uero quædam, quæ nõ sine peccato iudicantur.
Aperta enim mala & iudicari, & argui debent.
Illa uero, quæ ignoramus, & utrum bono, an
malo animo fiant, scire non possumus, iudicare
re penitus non debemus. Verbi gratia. Vides
hominem frequentius ieiunantem, cõgaude, &
in meliorem partem interpretare, licet fieri pos-
sit, ut ille non syncero animo ieiunet. Tolerabi-
lius enim est nos in hoc prẽfiniri, ut eos, qui ma-
li sunt, bonos esse credamus: quam ex consuetu-
dine iudicandi, etiam de bonis, quod malum est
suspicemur, de istis ergo, quæ soli Deo sunt co-
gnita, nobis autem ignota, præceptum est, ne
quemq̃ iudicemus. De illis uero, quæ aperta
sunt & publica mala, iudicare & redarguere
(cum charitate tamen, & amore) & possumus,
& debe-

& debemus, odio habentes non hominem, sed peccatum: non uitiosum, sed uitium: detestantes morbum potius, non ægrotum. Idem sensus est sequentis sententiæ. **Nolite condemnare, & non condemnabimini.**

Per pulchros gradus progredit doctrina Christi, Si fuerimus misericordes, neminem iudicabimus temere: si neminem iudicamus, certe etiam neminem condemnabimus. Iudicare est primo decernere, malus sit ne, an bonus ille, de quo agis. Condemnare est decernere, quæ pœna puniri debeat, qui tuo iudicio pecauit. Solemus enim subinde ex impotentia animi dicere. Dignus est ille, quem carnifex de medio tollat, quem uiuum terra absorbeat, qui hoc, uel illud malum patiatur etc. Dum autē ex ira, aut odio fratrem nostrum iudicamus & condemnamus, quid aliud agimus, nisi quod deo quemadmodum nos punire debeat, præscribimus. Huc enim pertinet, quod Paulus in Romanis dicit. Inexcusabilis es, ô homo, omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum cōdemnas: eadem enim agis tu, quæ in alijs iudicas. Iam audimus multos dicere. Mirum est, quod dei patientia malicia huius, uel illius dissimulat. Quare non punit, quare non flagellat? Nescis, ô miser homo, & infœlix peccator, quod, si dominus statim puniret peccatores, tu iam olim perijsses. **Dimittite, & dimittetur uobis.**

Inuenias forsan, qui susque, deque ferant, quid nam alij in alios admittant, modo illi ipsi sint extra periculum: Si quis uero ipsis molestus sit, cœlum terræ miscent, omnia inuertunt. Non nouerunt enim quicquam patienter ferre à fratribus. Ad hos ergo tales iã dicitur. Dimittite, & dimittetur uobis: hoc est dimitte hominibus, si quando in te peccauerunt, nec cogites de uindicta: & Deus tibi dimittet, si quid comisisti in illum. Quis autem non subinde peccat contra Deum? Et quis non mallet hominis, quam Dei sustinere iram? Ergo si uis, ut tibi ignoscat Deus, prius cura, ut ignoscas peccanti in te fratri tuo. Sed quid ait scriptura? Qui uindicari uult, à Domino inueniet uindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse, dum caro sit, reseruat iram: & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorum, & desine inimicari. Eius generis multa sunt in scripturis, sed hæc sufficerint. Date & dabitur uobis.

Eccl. 28.

Omnino cupit Dominus radicem iræ, inuidiæ, & odij ex animis nostris eradicare. Sunt homines quidam porro delicati, & odij tenacissimi, qui si etiam persuasi fuerint non referre talionem,

nem, tamen nolunt malefacientibus benefacere? Hinc prouerbium illud parum Christianum. Condonabo quidem illi hanc iniuriam, sed non obliuiscar. Christus itaque non contentus dixisse de remittendis peccatis, & fratrum offensis, continenter addit de benefaciendo fratribus: Date, inquit, & dabitur uobis. Date uos hominibus, & Deus dabit uobis. Subuenite alijs, et subueniet uobis Dominus. Erogate pauca, & accipietis plurima Nam hoc sequitur. **Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem, dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur & uobis.** Quomodo eadem mensura est, quum pro paruo tam multa: pro temporalibus æterna dabuntur? Sic eadem mensura est, quoniam non pro bonis mala: nec pro malis bona dabit: sed pro bonis bona: pro malis mala: Conferta autem mensura est, quia, sicut diximus, pro paucis nostris beneficijs tam grandia, & preciosa accipiemus. Hinc sapientissimus Salomon scripsit. Fœneratur domino, qui miseretur pauperis. Et rursum scriptura. Alij diuidunt propria, & ditiores sunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Hoc quam uerum sit, hodierna dies testatur. Certe qui bonam mensuram cupit á Deo necesse est, non ut *Pro. 19.* *Pro. 11.*

rapiat aliena, sed ut eroget sua. Qui parce seminat, inquit, Apostolus, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet, Hic forsan locus esse dissercndi de distribuendis Elemosynis: sed quoniam nonita dudum hac de re pluribus dixi, non arbitratus sum necessarium esse, ut in tali negotio multa uerba qua si frustra funderem. Enimuero ualde peccatur utrinq;, & à Mendicis, & ab ijs, qui Elemosynas elargiri debebant. Quę iam in Euangelio sequuntur in idem recidunt, itidem nos admonentes, nec temere, aut potius stulte inuicem condemnemus, inuicem iudicemus, quum nemo ex omni parte beatus sit. Si peccator peccatorem emere iudicat, idem est, ac si cæcus cæcum ducere, aut discipulus Magistrum suum docere uelit. Et hac in re iam à multis peccatur tam à laicis, quam Ecclesiasticis. Præficiuntur enim plerumq; cæci, hoc est imprudentes, cęcis, hoc est idiotis: & Magisterio funguntur, qui perfectorum discipulorum nomine indigni sunt. Causa est, quod in præficiendis, & ordinandis his, non quæritur, quam utilis sit futurus Ecclesiæ, sed alia, atq; alia requiruntur, quę enumerare non licet, Iam quæ de Hypocrita, qui habens in oculo suo trabem fratri festucam extrahere uult, nihil aliud significat, nisi quod semper maximi nequam minores condemnare solent, ad aliena uicia linceos habentes oculos, ad sua uero omnino cæci existentes. Et quæ iam est peradi-

ditio Ecclesiæ, nisi quia malumus iudicare alienã peccata, quã emendare nostra. Sic Schismatici Catholicos, sic Ecclesiastici laicos, & hĩ illos iudicant, contemnant, flagellant. Deinde iuxta apologum, dum sic Mus & Rana altercantur, uenit infernalis Miluus, & utrumque rapit, ac laniat. Quare hoc omnino consultum uidetur, ut audiamus scripturam dicentem. Dic tu prior iniquitates tuas, ut iustificeris. Hoc faciebat Psaltes. Dixi, pronunciabo aduersum me &c. Quod si huius exemplum imitati fuerimus, haud dubie inueniemus gratiam in tempore opurtuno Quod utinam nobis concedat pater, & filius, & spiritus sanctus. Amen.

IN FESTO APOSTOLORUM Petri, & Pauli. Math. 16.



IN illo tempore: uenit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens, Quem

dicũt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Iohannem Baptistam, alij autem Heliam, alij uero Hieremiã, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: uos autem quem me esse dicitis? Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei uiui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Barıona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Tunc præcepit discipulis suis,

ut nei

ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. Exinde cæpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus cepit increpare illum dicens: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia nõ sapis ea, quæ dei sunt, sed ea, quæ hominum.

EXPOSITIO.

QVoniam ueremur tẽporis huius angustia nos prohiberi, quo minus, ea, quæ proposuimus, explicare ualeamus, omissa longiori præfatione, statim ad Euãgelij hodierni interpretationem nos uertemus. Certe huius sæculi iniuria, aut potius hæreticorum malicia sic turbauit omnia, ut concionato-

ribus maior pars sermonis insumenda sit confutandis malis opinionibus, quam erudiendis moribus. Si igitur iam instituemus hanc orationem, ut, quæ in nulla sunt controuersia, paucis, quæ uero controuersa, pluribus absoluamus.

Venit Iesus in partes Cęsareę Philippi.

Cæsaream hanc Philippus frater Herodis, Tetrarcha Ituręæ, & Trachonitidis Regionis, cõstruxit, & in honorem Cæsaris Cęsareã appellauit: Huc ergo cũ uenisset Iesus, non in ciuitate
Mar. 8. ipsa, sed dũ adhuc essent in uia, & Marcus dicit,

Interrogabat Discipulos suos.

Non promiscuum turbam, quæ etiam subinde Discipulorum nomine appellatur, sed Apostolos suos interrogat dicens. **Quem dicunt homines, esse filium hominis?**

Siue ut Marcus scribit, Quẽ me dicũt homines? Apud Lucã uero, Quẽ me, inquit, dicũt esse turbæ? Non rogat, quasi ignorans, sed dispensatorio modo, hoc est, certa quadã ratione, uidelicet ut Petrus diceret, quod sibi reuelatum fuerat: & cæterorũ omniũ opiniones, quæ de ipso erant, reprobarentur tanquã erroneæ. Interrogat autem, non citra prædicationis initia, sed postquã multa, magnaq; signa ediderat, postquam multa, magnaq; docuerat: postquam sufficientes de sua diuinitate ac æqualitate ad Patrem, probationes euidentes tradiderat. Est & alia causa, cur

roget:

roget: nimirum ea, ut argueret Pastorum Ecclesiæ præcipuum munus esse, aut certe maximo proximum, sæpius, ac diligenter quærere, quid populus discat, quid credat. Verum multi pastorum nostrorum, nec exemplum hoc Christi, nec proprios ipsorum canones curantes, nihilminus curant, quam quomodo populus doceatur, uel quomodo credat. Noui quosdam non curare, quales pastores præficiantur Ecclesijs, modo ipsis saluæ sint Decimæ, quæ impia auaritia quomodo excusari possit, ipsi uiderint, quos hac de re rationem dare necessitas postulabit. Certè summa necessitas requiret rursum Catechisandi munus, & ritum introducendi in Ecclesiam, quomodo puer in ijs, quæ præcipuè ad pietatem spectent, melius instruantur. Sed audiamus responsionem Apostolorum, qui rogati fuerant, & intelligemus, qualis, & quàm diuersa fuerit de Christo sententia populi.

Quare Christus interroget.

Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uero Hieremiam, aut unum ex prophetis. Non opus est multis quærere, unde, aut quomodo, Turba in hanc absurdam opinionem uenerit, quis enim uellet omnium erronearum opinionum causas excutere. In Lucę Euangelio legimus, quod cum Herodes audiret de Christi miraculis, hæsitauerit, hoc est, dubitauerit, quid nam de Domino IESV sentiret, eo quod dicebatur à quibusdam,

Luc. 9.

Quia

Quia Ioannes surrexit à mortuis: à quibusdam uero. Quia Elias apparuit: ab alijs autem. Quia Propheta unus surrexit de antiquis. Certe quod uitæ sanctimoniam, & uerbi autoritatem, item & miraculorum operationem attinebat, non solum assimilari, sed potius præferri potuit Christus, non tantum Ioanni, Eliæ, & Hieremiæ, sed omnibus antiquis Prophetis. Verum populus, & Herodes non hoc cogitabant, quod tantum uerbis, & operibus referret Christus Ioannem, Heliam, Hieremiam, & alios Prophetas: sed longe aliam, non tam stultam, quam impiam opinionem habebant, de mortuorum resurrectione, proxime accedentem, ad Pythagoreorum stulticiam. Theophylactus in caput 9. Lucæ scribit in hæc uerba. Hebræi errantes opinabantur resurrectionem mortuorum in carnali uita futuram, atque in cibo, & potu. Resurrectio enim non in cibo, uel potu, uel carnali uita erit: sed qui resurgunt, sicut Angeli Dei uersantur. Hæc ille: quæ tamen non sic intelligenda sunt, quasi nemo Iudæorum melius de Resurrectione crediderit, sed de maiori forsan parte. Nam Iudæos aliquos, hoc est, potiores, ueram credidisse Resurrectionem corporum, ex multis Sacræ scripturæ locis probari potest. Sed uertamus nos ad potiora. Quis enim dubitet aliquam esse causam, quare Apostoli has Turbæ de Christo opiniones potius referre uoluerunt, quam alias? Nemo non nouit, q̃ multis conuicijs, & blasphe-

An Iudæi credidérint resurrectionẽ carnis.

Apostoli longe à Detractatione.

mijs

mĩs aliquãdo Christo insultauerint Iudęi, nunc uocantes eum Epulonem, & bibonem, nũc Dæmoniacum, nunc Samaritanum, nunc alĩs, atq; alĩs inhonestis appellationibus. Quare ergo nõ dicunt Apostoli, dum roganť a Domino. Quẽ me dicunt homines esse? Alĩ dicunt te Samaritanum, alĩ Dæmoniacum, alĩ amicum meretricum, & publicanorum? Non tantum unicam uideo subesse causam. Nam qui Christum talibus conuicĩis incessebant, non habebant talem de eo opinionem, ac si omnino tam malus esset, sed inuidia, & odio aduersus Christum moti solebant, etiam contra suam ipsorum conscientiã, tam impia conuicia iacere in Christum. His adde, quod Christus, non de sententia Pharisæorum, qui ipsius capitalis erant hostes, rogabat, sed de sententia Turbæ. hoc est, simplicioris populi Quem dicunt me esse turbæ? inquit. Ergo Apostoli noluerunt traducere impias Pharisæorum calumnias, sed potius simpliciter simplicis populi recensere sententias. Horum exemplum pauci nostro sęculo sequuntur. Interrogati enim sententias de aliquo magis solent narrare malefacta, quam benefacta proximorum. Quid si & hoc adĩceremus? Ecce populus ignorat, quis nam sit Christus uerè: huius tamen uerbis, & factis sic mouetur, ut illum non nisi sanctis, & honestis uiris comparent. Sic & tu uitam tuam instituas, ut etiam illi, qui te non nouerunt, quis, uel cuias sis, tamen ex uerbis, & factis tuis te cõ

Nota.

siderantes,

siderantes, non nisi bonum uirum te iudicare co
gantur. Sed iam tandem redimus ad contextum
Euangelij. Vos autem quem me esse di
citis? Loquitur Christus ad Apostolos.
Non enim satis est audire erroneas hominum
opiniones, nisi & eas emendare fueris conatus.
Magnam autem emphasim habet, quod dicit ad
Apostolos, uos autem quē me esse dicitis? Vos
Vos aũt. qui mecum semper conuersamini, & multam ha
Math. 13. betis experientiam meæ potentiæ, quæ & ope
re, & sermone eluceſcit. Vobis datum est, ait ali
bi nosse mysterium Regni dei, cæteris autem in
parabolis. Vos igit Apostoli mei, quos in hoc
delegi, ut aliorum errores emendetis, ut alios do
ceatis: quem me esse dicitis? quam de me opinio
nem concepistis? Vulgi errores aliquando uta
cunq; ferendi sunt, sed ad Præpositorum ignoa
Math. 5. rantiam quis conniuere poterit? Quod si sal infa
Malac. 2. tuatum fuerit, in quo salietur? Labia sacerdotis
custodiunt scientiam, ait Propheta, & legem re
quirent ex ore eius. Nescio quid iam labia mul
torum custodiant Sacerdotum. Inuenias certē
hominem prophanum, qui maiori studio incū
bat lectioni sacrę, quam multi sacerdotes. Et uia
Obser. de, obsecro, omnem rerum ordinem peruerti.
Qui ad sacerdotij munus, & dignitatem uocati
sunt, hoc est, qui præcipue a Domino, & Eccle
sia Christi in mandatis acceperunt, ut populum
doceant, atque Sacramenta administrent, hos

pudet

pudet eiusmodi facere. E cõtra multi ex uulgo, sese ultro ingerunt, imò uiolentia quadam sibi usurpant sacerdotij dignitatem, & functionem: ut nemo non uideat Deum contraria uelle contrarijs curare, peccatumq; fieri peccatorum pœnam. Nam illi, quorum interest, dignè suis fungerentur officijs, non relinqueretur locus Erronibus istis, ubi sese possent ingerere. Sed hæc sufficerint. Sequitur Petrum ad interrogata Domini sic respondisse.

Tu es Christus filius Dei uiui.

Pauca sunt hæc uerba, sed multa comprehendunt. His enim paucissimis uerbis & Iudæi, & Gentes confutantur. Hijs uerbis, quis nam sit Christus, nimirum uere Deus, & homo, sufficienter demonstratur. Tu es inquit Christus, hoc est, Tu es Messias, ille nobis iam olim promissus, atq; à nobis iam diu expectatus. Tu es Christus, non alij: Tu es Christus, quicquid tandem expectent, & quantumuis repugnent Iudæi. Tu es Christus filius Dei uiui. Quod Christum filium Dei uocat, contra Iudæos pugnat, qui Deum patrem negant, ac, quod in ipsis est, solitarium faciunt. Quod filium uiuentis Dei dicit, contra Gentiles facit, qui & multos Deos, & horum multos filios confingunt. Iam ut intelligamus Petrum Apostolum sane ac rectè de Christo sensisse, audiamus Christi responsum.

Beatus

Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis non reuelabit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

Math. 14. Prius etiã Discipuli, sedata tẽpestate, filium Dei esse cõfessi sunt, dicẽtes uerè filius Dei es, nec tamen Beati prædicati sunt. Et alĩ quidã deũ esse crediderũt, sed nullum sic beatificauit Christus: Quid ergo ad hæc dicemus? Vnde D. Petro tãta prærogatiua? Respondẽt ueteres Theologi, Quod omnes, qui ipsum esse Dei filium confessi sunt, aut Deum esse crediderunt, non natura, & propriè, hæc illũ esse opinabantur, sed adoptione, & secundũ excellentiã uirtutis, ueluti etiã omnes sanctos dei filios esse dicunt. Solus aũt Petrus uere Christũ & natura, & propriè filiũ Dei hũc intellexit. Ideò quoq; uolens Christus discipulis demõstrare, quod solus hic recte cognouerit, & sine errore confessus sit, ipsum beatificat, tanq; assecutũ diuinam de se reuelationẽ. Caro, enim, inquit, & sanguis hæc non reuelauit tibi, hoc est non à seipso, nec ab alio aliquo homine hæc didicisti, ut infirmitate mea nihil offensus credas me esse uerum Messiam, hoc est, Verum Dei uiuentis filium, & uere assumpsisse humanã
Math. 11 carnẽ: sed pater meus cœlestis, qui tanta mysteria abscondit à sapientibus, & reuelat ea paruulis, etiam tibi tanta reuelauit. Discimus nemĩnem humano tantum sensu pertingere posse ad

ad ueram ueri dei cognitionem, sed opus esse re uelatione diuina. Et nihil aliud homines fecit Hæreticos, nisi quod plus sibi sunt proprijs ingenijs, quam par erat, & proprijs rationibus uoluerunt assequi, quod sola fide, & animi humilitate comprehendi potest. Quæ sequuntur uidea mus. Neq; enim contentus hæc dixisse Christus, sed addit ad Petrum dicens. Ego dico tibi, quia tu es Petrus. Ab initio uocationis suæ prædictum erat Petro, quod iam audiamus. Cum enim Andreas fratrem suum Petrũ Io. 1. Christo adduxisset, intuitus Iesus Petrum dixit, Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas &c. Et hæc quidem apud Ioannem, in hodierno uero Euangelio rationem mutati nominis exponit inquiens. Ego dico tibi, tu es Petrus. Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hic magna inter patres oritur quæstio, Ecclesia ne super Petrum, an super Christum, anne super confessionem fidei, quam fecit Petrus, ædificata sit. Hoc sufficerit scire homini Christiano, eum, qui confessioni Petri contradicit, non esse membrum Ecclesiæ, quicquid tandem uel faciat, uel credat. Certum sit, & hoc homini simplici Christiano, non nisi unicã esse Ecclesiam ab Apostolorum temporibus usq; ad nos deriuatam. Certum habeat & hoc, Ecclesiam habere immobile, ac solidum fundamentum, siue habeat Petrum, siue Petram pro

Hæreses unde.

Obserua.

fundamento. Aduersa pars, cur negat Eccle-
siam supra Petrum fundatam, causam prætend-
dit, quod Petrus non ita multo post à Christo
Petrus Satanas uocatus. Satanas uocatus fuit, & postea Christum ter abn-
negauerit. Scilicet quod Christus dicit se ædifi-
caturum Ecclesiam super Petrum, Iusus fuit.
Quod autem eum uocat Satanam, serio fa-
ctum est. O candidos scripturæ interpretes. Eg-
go non ita illibenter eos docebo meliorem u-
sum eius loci. Dum uident Petrum sic hoc in lo-
co Beatificari, & non ita multo post Satanam
uocari: cogitent secum, possibile ne sit, nec ne,
etiam ipsos à uero deuiasse. Scilicet possibile est,
ut Petrus fallatur: & impossibile erit, ut uel
Lutherus, uel huius fallatur Discipulus. Ad-
dam, quod non certo probabis Christum *hic*
uocasse Petrum Satanam, hoc est Dæmonium.
Math. 26 Quum Satanas etiam quemlibet aduersarium
significare possit. Nec continuo à fide cecidit,
qui infirmitate carnis motus, non nihil timet
à Cruce. CHRISTVS expauit ad conspe-
ctum mortis, nunquid ideo expungemus eum
ex Catalogo filiorum Dei? Quod Petrus
Christo dissuaserit passionem, non perfidiæ, aut
incredulitatis, sed magnæ, tamen non ordina-
Luc. 22. tæ, Charitatis fuit. Sic, quod CHRISTVM
ter negauit, non corde, sed ore tantum negauit:
nisi falsum fuerit, quod CHRISTVS dixit
Ego rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua.
Nihil igitur præiudicat priuilegio D. Petri,
quod

quod uocatus est à Domino Satanas, siue eum Dæmonem, siue simpliciter aduersarium Dominus uocauerit. Non enim ei dictum est, quod super ipsum ædificanda sit Ecclesia eo, quod peccator sit, & Petrus uocetur, sed eo, quod primus Apostolorum, & tantus fidei tantæ confessor, Putas tu Petrum sine peccato fuisse, quando ei tradita est potestas remittendi, & ligandi peccata? uel quando ei dictum est, ut Dominí oues pasceret? Certe, dum pascit oues, ædificat Ecclesiam: dum remittit peccata, uel alligat peccata, ædificat Ecclesiam: & hoc non ut Petrus peccator (licet sine peccato non sit) sed sicut Petrus Apostolus, & Apostolorum primus. Si enim peccata hominis non possent esse cum Apostolatu, certe nullum haberemus Apostolum. Sed propius ad rem, quam instituimus. Christus dicit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc dominí uerba uera sunt, siue intelligas, siue non intelligas. Qui negant Ecclesiam super Petrum ædificatam, exponunt Petram Christum, sicut Paulus alibi dicit. Petra autem erat Christus. Ergo quod de Christo dicitur, in alios competere non potest? Christus de seipso dicit, Ego sum lux mundi: ergo falsum erit, quod idem CHRISTVS ad discipulos suos dixit, uos estis lux mundi? CHRISTVS de seipso dixit, Ego sum pastor bonus: ergo iuxta illorum Theologiam, nullus alius pastor bonus est, quum

Petrus potestate accipit, non ut peccator, sed ut princeps Apostolorum.

1. Cor. 10

Christi petra nõ repugnat Petro.

Io. 8.

Matth. 9.

Io. 10.

Ephe. 4. quum tamen Paulus teſtetur Chriſtum Eccleſiæ paſtores dediſſe. Rurſum Chriſtus dicit, ſiue
Hiere. 11 appellat nos, Oues ſuas, & tamen in perſona illius dicitur per prophetam. Ego tanq̃ ouis, quę ducitur ad mactationem. Nihil igitur prohibet Petrum Petram uocatum, etiamſi Paulus dicat, Petra autem erat Chriſtus. Quum enim hęc
pri. Cor. 10. Paulus ſcriberet, non diſputabat de fundamento Eccleſiæ, ſed de Sacramentis Synagogæ. At
1. Cor. 3. illi obiiciunt rurſum. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quid hæc contra dignitatem D. Petri? Non hæc dicuntur contra Petrum Apoſtolorum principem, ſed contra Hæreticos, qui ſub prætextu nominis Chriſti ſeducebant pios ad Satanam. Paulus hoc *in loco* loquitur de Fundamento uno, atqui in Apocalypſi legimus duodecim fundamenta Eccleſiæ, & in eis nomina duodecim Apoſtolorũ
Apo. 21. ſcripta. Sed iam forſan quæras quid ego de hac re ſentiam? Contra communem Eccleſiæ ſententiam non auſim hiſcere. Iam ſunt, qui dicant Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam, rurſum, qui ſuper Petri confeſſionem: nec deſunt, qui dicant illam ſuper Chriſtum ædificatam. Ego nullorum ſententiam reiicio, quoniam omnes illorum ſententiæ, ſi rite intelliguntur, nihil habent incommodi. Atqui *in* uocabulo Fundamenti uereor ne lateat uis totiꝰ negotij, quã nõ omnes pariter intelligunt. Si fundamentum *intelligis,*

Vide Cyrill. de trini. lib. 4. non longe à principio.

Fũdamenti nomine quid intelligendum

telligis, in quo consistat, & firmetur Ecclesia, hoc est quod Ecclesiam, ne perire possit, conseruet: certe hoc Dei potentiæ, non humanarum uirium fuerit: nec ea est Petri uirtus, ut ipsam ab inferorum portis defendere queat. Sic igitur Christum dicimus & fundamentum, & firmamentum Ecclesiæ esse, Si autem fundamenti nomine intelligis hoc, à quo inceperit Ecclesia, rursum uides hoc in Petrum nequaq̃ competere: ubi enim fuerit Ecclesia ante Petrum natum? Quid igitur tandem? Si simpliciter rem explicare uoluerimus, is uidetur mihi uerus, ac genuinus uerborũ Domini sensus. Primo dicit Dominus Simoni, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Secundo eidem dicit, Dabo tibi claues regni cælorum. Tertio dicit. Quocumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis &c. Hijs adde, quod apud Iohannem dicit Petro, Simon Ioannis diligis me? Pasce oues meas. Hæc si inuicem conferuntur, nihil aliud significabunt, nisi Petro uniuersalis Ecclesiæ curam esse commissam: ut quicunq̃ à fide Petri, siue a pastore Petro defecerit, saluus fieri nequeat. Et ideo rogat Christus pro Petro ne deficiat fides ipsius, Ergo qui uoluerit probare fidem, & religionem suam sana ne sit, an impia, conferat ad fidem summi pastoris, deinde iudicet. Si inuenerit fidem suam non differre ab ea, quæ à D. Petro cæpta est, & ad nos usque sic per successionem deriuata: certo sciat se

Sic uidetur Chrysostomus intelligere dum dicit, Ecclesiæ futurũ patrorem cõstituit.

uere & recte credere. Sin diuersum inuenerit, & perire non uoluerit, statim ad Cathedram Petri se referat, & tũc bene habebit. Sic ueteres patres, si quando Hæreses concuterent Ecclesiam, statim prouocabant ad Petri sedem, ad Romanam Ecclesiam, quod nemo negare potest, nisi qui impudenter mentiri uolet. Sic Tertullia. sic Irenæus, sic Hierony. sic Augustinus, & reliqui probaturi suam fidem, ac religionem uerã esse, ascendebant per summos Pontifices, incipientes à suæ ætatis Pontifice Romano, numerabant usq; ad D. Petrum summum ecclesiæ pastorẽ. Et hoc in Ecclesia Christi semper ualidiss. fuit testimonium sanę fidei. Sic itaq; dicimus super Petrum ædificatã ecclesiam, ut quisquis diuersam fidem ab illius fide prædicauerit, siue cenuerit, non Christianus, sed Hæreticus merito censeri debeat. Hęc semel placuit fusius explicare, ut syncerius intelligatur hoc, de quo tam anxie concertatur. Referant Iudęi suam fidem ad Abraham: nos referimus fidem nostram ad D. Petrum. Et sicut sani Iudęi nõ reñciunt Deum patrem dicentes; Patrẽ habemus Abraham, ita & nos non reñcimus Christũ dicentes, patrem, siue summum pastorem habemus Petrum. Abraham pater Iudeorum uocatur, quia illius debebant fidem sequi. Petrum nos dicimus pastorẽ nostrum, qui ab illius fide, & ab ecclesia, quæ illi peculiariter commissa est, recedere nec uolumus, nec debemus. Sed quid opus est anxie dię gladiari,

Vide Irenæum lib. 3. cap. 3. Augustinum contra. Epistolã Manich. cap. 4.

gladiari, in quo fundata sit, uel ædificetur Ecclesia, quum constet illam sic fundatam, ut perpetuo sit mansura. Sic enim sequitur in Euangelio. **Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.** Duo hic prædicuntur, tum quod Ecclesia sit passura multas, & arduas persecutiones (hæ enim inferorum portarum nomine intelligũtur) tum quod non sit unquam ruitura. Quid ergo opus fuerit longiori disputatione? Duo, inq̃, prædicunt de Ecclesia futura. Alterum impletur indies, scilicet ꝓpetua persecutio, tã à Iudæis, & Ethnicis, quam etiã à perfidis, & præfractis Hęreticis. De altero, scilicet quod semper sit de hostib9 suis triumphatura, nihil dubitamus, quum uideamus ipsam de tã multis hostib9 iã olim triumphasse. Vbi iã Ebion, Valentinus, Montanus, Apollinaris, Nestorius, Arius, Photius, Donatus, Pelagius, & alij innumeri hostes Ecclesiæ? Sæpe quidem oppugnauerunt Ecclesiã, sed huic præualere nunquam potuerunt. Fuerũt Donatistę, qui mouerunt bellum Baptismo, sed perierunt. Fuerunt Euchetæ, qui asserebant Eucharistiam neq̃ prodesse, neq̃ obesse, sed perierunt. Fuerũt Aetiani, qui dicebant homini Christiano, solam fidem sufficere ad salutem, sed perierunt. Fuerunt Aeriani, qui negabant sacrificium pro defunctis, & stata Ecclesiæ ieiunia, sed perierunt. Fuerũt Iouiniani, qui calumniabant & cælibatum, & abstinentiã, sed perierunt. Fuerũt

Ecclesiæ hostes.

Psal. 128.

Vigilantiani, qui mouebant bellū Diuis mortuis: Sed perierunt. Fuerunt Petrobrusiani hæretici ante Quadringentos annos, qui negabant ueritatē corporis Christi in Eucharistia, qui negabant sacrificiū Missæ, qui cōtradicebāt horis canonicis, qui demoliebantur Christi, & Diuorum imagines: sed perierunt, nec potuerunt prævalere contra Ecclesiam. Neque enim frustra dixerat Christus. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam. Hæc domini uerba non sunt inania, nō sunt temere dicta, sed firma sunt, & perpetuo sic manſura. Impugnabitur quidem Ecclesia, non tamen uinci poterit. Tempestates suscipit Ecclesia, sed non demergitur, iacula in eam mittūtur, sed nō perforatur. Considera Tyrannos, reges, gladios acutos, bestiarum dentes mortem minantes: sed quid illi proficere potuerunt contra Ecclesiam? Cogita quid superioris ætatis pestilentiss. hæreses potuerint, & non fuerit difficile iudicare, quid uel sperandum, uel timendum nostri seculi hæreticis. Peribunt, hoc certiss. est ut autem cito pereant, non parū in nobis situm est. Tractemus nos sancte, quæ sancta sunt, ueneremur nos humiliatis cordibus ad Dominum deum, emendemus nos uitam in melius, & iam actum erit de hæreticis. Hæresis pœna peccati est, tollamus itaque peccatum, & iam ablata fuerit etiam hæresis. Iam quę de clauibus Petro

datis

datis in Euangelio sequuntur, quoniã absolui à nobis non possunt, etiam de illis nullam disputationem in hoc loco instituemus. Qui has claues sibi datas esse dicunt (& recte dicunt) utuntur illis in ædificationem Ecclesiæ, & nemo audebit illas ab eis aufferre. Det Dominus ut ab omnibus erroribus abstineamus, & mores nostros in melius reformemus, ut clauibus regni cælestis ab omnibus peccatis absoluti, æternum uiuamus in cælestibus cum Christo Iesu Domino nostro, cui laus, & gloria in sæculorum secula. Amen.

IN FESTO VISITATIONIS Mariæ. Luc. 1.

IN illo tempore Exurgens Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elizabeth,

exultauit infans in utero eius. Et re-
pleta est spiritu sancto Elizabeth, &
exclamauit uoce magna, & dixit: Be-
nedicta tu inter mulieres, & benedi-
ctus fructus uentris tui. Et unde hoc
mihi, ut ueniat mater domini mei ad
me? Ecce enim, ut facta est uox salua
tionis tuæ in auribus meis, exultauit
in gaudio infans in utero meo. Et
beata, quæ credidisti, quoniã perfici-
entur ea, quæ dicta sunt tibi à domi-
no. Et ait Maria: Magnificat anima
mea dominum. Et exultauit spiritus
meus in Deo salutari meo. Quia re-
spexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce
emẽ ex hoc beatam me dicent omnes
generationes. Quia fecit mihi ma-
gna, qui potens est, & sanctũ nomen
eius. Et misericordia eius à progenie
in progenies, timentibus eum. Fecit
potẽtiam in brachio suo, dispersit su-

perbos

perbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

EXPOSITIO.

BEnedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus uentris tui. Quia respexit Dominus humilitatem Ancillæ suæ ait Deipara uirgo Maria, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Merito itaq; & nos Christiani illam beatã esse dicemus, atq; laudes ipsius ex corde celebrabimus. Quomodo enim nõ laudaremus eam quam scimus non solum à pijs hominib9 sed etiã ab angelis miris laudib9 celebratã, Angelus Gabriel ad eam ingrediens, his uer-

Luc. 1. his uerbis affatur, ac salutat, Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Sic postea in hodierno Euāgelio S. Elizabeth, Benedicta tu inter mulieres, inquit, ad Mariam
Luc. 11. gloriosam uirginē, & benedictus fructus uēntris tui. Accedat Mulier illa ex turba, ut in ore duorum, uel trium testium stet omne uerbum. Beatus uenter, qui te portauit, inquiebat ad Christum, & ubera, quæ suxisti: Sic ab Angelo laudatur antequam filium Dei cōciperet, laudatur ab Elizabeth post conceptum. Laudatur à plebeia Muliere post partum. Laudatur ab uniuersa Ecclesia, postq̄ est ad cælos translata. Dicuntur & aliæ mulieres in scripturis benedictæ, hoc est à Deo magnis donis, & gratijs donatæ; sed eas omnes excellit Diua nostra Deipara. De
Iud. 5. muliere Iahel, quæ Sisaram capitaneum, Regis
Iudith 13 Chanaā interfecit, canitur. Benedicta inter mu-
Iudith. 15 lieres Iahel. Sic ad Iudith dicit, Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso prę omnibus mulieribus super terram. Et rursum ad eandem loquitur Ioachim summus sacerdos, Benedicta eris in æternum: Magnifica quidem sunt hęc nec cupimus quenq̄ suis priuare honoribus: sed tamen res ipsa clamat, benedictiones, & congratulationes illas magis conuenire in Deiparam uirginem, quam in illas: Et tanto magis, quāto magis ista præcellit illas. Habeat maritata Iahel gloriam suam ob interfectum Sisaram. Habeat uidua Iudith laudē suam ob interfectum impiū

crudeli

crudelem, & superbum Holofernẽ. Sed multo maiori gloria digna æstimãda Deipara Maria, ut quæ maioribus donata fuerit donis, & etiam maiorem nobis adtulit utilitatem. Non interfecit quenq; hominum, sed genuit Deum. Non interfecit Ethnicum aliquem bellatorem, sed genuit mundi saluatorem. Non tulit spoliũ à deictis hominibus Tyrannis: sed multũ molestiæ intulit infernalibus Dæmonijs. Hæc est enim mulier illa, cuius semen caput Antiqui serpentis contriuit. Dixerat olim Dominus ad ser- Gene. 3.
pentẽ in paradiso qui protoplastes nostros deceperat, Inimicitias ponam inter te, et mulierem & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Confer tu hic Sisaram, uel Holofernẽ cum serpente infernali, dein Iahelem, uel Iuditham cũ Deipara uirgine, & inuenies, in quã magis competant uerba illa. Benedicta tu inter mulieres. De fructu uẽtris, hoc est, de domino nostro Iesu Christo nullã hic instituimus collationẽ. Quod si penitus intelligere uoles negotium hoc, quod agimus, considera non solũ, quibus Encomijs pij semper, & ubiq; celebrauerint Deiparam, sed etiam, quã male habuerit hoc Satanã. Maria em perpetuo habuit suos cultores, & Satanas perpetuos suos contra Mariam defensores. Quis enim nõ nouit, quã miris artibus, fraudibus, & machinamentis conatus fuerit obscurare famã illibatam purissimæ uirginis? Multos enim excitauit

citauit Hęreticos, qui Mariam oppugnarent, si nō in corpore, saltē in fama, omnibus modis populo persuadere conantes, Mariam non esse eā, quā nos prædicamus Deiparam uirginem ante partū, in partu, post partum. Cherinthus, & ali, qui prędicabant Christum ex Ioseph semine esse natū, certe derogabāt uirginitati purissimę, ac sanctissimæ uirginis, quæ nō de Ioseph semine, sed de spiritu sancto concepit, Iam Valentinus, & alij prædicabant Christū nihil omnino ex Maria susceptisse: sed errarūt omniū pessime. Hijs succedunt Antidicomarianitę, qui ausi fuerunt dicere de Maria, quod postquam genuit Christum, copulata fuerit Ioseph: hoc est, uirgo quidem conceperit, sed post partum uirgo non permanserit. Dicuntur aūt Antidicomarianitę, hoc est aduersarij Marię uelut inimicitias aduersus Mariam habentes, & gloriam illius extenuare uolentes, inuidia quadā, et errore moti. Horū hęresim postea secutus est, & adauxit pestilētiss. hęreticus Heluidius, dicens eos, qui in Euangelio dicuntur fratres Domini, uere, & natura fratres Domini fuisse. Contra hunc fortissime scripsit Sanctiss. Hieronymus. Hijs addam nō meliorem Hæreticum Nestorium, quem nihil magis uexabat, & cruciabat, quā quod nos Mariā dignamur appellatione Deiparæ: uolens eam esse Matrem hominis, sed non matrem Dei, quasi non Deus, & homo unus sit Christus. Atqui Christus nō factus est homo præter Deum (sic

Cherītus.

Valentinus.

Antidicomarianite

Heluidius.

Nestorius

Cap. 5.

legimus

legimus in Ecclesiasticis dogmatibus) uel Christus cum Deo, sicut blasphemat Nestorius, sed homo in Deo, & Deus in homine ujde quam uarijs, ac miris modis conatus fuerit impedire Satanas, quo minus uerificaretur illud uirginis Deipare, Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Satan mauult eam maledici, & hoc in contemptum eius, quẽ illa genuit. Nos autem eam uolumus, & cupimus benedici, & hoc in honorem eius, quem nobis genuit. Enumerauimus antiqui Dracones ueteres Sibilos, quos tamen, heu dolor, nostro seculo (quod feracissimum est hæresium) rursum resuscitatos esse uidemus, & dolemus. Hijs adde, quod quidam nostro seculo ueteres suos patres hæreticos malicia superare conantes illis nouas Hæreses addere non dubitant, contemptius de illa loquentes, quam de fumosa aliqua coqua. Nihil iam dicam de illis, qui ad conspectum Imaginis Veneris, tantum non præ gaudio saltant, ad imaginem uero uirginis expuunt. Nihil de eis, qui festa D. uirginis per Ecclesiam hactenus celebrari solita per cõtemptum, & impietatem aboleuerunt licet de hoc nihil certi apud eos fiat, dum hic festos dies celebrat, alter calumniatur. Nondum etiam dixi de illis, qui intercessionem illius pro nobis impietatis accusant, atq; abominãtur, O crudeles, & præpostere Christianos, qui nolũt Christi honorare

norare matrem, nec quicq̃ boni ab illa sperare. Vtinam probe expenderent, quam male audierint semper apud Eccleſiã Chriſti, qui huius matrem inſectati ſunt. Non ſequitur, Maria nõ prædicauit ſua merita, ſuas dignitates, uocauit ſe humilem domini Ancillam, ergo maioris faciẽda non eſt. Vocant ſe cæſares, & reges ſubinde ſeruos noſtros, ergo nihil honorificentius de illis ſentiemus? Vocat ſe glorioſiſſ. uirgo, humilem ancillã domini, necq̃ tamẽ peccauit Elizabetha inquiens, unde hoc mihi, ut ueniat Mater domini mei ad me. Et quæ Angelo Gabrieli dixerat, Ecce Ancilla domini, eadem dixit, quod iam ſæpe mel, atq̃ iterum recenſuimus, Beatam me dicẽt omnes generationes. Certe meo iudicio præſtat in cultu Diuorũ aliquantulum eſſe ſuperſtitioſum, quam impium. Et hoc certũ eſt, quod Eccleſia omnem cultum B. uirginis, & Diuorum inſtituit præcipue ob honorem illius, cuius gratia ſancti ſunt, quicquid ſunt. Vereor pauci ſint, qui conatum Satanæ hac in re penitius intelligant. Non ſatis eſt ſcilicet nos eſſe impios, niſi etiã calũniemur pios: Quos deberemus humiliter imitari, hos proterue ſolemus calũniari. Et hæc quidem hactenus. Iam ſoles mihi obijcere abuſus & populi ſuperſtitionem. Hanc ego non ſim probare. Et magis placent mihi, qui Mariæ humilitatem ſectantur, quam, qui illi cereos offerunt. Nouí prophetę, dum ſiniſtre, et imprudenter aggreſſi ſunt repurgare cultum Diuorum,

Obſerua.

Obſerua.

aboleue-

abóleuerunt omnino etiam cultū dei. Culpimus: & ipsi emendari abusus, sed alia modestia, quā hactenus factum est ab aduersarijs, sed sic inq̄, ut substantia ipsa salua sit. Addam & hoc. Dū Ecclesia uult, ut in festis diuorum, aut in horum uigilijs ieiunemus, precemur, diligentius uerbū dei audiamus, sat s arguit, quem cultum Diuorum ipsa maxime probet. Hoc quū noui Prophetæ intelligere uel non possent, uel nollēt, uocise abātur. Quid opus est, ut in honorem diuorū ieiunes? Quid opus, aut quæ stultitia potius in honorē diuorum tot murmurare precationes? Hinc ergo præposterus diuorū cultus non diminutus, sed auctus est. Hæc forsan prolixiora sunt, quā multi uellent, sed nō superflua. Iam sub finem huius contionis, ex hodierno Euangelio nōnulla moralia eruemus, ut sit quo ædificentur simpliciores. Primo igitur hic meminerimus Mariā uenisse congratulatū ad Elizabethā, hoc est maiorē ad minorem, matrē domini dei ad matrē hominis. Vnde hoc mihi, inquiebat Elizabeth, ut mater domini mei ueniat ad me? Quid ergo hic aliud discimus, nisi quod Ecclesiasticus scribit. Quādo magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Necessariam hanc puto doctrinam in tanta huius sæculi superbia, & inuidentia, qua ubiq; alter alterum præ se contēnit, alter alteri inuidet. Sed non oportebat ita Ecclē. 3.

fieri. Si maiorem præ alijs accepisti gratiam, noli inde superbire, sed cogita, quod Christus in Euangelio dicit. Cui multum commissum est, multum auferetur ab eo. Vide hic Exemplum Mariæ deiparæ: simul atque audit cognatam suam Elizabetham esse grauidam, non cogitat apud se, quod multi ex nostris solēt. Quid? Ego ne illi? Ego tantæ æstimationis, tantillo inferiorem? Non cogitauit. Ego ne mater Dei, super omnes mulieres benedicta, tantillum itineris conficiam in gratiam mulieris uetulæ? Grauidæ quidem inseruiendum est, sed & ego iam concepi. Aequius est, ut illa ad me, quam ego ad illam concedam. Quod si mea eget opera, age mittat nuncium, &, quod consultum fuerit, faciam. Hæc, & alia, quæ elati homines cogitare, & dicere solent, non cogitauit Maria, sed simul atque audiuit Elizabethæ fœlicitatem, abijt cum festinatione (nimirum uirgineo pudore à publico abhorrens) in montana, intrat in domum Zachariæ, & salutat Elizabeth. Habes ergo hic prompti, & charitatiui, ut ita loquar, obsequij euidentissimum exemplum. Habent etiam Magnates hic exemplum, quo admonentur non inuidere, sed congratulari alienæ, & maxime infimorum fœlicitati. Reperias inuidum, & stolide gloriosum Thrasonem, qui nulla re magis offenditur, atque si quando uidet alium sibi uel æquari, uel præferri. Et hoc ambitionis

&

& inuidentiæ uenenum, aliquando in Cor hominis tam occulte serpit, ut hominem inficiat antequam ipse rem intelligat. Hoc, inquiunt, quod me adtinet, nihil curarem: sed quoniam hæc officio, & ordini meo debentur, non possum nec debeo negligere. Ipsi auditores mei, hic intelligunt quid uelim, qui in comitijs aliquando his rebus friuolis meliorem temporis partem consumere coguntur. Sed post Mariæ exemplum, non negligemus Elizabetham, quæ & ipsa humilitatis nos admonet. Et unde hoc mihi, ut ueniat Mater Domini mei ad me? Vides omnino se indignam iudicat, quæ à Matre Domini uisitetur, quæ tam celebrem hospitem in ædes suas accipiat. Pulchra sunt hæc, si quis hic diligens rerum æstimator fuerit. Quæ non cogitauerat MARIA, hæc probe expendit Elizabeth. MARIA suæ dignitatis oblita indignitatem Elizabethæ non cogitat. Elizabeth propriæ indignitatis memor dignitatem MARIAE dissimulare non nouit. Et sic quidem oportet fieri. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Sed hæc hactenus. Est iam & aliud in hac historia obseruandum, uidelicet quid ex sanctissimo hoc conuentu contigerit. Elizabeth impletur spiritu sancto, exultat infans in utero magnifica laude celebrat Maria dñm. Pro. 27.

Vbi tales personæ conueniunt, ubi tales habẽtur confabulationes, nemo non inde ædificatur amplius dicam, & uolo ut diligenter, quod dico, æstimet. Personę sunt magnis Dei gratijs, & donis donatę, prętera nihil de semetipsis magnifice sentiunt, alteri alteros non contemnunt, deinde non tractant res prophanas, & friuolas, sed pias, & sanctas. Postremo in hoc conueniunt ut alter alteri inseruiat, non ut alter alteri dominetur. An ne putas egregium exemplum esse, quomodo præsens concilium, quod expectamus, & desideramus institui debeat, quales homines in illud mittendi, quid item missis cogitandum. Sed hæc uel paucissimis attigisse sufficerit. Sub finem non possum silentio prætereo rire, quod maxime necessarium puto uidelicet ut Muliebris sexus hic uideat, quæ honestas matronas, & uirgines deceant, qui mores, quales conuentus, quales confabulationes, quales item contiones. Non opus est, ut singula prolixiori oratione deduçam: qui pietatis amans existit, sola & simplici admonitione sic mouetur, ut acriori admonitione opus non habeat. Det dominus deus, ut matrem filij sui domini nostri Iesu Christi dignis laudibus celebremus, humilitatis eius uestigia imitemur, & proximis nostris, cuiuscunque tandem sint dignitatis, ex animo seruiamus. Sic enim fiet ut non soli Mariæ, sed & Christo ipsi, & omni cœlesti exercitui placeamus, qui nos expectant

ctant, ut, absoluta huius uitæ periodo, ad illos etiam perueniamus, præstante domino nostro Iesu Christo, cui laus, & gloria, in seculorum secula. Amen.

DOMINICA V. POST Trinitatis, Luc. 5.



IN illo tempore Cum turbę irruerent in dominum Iesum, ut audirent uerbum Dei, & ipse stabat sec⁹ stagnũ Genesareth, & uidit duas naues, stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascẽdens autẽ in unam nauim, quæ erat Symonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Symonem: Duc in altũ, & laxate retia uestra in capturam. Et respondens Symon dixit illi: Præce-

ptor per totam noctem laborantes nihil cæpimus, in uerbo autem tuo, laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, ut uenirent, et adiuuarent eos. Et uenerunt, & impleuerunt ambas nauiculas ita, ut pene mergerentur. Quod cum uideret Symon Petrus, procidit ad genua Ieſu dicens: Exi à me domine, quia homo peccator ſum, ſtupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum, et Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Symonis. Et ait ad Symonem Ieſus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Et ſubductis ad terrã nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

EXPO

EXPOSITIO.

IRruebant turbæ in Iesum, ut audirent uerbum Dei &c. Lucæ. 5. capite. Quantumuis populare omnino uideatur hoc Euangelium, tamen necessarijs, & pulcherrimis doctrinis est refertissimum. Habemus enim Christum, quem imittemur, habemus Apostolos, habemus ipsam turbam. Sed ne uani uideantur pollicitatores, age rursum Euangelium hoc ab initio ad finem usque expendamus. Cum turbæ irruerent in Iesum, inquit, ut audirent uerbum Dei. An non putas singula hæc uerba suam habere energiam? Sed tu negligens auditor, hæc nō animaduertis, nisi ego tibi rem omnē magis adperiam. Non dicit Lucas, quod turbæ ad Iesum accesserint, sed quod in Iesum irruerint: quo uerbo magnam illorum diligentiam audiendi uerbum significare uoluit. Magno enim impetu concurrebant ad Iesum, non animi gratia, non sicut Capernaitæ, quia manducassent de panibus, hoc est quia gratis eos cibasset dominus: sed ut audirent uerbum Dei, cum Propheta utique dicentes. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Ideo dilexi testimonia tua super aurum, & topazion. Nos certe non sic irruimus ad Iesum,

Turbæ irruunt.

Ioan. 6.

Psal. 118

Vide Chryso. Hom. 6. in Gen.

non tanto impetu ad conciones currimus: sed omnino diuersum facimus. Ad conciones uidentur lentissime repere, sed ad finem contionis (si modo tam diu sustinemus) tantum non euolamus, & quisque uereatur, ne extremus exeat: sicque re ipsa declaramus, quod cum magno tedio contioni sacræ adsumus. Rursum dico Turbæ irruunt ad Iesum, hoc est ad saluatorem: nos uero ab ijs, qui nos ad salutem promouere possent, fugimus, & ad corruptores nostros festinanter currimus. Turbæ accedunt, ut audiant uerbum Dei, ideoq; beati sunt. Beati enim, inquit alibi Christus, qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Nos uero, ut plurimum, non audimus uerbum Dei, sed apud fideles, & Catholicos doctores uerbum hominis: apud Hæreticos uerbum diaboli. Sed rogas, quomodo apud Catholicos Doctores non Dei, sed hominis uerbum audiatur? Dicam. Hij tandem uere audiunt uerbum Dei, quibus persuasum est, esse uerbum Dei, quod audiunt à quocunq; tandem audiant. Exemplo, quid uelim, exponam. Si aliquem tibi iudicas bene uelle, quicquid agit, ac facit, tibi probatur, non quidem quod ipse sic faciat, sed quod tu sic iudicas. Idem de inimico homine sentio. Iam ad nostra. Si primum certo tibi persuaseris me esse Dei ministrum, & uerba Dei loqui, tum uere audies uerbum Dei, nec aliter accipis, ac si Deum ipsum tibi loquentem audires.

Irruunt ad Iesum.

Luc. 11.

Audire uerbum Dei.

Tales

Tales auditores erāt Theſſalonicenſes, ad quos Paulus ſcribit, Ideo gratias agimus Deo, inquiens, quoniam cum accepiſſetis à nobis uerbum auditus Dei, accepiſtis illud non, ut uerbum hominum, ſed (ſicut uere eſt) uerbum dei, qui operatur in uobis, qui credidiſtis. Hoc eſt, Non tanq̄ homines audientes, cū nos audieritis, affecti eſtis, ſed non aliter attendiſtis, quam ſi deus ipſe adhortatus uos fuiſſet. Et ad Galatas ſcribit. Me non ſpreuiſtis, neq̄ reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Nos non ita, ſed, ſicut etiam ex uerbis noſtris æſtimari poteſt, omnino contrario modo agimus. Ingreſſuri enim contiones dicimus, uadā, & audiā, quid loquatur ille Monachus, ille Plebanus. Non ſicut ille. Audiam quid loquatur in me Dominus deus meus, quoniam loquetur pacem ad plebem ſuam. Et alius. In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccē tibi. Vtinā talis affectus eſſet in nobis audientibus uerbum Dei: & non fruſtra haberentur conciones. Qui ex Deo eſt, ait Chriſtus, uerbum dei audit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Hæc ſi expenderemus, maiori ſtudio accederemus ſ. Conciones, ſed uide quātum peccemus. Vnus nunq̄, aut raro ingreditur cōciones: corpori ſaginando totus incumbit, animam uero porro negligit. Animæ, inq̄, nullam habemus curam, uentrem autem inpinguamus, atq̄ propter hoc etiā corpori multū nocemus. Etenim

1. Theſ. 2

Gal. 4.

Pſal. 84.

Pſal. 118

Ioan. 8.

corpori ob uoracitatem, & immoderantiã multa paramus, animam uero fame perire sinimus: tametsi potentior anima sit, quam corpus, &, ablata illa, hoc mortuum relinquatur. Vnus, inquam, nunquam, aut raro contiones adit: alius uero, non bono animo, nec eo, quo decet affectu accedit. Tertius forte diligenter accedit, diligenter auscultat, sed audita non studet implere. Et quæ nam inde utilitas? An tu contentus es, si seruus tuus iussa tua audiuerit, etiam si illa adimplere noluerit? Non puto. Seruus sciens uoluntatem Domini sui, & non faciens, plagis uapulabit multis. Ergo ô mihi charissimi fratres, recte imitemur nunc turbæ huius Iudaicæ exemplum, & magno studio, pioq; affectu sacras adeamus contiones, atq; bene audita diligenter exequi studeamus: simul enim, atq; animam uerbo dei pauerimus, corpus nostrum à Deo nequaquam negligetur, hoc quod etiam in præsentis Euangelij lectione audiemus. Vides iam quam multorum uerborum occasionem dederit initium huius Euangelij? Quid igitur ad sequentia dicemus? Sequitur.

Luc. 12.

Et ipse stabat secus stagnum Genezareth. Putas ne & hic aliquid mysterij latere? Si meminerimus aquarum nomine in scripturis aliquando designari tribulationes: sicut in Psalmo 68. Intrauerunt aquæ usq; ad animam

Psal. 68.

mam meam. Si, inquam, aquarum nomine intelligimus tribulationes, persecutiones, & alias aduersitates, facile intelligimus quid designet CHRISTVM, hoc est quemlibet pium concionatorem stare secus stagnum, prope Mare, prope aquam, hoc est periculo proximum. Certé periculo plenum est munus docendi Euangelij. Væ mihi, ait alibi Paulus, si non Euangelizauero. Et rursum timet, ne ipse, dum alijs concionatur, reprobus efficiatur. Periculosè agimus, siue taceamus, siue loquamur. Si uel impiè loquimur, uel imprudenter tacemus, Deum offendimus. Si quæ oportet loquimur, maximæ parti inuisi reddimur. Et, si unquam fuit periculosum concionatorem agere, certe hoc nostro sæculo periculosissimum est, ubi auditores iam magis sunt temerarij iudices, quam obedientes discipuli. Sed hæc sufficiant, ut ueniamus ad alia. Sequitur IESVM uidisse duas Naues, quas non absurde intelligimus significare Synagogam Iudæorum, & Ecclesiam Christianorum, hæc per Nauim Petri significatur, sicut in hanc interpretationem uniuersa consentit Ecclesia. Sed non possum silentio præterire, quod ibi legimus (licet contra me, & mei similes sit). **Piscatores autem descenderant, & lauabant retia sua.**

1. Cor. 9. *Ibidem.*

Duæ Naues.

Piscatores sunt Doctores: descendere est humiliari. Retia uero, doctrinam denotant.

Piscatores.

Vide

Videiam quid ex his conficiatur, Quod Doctores, siue pastores piscatorum nomine appellentur, etiam uetus scriptura testatur, ubi Dominus per Prophetam dicit, Ecce ego mittã piscatores multos, & piscabuntur eos. Iam primum necesse est, ut descendant, hoc est humilentur, & infirmitatis suæ nunc̃ obliuiscantur, non plus sapiant, quam necesse est sapere: non altum sapiant, Sed timeant. Non plus fidant proprio sensui, quam communi Ecclesiæ consensui. Deinde si retia quid impuri habent, hoc est si Doctrinæ aliquid admixtum est, curet, ut lauetur. Multi retia Ecclesiæ defędare solent uel prauis opinionibus, uel impuris moribus: hij si uolunt pisces ex huius sæculi periculosissimo Mari piscari, necesse est ut antea Retia diligenter lauent, hoc est errores dogmatum abiiciant, & uitæ malam conuersationem in meliorem commutent. Iam sequitur Christũ ascendisse in Nauem Petri. Nauicula Petri Ecclesia catholica est, quæ à fide, & dogmatis D. Petri nunc̃ recedet: in hanc Nauim cõscendit Christus, in hac̃ manet Christus, sicut pollicitus est dicens. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. Hæc nauicula subinde quidem fluctuat, quia in turbulento huius sæculi mari natat: sed quoniam Christum supremum Nauclerum habet, nunc̃ mergetur, etiamsi omnes inferorum Portæ aduersus eam insurrexerint. Sequitur nauim à terra deducendam. Quicquid fit in Ecclesia, ideo fit, ut

Hier. 16. *Descende quid? Rom. 12.* *Lauare retia.* *Christus in Naui Petri.* *Math. 28*

ut nauem hanc à Terra deducamus, hoc est ut filij Ecclesiæ terrena contemnentes corde, & animo uersentur in cœlis, scientes se non habere hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirere, domum non manufactam sed æternam in cœlis. Iam quod sequitur Christum in hac Nauicula Petri sedisse, & turbas docuisse, diligenter expendendum est diximus in superioribus, Alteram nauim imaginem habuisse Synagogæ, Alteram uero, Petri u delicet, significare Ecclesiam. In altera prius sederat etiam Christus, qui & annunciabat uerbum suum Iacob, et iustitias suas Israeli. Iam uero ascendit in Nauim Petri, in catholicam Ecclesiam, & adhuc docet ex ea turbas. Hinc est quod D. Paulus dicit, an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi? Et quod in Paulo fecit, hoc adhuc facit in omnibus Catholicis concionatoribus, non quidem pro horum meritis, sed ad ædificationem Ecclesiæ. Nisi enim Christus ipse per spiritum suum sanctum nos doceret, inanis fieret omnis prædicatio nostra. Nec tantum docet Christus in hac Ecclesia filios suos, fratres suos, & comembra sua, sed etiam eis sacramẽta distribuit, peccata remittit, non minus pro suis solicitus, quàm caput nostrum pro reliquis nostris membris. Ministri enim Ecclesiæ tantum externum perficiunt ministerium: ipse uero Christus illis cooperatur, ne frustra operentur. Frustra autem operarentur, si non adiuuaret Christus: hoc ꝙd

Philip. 3. *2. Cor. 5.*

Christus perpetuo in Ecclesia.

Psal. 147

2. Cor. 13.

consequens

consequens, Textus pulchre innuit. Quum enim finita concione, Christus iubet, ut Petrus Nauim in altum ducat, & mittat Rete in capturam piscium: respondet Petrus, Præceptor per totam noctem laborantes nihil cæpimus: in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Enimuero pulcherrima sunt hæc, si probe fuerint expensa. Per totam noctem sine mandato dei laborant: ergo nihil capiunt: Deinde, dum iussu Domini rete mittunt in Mare, capiunt magnã uim piscium. Sic in omnibus negotijs nostris tam spiritualibus, quàm carnalibus, iudicandũ est. Quicquid enim incipiemus magis de nobis, quam de Christo confisi, nunq; fœliciter cedet. Hinc mos in Ecclesia obtinuit, ut ab initio concionis, communibus suffragijs postulemus dei adiutorium, quod tam concionatori, quàm auditoribus nouimus esse summè necessariũ. Hinc mos apud ueteres, & adhuc haud dubie apud aliquot bonos Christianos, ut nunq; ad laborem manuum uadant, nisi prius audito sacro, & salutato Christo. Cuperem uobis perpetuo cordi esse uerba Petri. Præceptor in uerbo tuo, hoc est quia tu sic iubes, laxabo rete. Sic quilibet homo, iuxta uocationem suam, aliquid instituturus, semper cogitet. Præceptor quoniam tu me in hoc opus uocasti, nihil de uiribus ingenij, uel corporis mei confidens, sed de tua gratia, curabo ne officio meo desim &c. Cum autem deuin

In nomine domini omnia instituẽda.

Deum sic non excluserimus, sed in adiutorium uocauerimus, tum haud dubiè res nostræ fœliciorem habebunt successum. Sed hæc hactenus: iam ad sequentia progrediemur. Cum iecissent rete in uerbo domini, concluserunt, inquit, piscium multitudinem copiosam. Non potest malum sortiri euentum, quod in nomine Domini auspicatur. Et perpetuo uerum erit, quod Christus dixit. Primũ quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Si nos primum curauerimus animas nostras spiritualibus epulis, certè Deus non negliget corpora nostra: immo plus dabit, quàm audebamus petere. Significatur autem hic mystice Ministros uerbi, si modo in nomine Domini rete faciunt, hoc est, si prædicando utilitatem, & ædificationem Ecclesiæ quæsierint, nunquam frustra concionari, sed semper habituros optimam terram, quæ semen uerbi Dei commode in se suscipiat. Fructusq; uberes proferat. Sic enim per Prophetam dicitur. Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illic ultra nõ reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me uacuum, sed faciet, quæcumq; uolui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Quod uero sequitur Rete eorum esse ruptum, iuxta historiam quidem

Matth. 6.

Esa. 55.

Rete ruptum.

quidem facit ad miraculi magnitudinem: sed iuxta Allegoriam, quã supra attigimus, designat Apostolorum doctrinam ab hæreticis dilacerari: quod & uerum sit, nisi temporis angustia nos prohiberet, ex ueterum patrum monumentis abunde docere possem. Imo non erat necessarium ex ueterum scriptis illud demõstrare, quũ huius sæculi malicia, nobis plura, quã uelimus, eius mali suppeditet exempla. Iam quod Petrus annuit reliquis suis socijs itidem non caret mysterio. Nauicula, in qua Christus sedet, ac docet, D. Petri est, & Petrus iubetur Nauim in altum ducere, & laxare retia. Verum Petrus insufficiens est rete solus extrahere, sed necesse habet, ut socios suos aduocet ex alia naui. An non tacitè significatur hic Petro quidem uniuersalis Ecclesiæ summam curam commendatam: quoniam uero uni hominiimpossibile est tãtum onus sustinere, necesse est, ut socios suos, hoc est Cardinales, Episcopos, pastores, & doctores in auxilium uocet. Nam etiamsi omnem operã suam locauerint Ecclesiæ, uix tamen sufficient ad capiendos pisces, qui in Maris huius luto delitescunt, & ab hamo uerbi dei abhorrere uidentur. Quod si senserint laborum suorum magnum fructum, non est quod sibi inde multum blandiantur, quasi suis tantum uiribus multos Christo lucrifecerint, sed agnoscant se cum Petro peccatores esse, hunc; fructum magis ascribendũ officio, & personæ. Hæc tandem nostra humilitas

Petrus non sufficit omnibus prouidere.

Imperator Imperator est, etiãsi non sufficiat omnibus præesse.

Non calcearios, & sutores, sed coapostolos &c.

tas prouocabit maiorem domini gratiam, ut de die in diem magis, ac magis proficientes post tantos labores, gaudia mereamur consequi æterna, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui laus, & gloria in æternum. Amen.

DOMINICA SEXTA post Trinitatis. Math. 5.



In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Nisi abundauerit iustitia uestra plus, quã scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha,

reus erit consilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuū.

EXPOSITIO.

Pijs, & sanctis Dei hominibus semper persuasum fuit, ad magna præmia peruenire neminem posse, nisi per magnos labores. Mundani uero homines semper maluissent ignauia sua ad tanta præmia peruenire. Hinc est, quod Pseudoprophetæ ut plurimum populo placentes, uiam compendiosiorem, & leuiorem ad uitam polliciti sint, qua de re post alteram hebdomadam, si dominus annuerit, dicemus. Quum igitur & Christus ipse hoc nomine insimularetur à Pharisæis, ac si, rejecta Mosis lege, per ocium, ac luxum polliceretur hominibus regnum cœlorum: & populus ipse iam pertesus Pharisæorum seueritatem, sperabat

sperabat mitiora à Christo: hôc præsenti Euangelio uoluit Dominus gustum quendam suæ doctrinæ populo exhibere, ac ostendere quod non uenisset soluere legem, aut prophetas, sed potius adimplere Lex per Mosen data est: hanc interpretati sunt prophetæ, & legitime Prophetas interpretati sunt scribæ, & Pharisæi, sed falso, licet uideri uolebant non tantum ueri legis interpretes, sed etiam iusti legis factores. Et erant forsan in horum numero, qui bene docebant, & male uiuebant: de quibus alibi Christus, super cathedram Mosi sederunt scribæ, & Pharisæi. Quæ dicunt facite, quæ autem faciũt, ipsi facere nolite. Deinde erant, qui faciebant, quæ recte docebant, sed non faciebant iuxta mentẽ legis, sed tantũ iuxta externam ostentationẽ, hoc est per Hypocrisim. De talibus, aut potius ad tales dicebat. Væ uobis scribæ, & Pharisæi, Hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quę foris apparẽt hominibꝰ speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorũ, & omni spurcitia, sic & uos à foris quidẽ apparetis hominibus iusti, intus aũt pleni estis Hypocrisi, & iniquitate. De his ergo pharisęis, nõ qui apertas nequitias operabãtur, sed qui speciẽ pietatis habebãt, & iuxta uulgi opinionẽ, sanctissime uiuebãt loquit. Neq; em̃ magnũ quid iniũgeret Christus nobis, si iuberet nos proteruos illos nebulones imitari Sed uideamus uerba Euãgelij. Nisi abũdauerit iustitia uestra

Mat. 5. Ioan. 1.

Math. 23

pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Iuſtitiam hic dicit omnem uirtutem, regni cœlorum nomine Eccleſiam hic intelligit, non militantem in hac uita, ſed potius triumphantem, hoc eſt uitam æternam, ac conſortium beatorum: Senſus igitur eſt, neminem ſaluandum, niſi, qui probior fuerit ſcribis, & Phariſæis. Sed quæ nam illa probitas ſcribarum, & Phariſæorum, quorum exemplum trãſcendere iubemur? Iam diximus, eorum exemplum nobis proponi, qui legem operibus quidem implebant, hoc eſt quantum homines iudicare poterant, & ſic, ut nemo hominum illos punire poſſet: ſed impletio hæc legis magis ex timore pœnæ, quam ex amore iuſtitiæ proueniebat, hoc eſt niſi timuiſſent pœnam, parum curaſſent uirtutes, & pietatem. Sed manifeſtius ex Euangelij promptuario proferemus ſcribarum, & Phariſæorum iuſtitiam: Mathæi 6. depingitur nobis egregie, quod quærimus, & hoc in tribus uirtutibus, ut ita loquar, ex quibus intelligimus quid de reliquis ſtatuendum. Cum Eleemoſynas faciunt, curant ante ſe tuba canere. Cum ieiunare uolunt, exterminant uultus ſuos, ut appareant hominibus ieiunantes. Cum orant, in angulis platearum ſtant: & hæc omnia, ut uideantur, hoc eſt magni fiant ab hominibus. Ac ſi diceret, Si ſcirent opera

Iuſtitia ſcribarũ & Pha.

Auguſti. de Ciuita. dei li. 20. cap. 9.

Mat. 6.

opera sua non uideri, & non approbari ab hominibus, non darent Eleemosynam, non ieiunarent, non orarent. Talis ergo iustitia CHRISTI non probatur. Eam enim à nobis requirit, quæ ex fraterna charitate, non quæ ex contemptu fratrum nascitur iustitia. Pharisæi non operantur bona opera, ut fratribus prosint: sed ut fratribus proferantur. Quid igitur nos ad hæc? An præferenda est iustitia nostra Pharisæorum, & scribarum iustitiæ? An excellimus eos? Excellimus quidem illos non probitate, sed malitia. Dura forsan uobis hæc uidentur: & dura quidem sunt, sed non minus uera. Quomodo hoc? inquis. Dicam, & aperte, ac libere dicam: nec aliquis poterit nobis contradicere. Scribæ, & PHARISAEI quærebant uanam gloriam ex operibus pietatis: nos autem eandem quærimus ex malitia. Illi elargiendo sua amabiebant gloriam apud homines: nos inuadendo aliena uidemur nobis Euangeliciſſimi. Non moror hic eos, qui dicunt se non rapere, sed recuperare. Illi ieiunabant, ut laudem aucuparentur humanam: nos uero ex uoracitate, & ebrietate, etiam magnifica nomina uenamur. Illi orando, nos blasphemando laudem quærimus. Vides quantum profecerimus, uides in quo excellimus scribas & PHARISAEOS? Et quis hæc negare potest. Magnam partem huius malitiæ non

immerito acceptum ferimus. Nouis illis prophetis, qui profligaturi, ut ipsi dicunt, Hypocrisim, & fiduciam in bona opera introduxerunt apertam malitiam, & pessimam omnium rerum licentiam. Tu autem hic uide, quibus gradibus nos seduxerit Satanas à studio bonorum operum. Non audebat statim ab initio bona piorum opera reijcere. Primum ergo sub prætextu pietatis, & boni zeli, inuectus est contra bona opera, quæ non ex animo syncero, sed per Hypocrysim fiebant. Secundo docebat operandum quidem probe, sed nō esse fiendum operibus: hoc est nos nullā debere bonorum operum sperare mercedem, neq; à Deo, neq; ab hominibus. Tertio adiunxerunt, nullū esse bonum opus, nisi credere: nullum esse peccatum, nisi nolle credere: solam fidem saluare, solā incredulitatem nos condēnare. Quarto adiecit, nos sola fide iustificari: bona opera nullam habere locum in negotio iustificationis & remissionis peccatorum. Quum igitur tam præclara scilicet dicta sunt de bonis operibus, non mirū est nos præcellere scribas, & Pharisæos non pietate, sed malicia. Non igitur iam relinquitur locus hodierno Euangelio, in quo nobis à Christo dicitur. Nisi abundauerit iustitia uestra &c. Nam nulla iustitia in nobis est. Sed potius nobis dicendum. Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Et illud. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis

Vnde cōtemptus bonorum operum.

Psal. 31. Luc. 13.

bitis. Sed quid ego hæc multis? Natura ipsa nostri corporis, item statura nos admonet, ut cõtemptis rebus terrenis, sola cœlestia meditemur. Salomon nos mittit ad formicam, ut discamus non ociari, Hieremias mittit nos ad Insulas Cethim, hoc est ad Gentes, ut discamus in uera religione constantiam, & perseuerantiam. Esaias mittit nos ad bouem, & Asinum, ut discamus agnoscere tempus uisitationis nostræ. Ad idem pertinet, quod Hieremias dicit. Miluus in cœlo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus, non cognouit iudicium domini. Iam in Euangelio Christus proponit nobis exempla liliorum agri, & uolucrum cœli, ut discamus non nimium soliciti esse de uictu, & uestitu. Alibi alia habentur exempla, quæ iam præ multitudine enumerare neque uolumus, nec ulla necessitas est, ut faciamus. In hodierno Euangelio posuit nobis ob oculos scribas, & Pharisæos, ac iussit ut illos iustitia, & probitate nostra uincere studeamus: qua de re ad sufficientiam nos dixisse putamus. Ad sequentia igitur nos uertamus.

Pro. 6. & 20.

Hier. 2.

Esa. 1.

Hier. 8.

Math. 6.

Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Videlicet in quo res excutiatur, qua occasione aliquis aliquem occiderit. Nam homicidium differt, quum ali-

quando sit fortuitum, aliquando præmeditatum: hoc quod etiam Dominus in ueteri testamento diligenter inuestigare iussit. Distinguendum autem hic rursum est, quod alias sæpe admonuimus, Christum hoc in loco, & in similibus, non distinguere officia publica à privatis; & sic ad uniuersos pertinere in genere, quod Dominus hoc in loco dicit. Non occides. Format enim dominus hoc in loco animos priuatorum Christianorum, non præscribit officia Magistratus. Sed hanc rem apertius differemus, breuibus tamen. Antiquis dictum est, in genere scilicet omnibus Iudæis, Non occides. Hoc præcepto prohibere uoluit Dominus omnem priuatam uindictam. Et hoc, ceu diximus, ad uniuersos homines, tanquam homines dictum est. Ad Iudices uero, ac Magistratus pertinet, quod in eodem libro dicitur.

Exo. 21. Qui percusserit hominem uolens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus tradidit illum in manus eius: constituam tibi locum, in quem fugere debeat. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo auelles eum, ut moriatur. Et ibidem. Qui maledixerit patri, uel matri, morte moriatur. Vides discrimen, quomodo alia præcipiuntur Magistratibus, alia priuatis. Quod si Magistratus aliquem priuato odio occiderit, aut non seruato ordine iuris, nõ minus peccat, nec minus pœna dignus est

quam

q̃ priuatus aliquis. Ostendam hanc rem pulcherrimo, ac notatu dignissimo Exemplo. Cū aliquando Dauid persecutionem pateretur ab Absolone, & fugeret, occurrit ei Semei, lapidibus eum, & maledictis petens, ac dicens. Egredere, egredere uir sanguinum, & uir Belial. Reddit tibi Dominus uniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti Regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absolon filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam uir sanguinum es. Dixit autem Abisai seruus Dauidis. Quare maledicit hic canis morituris Domino meo Regi? Vadam, obsecro, & amputabo caput eius. Et ait Dauid. Quid mihi, & uobis est filij Saruiæ? Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animā meā: quanto magis hic filius Iemini? Dimittite eum, ut maledicat iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione. Vide obsecro patientiā mitissimi Dauidis, quam patienter fert tantas iniurias, quam prudenter cohibet famulorum iras? Quare hoc? Quia non desiderabat uindictam, & cogitabat seipsum longe grauiora cōmisisse in Deum. Dicit aliquis. Quum Dauid fuerit Rex, cur non puniri fecit statim maledicum hunc Semei? Iam respondi. Dauidem non

2. Re. 16.

Vide Augustinum de patientia. ca. 13.

quæsiuisse priuatam uindictam, sed potius, ut hominem homini, & peccatorem peccatori remisisse iniuriam. Sed postea Dauid non oblitus est se, dum hæc pateretur, fuisse Regem, nec ignorauit, quid debeatur ei, qui maledicit principi populi. Moriturus itaq; inter alia, quæ Salomoni præcipiebat, hoc quoq; adiunxit, Habes Semei apud te, qui mihi maledixit maledictione pessima, quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum, cum transirem Iordanem, & iurauí ei per Dominum dicens, Non te interficiam gladio: tu noli pati eũ innoxium, Vir autem Sapiens es, & sciet, quæ facies ei, deducesq; canos eius cum sanguine ad inferos. Iam conferamus rem ipsam. Dum Semei maledicit Dauidi, non quærit, nec patitur hic uindictam Sumi de Semei maledico. Venit deinde Semei, rogat ueniam: & hanc iureiurando pollicetur ei Dauid. Postremo moriturus Dauid, iubet filio Salomoni, ut uindictam sumat de Semei. Quomodo hæc sibi conueniunt? Probe. Nam Dauid, ut homo pius, ex animo remittit offensam. Sed Dauid, ut Rex, iubet puniri nequam illum. Hæc adduxi, ut penitius intelligeretis, quam diligenter domini præcepta distinguenda sint, & sciretis aliud esse priuatos instituere, aliud præscribere Principibus quid ipsos oporteat facere. Ergo, quod in hodierno Euangelio legimus, dictum esse Antiquis, non occides: non ad Magistratus pertinet, sed ad priuatum

2. Reg. 2.

2. Re. 19.

tum quemcq; : quemadmodum & alia, quæ sequuntur. Sequitur enim. Ego autem dico uobis, quia omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit iudicio &c.

Primo dicemus, qua ratione CHRISTVS hæc pro interpretatione legis adduxerit: deinde uerba ipsa diligentius explicemus. Compendio, quod uolo, accipite. Quando Dominus per Moysen dixit, Non occides: non tantum prohibuit manus ab homicidio, sed etiam uoluntatem occidendi hominem. Neq; enim manui tantum dictum est, Non occides: sed uniuerso homini: ad omne igitur, quod homo est, & habet, dictum est, Non occides. Occidit cor mala uoluntate, lingua maledicentia: manus pugno, & sic de reliquis. Multi autem ludæorum uidebantur sibi sanctissimi, & innocentissimi, quoniam nemini manus inferebant, etiam si corda inuidia, & malcuolentia haberent pleniſſima. Ad horum igitur falsam opinionem retundendam auspicatus est hic CHRISTVS ueram legis diuinæ interpretationem: ut ex his paucis etiam cætera dijudicare posse mus. Iam rursum suo moderamine intelligenda sunt, quę hic dicuntur. Nisi enim recte intelligãtur, uidentur multa absurda hinc promanare. Quis nostrũ est, qui nõ subinde irascitur? Pater liberis: Dominus seruis: Pędagogus discipulis: Sic subinde appellamus fratres nostros fatuos, &

& iræ nostræ signa proferimus. An igitur omnes tales rei sunt gehænnæ ignis? Non ita est. Si non intelligis uerba scriptorum, consydera exemplasanctorum. An non legimus in Euangelio Christum discipulis dicentem. O stulti, & tardi corde? An nō Paulus, Galatas suos uocat stultos, & insensatos? Quis autem tam impudēs est, ut ausit hoc nomine Christum, aut huius Apostolum alicuius criminis insimulare? Quare hoc? Quia non ex odio, sed ex nimia charitate, & bono zelo, uerba illa, quæ in speciem dura uidentur, prolata sunt. Sæpe autem diximus Deum neq; uerba, neq; facta externa curare, sed hominis internum affectum: hoc quod & homines plerumq; facere solent. Ab amico inimica uerba hilari animo; ab inimico, etiam blandissima uerba, in malam partem suscipiunt, atq; interpretantur pessimè. Memineris itaq; semper in dilectione Dei, & proximi pendere legē, & Prophetas. Et quicquid his præceptis nō repugnat, nulla ratione condemnari potest. Sententiam nostram confirmant, quę continenter sequūtur.

Lu. 11. et 24.

Gal. 3.

Math. 22

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te &c.

Vides iam quanti faciat Dominus fraternam charitatem? libenter uult fraudari suo cultu, & obsequio, modo nos inuicem amice, familiariter, ac fraternè uiuamus. Ipse Deus cum sibi ipse sufficiat,

Psal. 15.

ſufficiat, bonorum noſtrorum non eget: nemo autem eſt inter homines tam fœlix, qui non ſub inde aliena etiam ope egeat. Nec aliud mandatum nobis à Deo magis præſcriptum, aut potius inculcatum eſt, quam de dilectione proximi & Ioannes Euangeliſta in canonica ſua inquit, Si quis dixerit: Quoniam diligo Deū, & fratrem ſuum odit: mendax eſt; Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem uidet: Deum, quem non uidet, quomodo poteſt diligere? Et hoc mādatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Quid ergo ſic tumultuamur, quid ſic alter alteri inuidemus, alter alterum perſequimur? Mouemus magnas Tragedias aliquando de rebus nihili, & grauiter peccamus in charitatem Dei, & proximi. Amplius dicam. Etiamſi in cæteris rebus omnibus conueniremus, & à charitate tamen alieni eſſemus, labor noſter omnis fruſtraneus, & inanis foret. Paulus dicit. Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt. Ego uero dico. Quicquid non eſt ex charitate, peccatum eſt. Hoc cum ſciat Satan callidiſſimus, ſuadet nobis, ut circa multa alia occupemur, charitatis uero nullam rationem habeamus: hoc ſi impetrauerit à nobis, iam ſine triumphum agere, & de noſtra perditione ſuauiter cantillare poteſt. Exemplis rem aperiam. Ecce bonum opus eſt Euangelium Chriſti prædicare: quod ſi ego in aliorum odium prædico, certe mihi, quod Deus prohibeat, præſentiſſimam

1. Ioan. 4

Rom. 14.

1. Cor. 13.

tissimam cõdemnationem concilio: Bonum est emendare uitam aliorum fratrum corripere uitia: atqui si hoc ex odio fratris, & non ex charitate facis, magis peccas, q̃ ille, quem emendare laboras. Iam tu uide mores huius sæculi, & facile iudicabis, quæ, & qualia hic dicere possem. Noui Prophetæ multa moliuntur, quædã sunt bona, quædam adiaphora: quoniam uero illa omnia per contemptum, & in odium Ecclesiasticorum faciunt, nulla re excusari poterũt. Sed precemur Dominum, ut in nobis accendat ignẽ sui amoris, & flammã æternæ charitatis. Amẽ.

IN FESTO D. MARgarethæ, Mathei. 13.



IN illo tempore dixit Iesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cęlorũ thesauro abscondito in agro, quem, qui inuenit, homo abscondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersã, quæ habet, &

& emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita, abijt, & uendidit omnia, quę habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedētes elegerunt bonos in uasa, malos aūt foras miserunt. Sic erit in cō summatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittēt eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dēntium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam, domine. Ait illis, Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & uetera,

Et

Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde. Et ueniens in patriã suã, docebat eos in Synagogis eorũ, ita, ut mirarentur, & dicerent, Vnde huic sapientia hæc, & uirtutes? Nonne hic est fabri filius, Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius, Nõne omnes apud nos sunt, unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabãtur in eo, Iesus aũt dixit eis, Nõ est Propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua. Et nõ fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatẽ illorũ.

EXPOSITIO.

PRimis duabus parabolis admonuit nos Christus æquissimæ emptionis, siue liberalissimæ commutationis, qua solemus uilissimo pretio res emere pretiosissimas.

Regni

Regni cœlorum nomine subinde præsentis temporis Ecclesia dicitur: quia in hac Christus cœlorum rex regnat, ac summæ rerum præest. Ipse enim Christus in Ecclesia baptisat, prædicat, peccata condonat, & reliqua Ecclesiæ beneficia absoluit &c.

Posset quidem Ecclesiæ per thesaurum absconditum intelligi: qui electi filij Dei ut plurimum occulti, & nobis ignoti sunt. Nouit quidem Dominus, qui sunt sui: nobis autem non certum est, quid de Iuda Apostolo, quid de Magdalena peccatrice futurum.

Nos autem thesauri nomine hic uitam beatam intelligimus, quæ nos latet: quia oculus nō uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quę præparauit Deus diligentibus eum. Thesaurus hic à nemine comparare potest, nisi qui contemptis, & reiectis omnibus terrenis, unico Christo sese consecrat.

Thesaurus autem hic tantum ualet, quantum habes. Apostoli relinquunt omnia quæ habent. Vidua illa duo minuta aera mittit in gazophylacium, nec minus accipit, quam illi &c.

Vide Chrisó. Ser. 15. in Epi. ad Phili. No stis autem &c.

Tertia, & ultima Parabola docet in præsenti Ecclesia semper fore bonis malos admixtos: ideoque diligenter laborandum, & rete eijciendum, ut ex malis efficiantur boni: ex bonis uero meliores.

DOMINICA SEPTIMA post Trinitatis. Marci. 8.



IN diebus illis iterũ, cum turba multa esset cũ Iesu, nec haberent, quod manducarẽt, cõuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbã, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducẽt, et, si dimisero eos ieiunos in domũ suam, deficiẽt in uia: quidã enim ex eis de longe uenerũt. Et responderũt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos, quot panes habetis? Qui dixerũt: Septem. Et præcipit turbæ discumbere super terrã: Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ.

turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſſit apponi: Et manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas. Erant autem, qui manducauerant quaſi quatuor milia, & dimiſit eos.

EXPOSITIO.

EVangelij huius lectionē ſancti, & docti patres multipharíam interpretati ſunt, ſic tamen, ut pietati nihil repugnarent, omniaq; ad ædificationem Eccleſiæ uerterent. Diuus Auguſtinus ab initio huius Euangelij diſputat contra Eutychetā, qui unam tantum in Chriſto dogmatizare præſumit operationem. Nam in hodierno Euangelio conſideranda eſt in uno, eodemq; redemptore noſtro diſiuncta operatio diuinitatis, & humanitatis. Quod enim ſuper turbam miſeretur Dominus, ne uel inedia, uel longioris uiæ deficiat labore, nouerimus affectū eſſe, atq; compaſſionē humanæ fragilitatis. Quod autem de ſeptem panibus, et paucis piſcibus ſatiauit quatuor milia hominum, credimus diuinæ eſſe opus uirtutis,

Ser.209. Hæc Augustinus. Atqui nos Euangelij huius lectionem à principio ad calcem usque diligentius enucleare conabimur. In diebus illis, inquit, cum turba multa esset cum Iesu. Ex Mathei Euãgelio discimus, quare tam multa turba in illis diebus ad Christum confluxerit. Accesserunt, inquit, ad Iesum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerũt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita, ut turbæ mirarentur, uidentes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos uidentes, & magnificabant Deum Israel. Igitur, cum turba multa cum Iesu esset, nec haberent, quod manducarent: Quantum in turbis fuit, nihil erat, quod manducarent: quoniam ipsi sibi nequaquam cibos potuissent parare. Verum Christo dei filio non erat difficile, contra Iudæorum incredulitatem, mensam parare in deserto. Conuocatus igitur discipulis, ait Iesus. Misereor super turbam, quia ecce iam triduo manent mecum, nec habent, quod manducent. Vide domini misericordiam, qui non rogatus cogitat de subuentione Pauperum: adeoq; implet, quod olim apud propheram dixerat se facturum. Eritan tequam clament, ego exaudiã. Nihil enim minus cogitabat turba populi, quam se saturandam à Christo, & tamẽ mouetur Dominus misericor-

Math. 15

Esa. 65.

sericordia super illam, & addit eius rei rationem: ne uideatur omnium ex æquo misereri. Et misericordia eius à progenie in progenies, canit D. Deipara timentibus eum. Quas ergo ponit rationes? Prima est. Quia ecce triduo sustinēt me, ac mecum manent. Libenter mecum sunt, nec facile patiuntur se auelli à me: æquum igitur est, ut eis prouideam, qui tanto desiderio mei tenentur. O felicem turbam, quæ sic affecta est erga Christum, quæ tanto studio uerbo illius adhæret. Nos nō possumus auditioni uerbi Dei unicam integram horam collocare, sed ante finem concionis abimus, nullam uerbi dei rationem habentes, nec Deo pro audito uerbo gratias agētes, quę impudentia nostra in causa est, quod concionibus nostris tam parum fructificamus. Non sic turba, sed triduo manet apud Dñm, ut ipsius uerbo rite instituatur, et hęc prima causa est, inq̄, quare Dominus misericordia tangitur erga turbam. Secunda est, Quia nō habent, quod manducent. Etsi enim fortassis uiaticum secum sumpserint, tamen in hoc triduo consumptum est. Iam, licet animo uerbo Dei probe saginata sit, tamen necesse est, ut & corpus pascatur. Et certe prima cura debebat esse animæ, sic enim fieret, ut corpus nunc̄ negligeretur. Primum, inquit, Christus quærite Regnum dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Quod quam uerum sit, hoc præsens testabitur Euangelium. Tertiam causam sic ponit.

Et si misero eos ieiunos in domos suas, deficient in uia. Quidam enim ex eis de longe uenerunt. O miseros, & fragiles nos homines, qui sine corporali cibo non possumus per triduum incolumes sub sistere, & tamen sic inflamur, ac superbimus, ac si Dij quidam essemus. Sed ad rem. Si, inquit, dimisero eos ieiunos in domos suas, deficient in uia. Quare? Quia omne uiaticum consumptum est. Nec est, qui uictualia hoc in loco uendat, & quidam longius à proprijs ædibus absunt, quam, ut cito domum redire queant: unde, nisi subuentum illis fuerit, periculum est ne aliquid incommodi illis contingat, dum sunt in uia. Quare sic communicat Consilium cum Discipulis? Multæ possunt excogitari causæ, nos autem paucis contenti erimus. Facit enim responsum Apostolorum ad euidentiam miraculi, quum ipsi ultro fatentur, nihil ad manum esse, unde tanta turba alatur. Quemadmodum in nuptijs illis, ubi Mater Iesu dicit. Vinum non habent. Secundo, iuxta D. Chryso. Christus hic suo exemplo docet, minorum consilia non esse spernenda. Tertio docet suo exemplo Pastorum esse, ut diligenter curent oues domini, ne fame pereãt. Sed quid ad hęc Apostoli? Vnde istos, inquiunt, quis poterit hic saturare panibus in solitudine?

Christus cum discipulis communicat consiliũ.

Recte

Recte dicunt hoc Apostoli, si ad homines, & ad naturæ ordinem respicias. Sed nō debebant sic respondere, tum quod Christum Iesum Dei filiū secum habebant, tum etiā, quod paulo ante uiderāt quinq; milia hominum, exceptis mulieribus, & paruulis, quinq; panib9, & duobus piscibus à Domino cibatos. Et si sunt Iudæi, cur nō recordantur ueteris historiæ, ubi legunt, quam mirabiliter pasti sunt patres sui? Sic enim loquitur Moses in Deuteronomio ad Israelitas. Dominus dedit tibi manna, quod ignorabas tu, & patres tui: ut ostenderet tibi, quod non in solo pane uiuat homo, sed in omni uerbo, quod egreditur de ore Domini. Et rursum. Eduxit riuos de Petra durissima, & cibauit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Item Psal. 77. legimus Iudæos dicentes. Male locuti sunt de Deo, & dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit Petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, aut mensam parare populo suo? Vide cætera. Hæc inquam, si recordari fuissent (taceo exempla Helisæi, Heliæ, & Mulieris, siue uiduæ sarepta næ) non respondissent tam imprudenter. Quid porro ad hæc Christus? Non obiurgat eos duriter, docēs nos, ut Theophylact9 ait, ne morosiores, et austeriores erga idociles simꝰ. Sed qd? Quot panes habetis? Inqt. Quid opus est panib9? An nō potest Iesꝰ Chrs, dei uiuētis unigenitus

Math. 14.

Discipulorū diffidentia.

Deut. 8.

Psal. 77

Christi mansuetudo.

filius, ex nihilo creare panes? Potuisset utique ex nihilo panes facere, qui turbæ sufficerent, attamen, ne uideretur creatura non esse ex ipsius sapientia, ipsa creatura usus est in materiam miraculorum, & acceptis quinq; panibus, uti materia quadam, præclarũ istud fecit miraculum.

Contra Manichæos. Confunduntur ergo hic Manichæi (ut adnotarunt pĩ patres) dicentes quod panis, & omnes creaturæ facta sint à malo Deo. Nam si mala fuisset creatura, beatus Deus illam utiq; non multiplicasset, ut taceam interim, quod & ipse panes comedit. Sed ad rem. Rogat Dominus quot panes habeant, non quasi ignorans, nec quasi panibus egens, sed ut discipuli ipsi confitentes defectum ciborum, postea certius de miraculo testificari possent. Interrogati igitur Discipuli respondent se habere panes. Septem.

Discipulorum frugalitas. An ne septem tantum panes? Vide obsecro, frugalitatem Discipulorum Domini. Duodecim sunt Apostoli, & Septuaginta duo discipuli, & sunt in loco deserto, nec plus habent ciborum, nisi septem panes. Hæc si ad crapulam nostram cõtuleris, uidebis quanto encomio Apostoli, quanto uituperio nos digni simꝰ. Obediunt Apostoli domino dicenti. Nolite soliciti esse in crastinum. Admonendi estis etiam de eo,

Discipuli Hospitales. quod Apostoli, licet paucos panes habebant, tamen nõ grauatim largiebantur eos in cibum turbæ. Ergo sicut pauci panes frugalitatis, ita & horum ministratio hospitalitatis exemplum nobis

nobis prebet. Non dicebant, quod ille. Dabo egenti, non ut ipse egeam &c. Huc pertinet exemplum uiduæ Sareptanæ, quæ & ipsa, quod reliquum habebat farinæ, & olei uertebat in usum Eliæ, postea uero plus recepit, quam exposuerat. Dei enim liberalitatis est plura repẽdere, quam à nobis accipiat. Vnde sapiens quidam ait. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Sed hac de re alias. Sequitur in Euangelij nostri historia, Christum præcepisse turbis, ut discumberent super terram, quod & fecerunt. Mirum uero est turbam Christo hic obedijsse, ac discubuisse, cum nullos uideret cibos, neq; apud se, neque apud Christum, & huius Discipulos. Sed forsan recordabantur prioris miraculi, de quo in superioribus dictum est. 3. Reg. 13 Pro. 19.

Et accipiẽs septẽ panes, gratias agẽs, fregit, & dabat discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ.

Hæc nullam difficultatem habent, nec aliqua opus habent interpretatione. At si quis inde uellet mysticum eruere sensum, egregiam haberet occasionem. Sicut enim Christus dat panes, Apostoli accipiunt, turbis apponunt, ita & adhuc Christus in Ecclesia pastoribus communicat panem cœlestem, hoc est uerbum Dei, pastores distribuunt turbæ. Quid distribuunt Apostoli? Hoc quod à Christo acceperunt. Sic bonorum concionatorum est, non pecu-

liarem, & priuatam quandam Doctrinam populo proponere, sed illam, quam apostoli à Christo acceperunt. Neque enim panes, illi quos Christus fregit, & Turbæ per Apostolos, dedit, in totum consumpti sunt, sed satiatis turbis Apostoli sustulerunt, quod superfuerat de fragmentis, septem sportas. Ex his fragmentis hactenus ab Apostolorum temporibus pascitur Ecclesia, & bene inde saginatur. Turba illa integros panes habuit, quia Christum in sua humanitate prædicantem audiuit, & Apostolos etiam prædicantes audiuit, probe saginata est. Nos uero non minus saturamur de fragmentis, quam illi de integris panibus. Quare uocas fragmenta, inquis, Doctrinam nostram? Quia turba multa audiuit, & uidit Christum dicentem, & facientem, quæ non scripta sunt in Euangelica historia. Et Turba multa accepit ab Apostolis uiuo sermone, quæ scripta non sunt. Quæ uero scripta sunt, ad doctrinam nostram scripta sunt. Hinc est, quod nō minus saturamur fragmentis nostris, ceu diximus, quam illi integris panibus. Fragmenta etenim nostra non de alieno pane sunt, sed de illis panibus, quos Christus fregit, quos Apostoli distribuerunt, quos turba gustauit, & satiata est. Qui alienos, ueldiuersos panes turbæ proponit, ad familiam domini non pertinet, non pastor est, sed fur, & latro. Et hactenus quidem hæc de doctrina

Ecclesiæ,

Ecclesiæ, quæ una, & uniformis est ab Apostolorum temporibus usque in hæc nostra tempora. Idem sentiamus etiam de sacrosanctis Catholicæ Ecclesiæ sacramentis. Sicut enim Christus turbam satiauit septem panibus, ita & hactenus cibat, & confortat Ecclesiam suam septem Sacramentis. Non hic lubet in certamẽ descendere cum Aduersarijs, qui non tantum numerum, sed etiam uirtutem, & efficaciam Sacramentorum negant. Et prudenter quidem reijciunt quinque Sacramenta: quum iam à uiginti annis inter ipsos de duobus reliquis Sacramentis non conueniat. Sed ad rem. Diximus de Sacramentis Ecclesię idem sentiendum, quod de dogmatibus Ecclesiæ. Sicut enim eadem sunt Ecclesiæ dogmata, ita & eadem sunt Sacramenta. Hæc enim non minuuntur, nec minoris efficaciæ sunt nostro sæculo, quam tempore Apostolorum fuerunt. Idem baptismus iam, qui tempore Apostolorum, eadem cæna iam, quæ olim: & sic de reliquis sentiendum. Det dominus ut & doctrinis, & Sacramentis Ecclesiæ nostræ perpetuo utamur ad Dei gloriam, & nostram salutem. Amen.

IN FESTO MAGDALENÆ. Lucæ. 7.

In illo



In illo tẽpore. Rogabat quidam de Phariſęis Ieſum, ut manducaret cum illo, Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius lachrymis cepit rigare pedes eius & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem Phariſæus, qui uocauerat eũ, ait intra ſe dicens, Hic ſi eſſet propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt, Et reſpondens Ieſus dixit ad illum, Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magiſter, dic.

Duo,

Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta, Non habentibus illis unde redderent, donauit utriſq;. Quis ergo eum plus diligit. Reſpondens Simon dixit, æſtimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei, Recte iudicaſti, Et conuerſus ad mulierẽ dixit Simeoni, Vides hãc mulierem, Intraui in domũ tuam, aquam pedibus meis nõ dediſti, hæc autẽ lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit, Oſculum mihi non dediſti, hęc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos, Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, qm̃ dilexit multum. Cui autẽ minus dimittitur, minus diligit. Dixit autẽ ad illam, Remittuntur tibi peccata, Et ceperunt, qui ſimul accumbebant dicere intra ſe, Quis

Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit, Vade in pace.

EXPOSITIO.

QVum olim sanctus, & eruditus Pontifex Gregorius huius hodierni Euangelij lect. onem populo Romano interpretaretur, ingenue fatebatur se malle, & magis posse flere (dum penitius pœnitentem contemplaretur Magdalenam) quam aliquid de illa dicere. Cuius enim, uel saxeum pectus illę huius peccatricis lachrymæ, ait, ad exemplum penitendi non emolliant? Hæc fortassis suo tempore (dum adhuc maior Numinis reuerentia in populo) non inepte. sed quid hac historia nostro tempore efficias nō uideo. Tanta est multorum humanorum cordium duritie, ut etiam si prę oculis suis uiderent Christum rursum crucifigi, nihilo molliora redderentur. Certo enim persuasum habent, se nō posse perire, modo credant, se propter Christū, Deo patri placituros. Hypocritæ enim sunt (illorum iudicio) qui per bona opera Deo placere uolunt. Sed tu uelim audias, quid Dominus per Prophetā, Numā

quid

quid, qui cadet, nõ resurget? Et, qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Appræhenderũt mendacium, et noluerunt reuerti, Hier. 8. Attendi, & auscultaui: nemo, quod bonum est, loquitur, nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens. Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu suo uadens ad prœliũ. Si tam facilis uia est peccatori ad patriam, atq; quidam nunc illam depingunt, stulte fecit Magdalena, quod sese in tantam confusionem dederit. Noui filium prodigum facillime ueniam impetrasse à patre suo. Noui latronem etiam in cruce morientem non contemptum à Christo. Noui petri lachrymas, satisfactionem eius non legi. Sed quid dicemus ad exemplum Magdalenæ? An hoc minus Euangelicum, quam illa? An hoc frustra scriptum est? Et, si quid dicendum de filio prodigo, Latrone, & Petro, quod ad institutum nostrum pertinet: non leuissima testimonia illorum pœnitentiæ apparent. Audi uerba prodigi filij, ac paternarum hæreditatũ dilapidatoris. Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus uocari filius tuus, habe me in numero seruorum tuorum. Si fontem, unde hæc uerba fluxerunt, penitius contemplarere, hoc est cor illius cognitum haberes, uideres haud dubie, nihil hic per lusum fieri. Sic uerba latronis, si recte fuerint perpensa, magnam

gnam uim habẽt. Excusat Christum, accusat se ipsum, corripit proximum: Breuiter cor contritum, & humiliatum habet, paciẽter fert crucem, fide, spe, ac charitate plenus est. Venimus ad Petrum, huius pœnitentiam intelligere, aut probe æstimare non potes, nisi in te ipso expertus fueris, quid sit ex animo deflere peccata: & hoc non tantum timore pœnæ, sed & amore iusticiæ. Sed requiris in hijs tribus, opera pœnitentiæ, siue satisfactionis. Ad hoc respondemus. Latronem in mortis articulo, nulla potuisse facere Satisfactionis opera. Quod uero Petrus, & filius prodigus satisfactionis opera fecerit, scriptura nec dicit, nec negat. Sed probabilius est istos dignos pœnitentiæ fructus fecisse, quam neglexisse. Sed quid opus est multa disputatione? Euangelium hodiernum pulchre nobis ob oculos ponit, quibus gradibus ad ueram pœnitentiam perueniatur. Audiamus itaque hoc ipsum.

Rogabat Iesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

Quare Pharisæus Christum inuitarit ad cænã, ex Euangelij littera non est manifestum. Si bonus fuit Pharisæus, hoc est si bene sensit de Christo, ac huic benefauit, tanquam bono alicui uiro, amicitiæ causa illum uocauit ad prandium, ut sic sese in familiaritatem, & amicitiã eius instituaret

nuaret. Sic enim solemus agere cum illis, à quibus amari cupimus. Si uero malus fuit, ac Christo, sicut plerique Pharisæi infensus, non alia causa inuitauit Christum, quam ut obseruaret eum quæreretq; causam aliquam calumniandi eum: hoc enim sæpissime fecerunt Pharisæi. Et commodus modus est ad decipiendum fratrem, sic sub prætextu amicitiæ ipsum uocare ad epulas, ubi libera habentur colloquia, ubi licere nobis putamus omnia, nimirum inter bonos fautores & amicos. Cæterum quocunq; nomine pharisæus Christum uocauerit ad conuiuium, ipse non dedignatus est illius hospitium, sed accessit, ac pransus est cum illo Et habuit certe causam, quare ad illũ accederet. Medicus erat Christus, ideo non debebat negligere ægrotos. Si malus fuit pharisæus, potuit fieri bonus: si bonus, potuit per Christi familiaritatẽ fieri melior. Christi enim erat, linum fumigans non extinguere. Et forte non omnino male sentiebat Simon de Christo, sed quoniam pharisæus erat, Christi humilitate & mansuetudine offensus fuit. Ad de Licet Christus contra Pharisæos dixerit. Non ueni uocare iustos (sic uocabat Pharisæos superbos & iustitiæ titulo impie gloriantes) sed peccatores ad penitentiam: tamen cum ipse à Pharisæo inuitatur, ipsum contemnere non debet. Quod si Christus à Pharisæis uocatus non adijsset eos: haberent illi ansam calumniandi cum, qui cum publicanis & peccatoribus Esai. 42.

conuiuaretur, bonorum autem uirorum conuiuia uitaret. Sed quid opus est multis uerbis? Persuasum habe Christum non uentris sui gratia accessisse aliquorum conuiuia, sed ut conuiuas suos spiritaliter reficeret. Vtinam etiam dignaretur Christus nostris cõuiuijs adesse. Sic enim fieret, ut anima pariter reficeremur, & corpore: Sed heu, nos nõ uocamus eum, imo nõ libenter ferimus in conuiuijs nostris ullam honestam mentionem fieri de illo. Et Satanas omnia nostra prandia sic fædauit luxu, crapula, & ebrietate, ut non libeat Christo tantis fædoribus interesse. Satanas enim delectatur locis humidis, sicut in libro Iobi de Behemoth legimus. Et Gerazeni illi nolunt secum ferre Christũ, qui porcis, et immũdis suibus molestus est. Sed *hæc* prolixius, quã uolebã: necesse ergo est ut *missa* hac inuectiua, ad sequentia Euãgelij nos *conferamus*.

Iob. 40.

Mar. 5.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. *Quid hoc est?* An ne & aliæ mulieres etiam fuerant peccatrices? Omnes peccauerunt, inquit, scriptura, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, ne unus quidem. Et. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Igitur si dixerimus nos non habere peccatum, nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Quid igitur sibi uult Lucas dicens, Erat mulier in Ciuitate peccatrix? quasi scilicet aliqua ciuitas, sit, in

Psal. 13.
Rom. 3.
Pro. 20.
1. Io. 1.

sit, in qua non inueniatur mulier peccatrix. Breuiter rem expediam. Erant quidem & aliæ mulieres peccatrices, ubicunq;,& quęcunq; fuerit (de D. Virgine deipara nolumus cogitare) sed hæc mulier in perpetratione peccatorum excedebat alias, ut nulla ratione alijs conferre potuerit, ac quasi per excellentiam peccatrix diceretur, hoc est mulier pessimę famæ. Sed quæ nam illa mulier? Sanctus Lucas noster nō apperuit, statim nomen mulieris, sed tantum factum: & hoc fortassis non præter rationē, sed ut argueret se non personam, sed uitium detestari. Nos non sic solemus: sed omnino diuersum. Quando enim magnum aliquod crimen audimus commissum ab aliquo, continuo illud apud omnes traducimus, nihil prætermittentes, quod putamus aliquo modo posse exaggerare factum, & condemnare personam peccantem. Sed Christianorum hominum est, sic traducere, & arguere peccata proximorum, ut uideamur odisse uitia, & crimina, amare uero personas. Sequitur de peccatrice illa. **Vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Phariſæi.** Apparet ex his, illam hanc occasionem iam diu quæsiuisse. Hæc enim mulier peccatrix, quum miracula CHRISTI partim ipsa uidisset, partim ab his, qui uiderant audisset. Deum esse credidit eum, qui tanta operabatur, & spem concipiebat fore

ut, si quando contingeret Christum accedere, ueniam peccatorum acciperet. Nam Christi
Luce.13. concio erat. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Et, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Hæc igitur cum animaduertisset mulier illa, undique quærebat occasionem, quomodo Christum accederet. In publico non licebat, neq; in alijs ædibus, ubi Christus magna hominum frequentia stipatus erat: Audiens itaq; Christum in domum Pharisæi concessisse, non ut ibi concionaretur, sed conuiuaretur. Attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes domini, lachrimis cœpit rigare pedes eius & ungento ungebat. Hic prodũt se ueræ ueræ pœnitentiæ opera. Non inuitata irruit in cõuiuium, ubi suus medicus recumbebat, et quę fuit pia quadam impudentia sanitatẽ. Irruens quasi importuna conuiuio, opportuna benefi cio. Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illũ ad sanandũ esse idoneũ ad quẽ uenerat, sciebat. Accessit ergo non ad caput, sed ad pedes domini: & quæ diu male ambulauerat, uestigia recta quærebat. A tergo itabat, quia indignã se, quæ faciem domini uideret, putabat. Accedit inquam, feruenti animo, flagranti corde, ardenti fide, sanctosq; illos attigit domini pedes, solutis capillis tergit, quos lachrimis lauerat pedes

des, tergefactos præcioso unguento ungit. Eteenim per quæ deceperat homines, per eadem parauit remedia pœnitentiæ: per quæ auocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lachrimas: per capillos arte compositos, multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes Iesu abstersit. Vnguento multos inescarat, ergo & illud iam uertit in obsequium Christi. Necesse enim est, ut quibus rebus prouocauimus Deum, per has rursum faciamus propitium. Hoc est quod D. Paulus in Romanis dicit. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Rom. 6.
Hæc est enim uera pœnitentia, uitia pensare uirtutibus, superbiam, humilitate, auaritiam, largitate, luxuriam, castitate, iram, mansuetudine, maledictionem, benedictione, rapinã, Eleemosynis, & cætera eius generis. Quid porro ad hæc Christus, quid Pharisæus?

Videns autem pharisæus, qui eũ uocauerat, ait intra se dicens. Hic si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier, quę tãgit ipsũ. Quia peccatrix est. Vnde pharisęo talis cogitatio? An ne condolet miseræ et afflictę mulieri? Nequaquã. Sed cõtemptus uerba sũt ista, nam & Christum & peccatricem condemnat & contemnit.

Mulierem indignam iudicat, quæ cum uiris bo-
nis agat, peccatricem iudicat, quæ iam in pæni-
tentium classem concesserat. Christo uitio uer-
tit, quod patitur se tangi à peccatrice: & forte
inuidet ei tantum honorem à mulieri impendi.
Christum itē indignum iudicat Prophetæ ap-
pellatione, quum non solum Propheta, sed &
prophetarum dominus sit. Vide autem hypo-
crisim, & dolum Pharisæi: Non audet publice
reprehendere Christum, sed intra se dicit, hoc est
in corde suo cogitat. Hic si esset Prophæta, sci-
ret uticq, quæ, & qualis esset hæc mulier, quę tan
git eum. Quare putat Pharisæus Christum non
nosse hanc mulierem? Quia scilicet patitur se
tangi ab illa. Non autem pateretur, si illam ha-
beret cognitam. Sic enim apud se argumenta-
tur Pharisæus, & ex se metitur alios. Nam ex
Euangelio constat Pharisæos sic per Hypocri-
sim contempsisse, ac uitasse peccatores, ut tamen
nihilo magis abstinerent ab ipsis peccatis, pro-
pter quæ alios condemnabant, & contemne-
bant. Notus est locus cap. 7. in Euangelio Di
ui Marci de superstitione, & Hypocrisi Phari
sæorum. A foro uenientes, inquit, nisi loti fu-
erint, non sumunt cibos. Verentur scilicet ne
ex contactu peccatorum hominum & ipsi pec-
catores facti sunt. Sic alibi nolunt ingredi pre-
torium Pilati, ne contaminentur &c. In
hanc ergo sententiam loquitur Pharisæus de
Christo. Hic si Propheta esset, sciret uticq quæ,

& qualis

& qualis esset ista mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Adde. Nam si sciret, non sustineret se tangi ab illa, sciens probos Pharisæos contaminari attactu peccatorum. Sed necesse est, ut intelligat pharisæus christum non solum nosse huius mulieris conditionem, sed etiam ipsi Pharisæi cogitationes, quod certe non Prophetæ, sed Dei opus est. Respondet ergo Iesus (ad cogitationes scilicet Pharisæi) dicens,


Simon habeo tibi aliquid dicere.

Et addit parabolam de duobus debitoribus, sicut ex prælectione Euangelij accepistis: deinde collationem instituit pharisæi, & peccatricis, in qua apparet Mulierem longe meliorem fuisse Pharisæo, & ideo si peccatores homini sancto uitandi sunt, æquius est ut Christus uitet Pharisæum, quam peccatricem. Et quare uitaret siue contemneret CHRISTVS eam, à qua tanto feruore diligebatur? Agnoscebat Mulier magnitudinem, & multitudinem peccatorum suorum. Vnde CHRISTVS merito ea dissumulabat. Si nosmetipsos iudicaremus, ait D. Paulus, non iudicaremur. Et Psalte inquit, Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor aduersũ me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. 1. Cor. 11. Psal. 31.

Sic quoniam Mulier hæc sua peccata agnoscit, ea condemnat ac deflet, & bonam spem concipit de impetranda remissione peccatorum, ac proinde Christum seruatorem suum tanto amore diligit, quod confidit sibi peccata condonata, digna efficitur quam Christus non solum à peccatis absoluat, sed etiam contra Pharisæi calumnias defendat. **Remittuntur ei peccata multa, inquit, quoniã dilexit multum. Et fides tua te saluam fecit, uade in pace.** Hæ duæ sententiæ in magna sunt
Gal. 5. controuersia inter partes, dum alij iustificationẽ fidei, alij dilectioni, alij rursum utrique, hoc est fidei per dilectionem operanti adscribunt. Et iã audimus claras Christi sententias: qui certe non minus uidetur tribuere dilectioni, quã fidei. De dilectione primum dicit. Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. De fide dicit. Fides tua te saluam fecit, uade in pace, Atqui nemo saluus fit, non remissis peccatis, & cui remissa sunt peccata, saluus non esse nequit. Vnde in Psalmis legimus. Beati quorũ remissæ sũt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Præferemus igit iã fidẽ dilectioni, uel hãc illi? Certe præstaret fide & dilectione præditum esse, quam de his ianitater hoc loco pauciss. me expediã. Christus qui mulierẽ hanc attraxit, non unam tantũ gratiã ei infudit. Fidem dedit, qua intelligeret, quid
Psal. 31.

quid sibi de Christo sperandum (nam fides & spes pene sicut cognata quædam). Dilectionẽ dedit, qua gratiam se exhiberet Christo. Spem dedit, qua post acceptam remissionem peccatorum etiam sperare potuit regnum cælorum. De corde contrito & humiliato, de humilitate, pudore, erubescentia, & reliquis bonis uirtutibus nihil est quod amplius dicam. Breuiter christus huic peccata donauit gratuito, nullo respectu bonorum præcedentium operum. Illa uero sese totam Christo consecrauit, quantumcũq; cuit ei ministrauit. Idem ergo christus nobis largiatur eandem gratiam, ut tandem serio & agnoscamus & defleamus peccata nostra, ac per pœnitentiæ fructus nos Deo approbemus, ut accepta uenia peccatorum, tandem æternum uiuamus cum Christo Iesu, cui Laus & gloria in æuum. Amen.

IN FESTO D. IACOBI Apostoli. Math. 20.



IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedęi cũ filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo:

Qui dixit ei: Quid uis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus, ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam uel sinistram non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos? Non ita erit inter uos, Sed quicumq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister. Et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Sicut fi-

lius

lius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cęci sedentes secus uiam audierunt quia Iesus transiret, & clamarunt dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid. Et stetit Iesus, ut uocauit eos, & ait. Quid uultis, ut faciam uobis, Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus tetigit oculos eorum. Et confestim uiderunt, et secuti sunt eum.

EXPOSITIO.

Sic

Sic ferè natura comparatum esse uidetur, ut cum omnes ad altiora, hoc est, ad diuitias honores & glorias contendamus, tamen nulli, aut certe pauci, recta uia ad illas cõtendant. Regia uia erit animi submissio, & de omnibus bene merendi studium, atqui nos speramus aliam, & magis compendiariam uiam esse, si quis se omnibus præferat, nemini inseruiat Sic iam faciunt filij Zebedæi, ambiunt magnos honores, magnasq; dignitates: sed non recta uia incedunt. unde non immerito à Domino corripiuntur. Sed expendamus totam historiam.

Accedit ad Iesum Mater filiorũ Zebedæi &c. Singula uerba huius historiæ diligenter ponderanda sunt. Primo quidem *ex aliis Euangelistis intelligimus, non suapte sponte Matrem accessisse ad Iesum rogaturam, sed sic subornatam à filijs. Accedit ergo ad Iesum adiunctis sibi filijs. Iacobo & Ioanne, adorans & petens aliquid ab eo. Hanc rem apertius explanat nobis Marcus, ut intelligamus stultitiã* Matris & filiorum, qui tamen sibi uidebantur negotium prudentissime instituisse. Dicũt enim, Magister, uolumus ut quodcunq; petierimus, facias nobis. Iam expendamus negotium hoc pro merito, aut potius pro uirili. Primum, filij subornant Matrem ut pro se intercedat, ut non ipsi uideantur hæc ambire, sed Mater suapte spõte, & materno quodam affectu, filijs altiores gra-

Mar. 10.

dus

dus quæreret. Quod si successerit in uotum, habebunt filij unde gaudeant: Sin minus, Mater in confusione erit, nō filij. Secundo cupiunt Christum illaqueare, ut nō possit non satisfacere uotis ipsorum. Neq; enim statim exponunt quid uelint: sed antea uolunt Christum polliceri se exauditurum eos, quicquid tandem petierint. Magister, uolumus inquiunt, ut quodcunq; petierimus, des nobis. Quid si peterent, ut Matrē suam interimeret? Stultum est igitur quod tam captiosa petitione Christum per Matrem interpellāt. Quid igitur ad hęc Christus? Matri dicit.

Quid uis? Quasi scilicet nō intelligat illorū stultum consilium. Atqui non latuit Christum, quæ isti molirentur: sed dissimulauit, ut illa liberius petitionem suam proferret, & ipse postea affectus illos malos corriperet, & emendaret. Rogata igitur Maria Salome (hoc enim nomē est Matris filiorum Zebedæi) respondet.

Dic, ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram tuam in regno tuo.

Hoc est, uolo ut filios meos in regno tuo habeas inter præcipuos. Sed unde occasionē sumpsit Mater, ut talia peteret? A filijs subornata est. Quid ergo filios mouit, ut matri talia suggerēt? Pauciss. dicā. Multa audiuerāt in synagogis suis de Messiæ regno, quod tamē carnale ac tēporarium

rium fore persuasissimum habebant, quale habebat Regnum Dauid, Salomon,& alij potentissimi Iudæorum Reges. Hijs accedebant Sermones Christi, quibus etiã subinde magnifice de se prædicabat,ut illud. Vos sedebitis super sedes duodecim, iudicaturi duodecim trib. Israel, & hoc. Quũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. Arbitrati sunt autẽ Ioannes,& Iacobus,sedem maiestatis dici, Thronũ regni, quo Hierosolymis regnaturus esset. Sed rogas forsan,quare non offensi sint mentione passionis Christi,cuius tamen ipse sępiss meminit? Respõsio in promptu est. Quæcumq; dicebat Christ9 de Regno suo,carnaliter,&,pro ut litera sonabat, intelligebant: Quæ uero de passione dicebantur, putabant allegorica esse,nec iuxta literarum sonum implenda. Sic enim solemus omnia interpretari iuxta quod affecti sumus. Addam. Quod si etiã crediderunt Christum,sicut dicebat, passurum,& moriturum,tamẽ promissionem resurrectionis audientes sperabant ipsum statim à resurrectione auspicaturũ Regnũ suum, in quo cupiebant illi esse præcipui: uerbi gratia,sicut Ioseph in Aegipto,Daniel in Chaldæa, Mardochæus apud Assuerum. Non enim succurrebat illis quod Christus fugerat populũ qui ipsum uolebat Regem facere. Sic,opinor, satis intelligitis qualis fuerit petitio Zebedæorum. Respondit ergo eis Iesus.

Idẽ Euangeliũ pol licebãtur sibi quod Lutherani.

Ioan. 6.

Nescitis quid petatis. Vides quod iã allo

quatur

quatur filios, quum prius allocutus fuerat Matrem. Voluit enim declarare, se non ignorare, quo cõsilio illi subornassent Matrem. Nescitis, inquit, quid petatis. Potuisset eis dicere, q̃d deinde Iacobus ipse, Petitis, et nõ accipitis, eo quod male petatis Et quod Ioannes. Quodcumq; petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Nescitis, inquit, quid petatis. Petebant enim rẽ nullius momenti, rem, quæ ad ipsos non pertinebat, rem, quę nulla erat. Regnum enim, quale illi somniabant, nullum erat, quod quidẽ Christus accipere cupiebat: Non enim arripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Petebant Regnum terrenum, quum tamen uocati essent ad cęleste. Certe multis hoc accidit, etiam sanctis alioquin uiris, ut petant, quæ petere non debebant: qua de re alibi diximus. Addit Christus.

Iacob. 4.
1. Ioan. 5.

Sæpe petimus quẽ ignoramus.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Hoc est, potestis idem subire periculum, quod ego subiturus sum? Regnum meum, non continget mihi per somnium. Difficilis mihi tentanda alea. Qui huius mundi Regnum occupat hactenus Satanas, non facile cedet Regno: immo uniuersum mundum contra me excitabit. Vnde fortiter pugnandum, multus sanguis profundendus, multæ mortes subeundæ, anteq; Regnum meum quietè possidere queam. Proinde, si cupitis Regni

gni mei cõsortes fieri, necessum est, ut par discri-
men meum subeatis. Hoc enim æquum est, ut
qui compatitur, etiam nobis conregnet. Audi-
entes igitur hæc duo fratres nihil cunctantur,
sed statim respondẽt. **Possumus.** Putant fa-
cilem esse pollicitationem, modo ipsi quod cu-
piunt, adipiscantur. Non diu expendunt quid
uelint uerba Christi, nec uires proprias expen-
dunt, sed satis temere dicunt se posse calicem do-
mini bibere. Ait ergo ad illos Christus.

Calicem quidem meum bibetis.

Hoc est, in magnas tribulationes peruenietis,
multas afflictiones & persecutiones sustinebi-
tis. Vocat autem Dominus calicem suum: Nõ
dicit, Calicem uestrũ bibetis. Sed, *calicem meum*
bibetis. Quia passio Christi & martyrum su-
orum, unus calix, & una passio est: nam Chri-
sti martyres, patiuntur tam dira tormenta, non
quod fures sint, uel latrones, uel alijs criminib.
obnoxij, sed tantum quod sunt Christiani. Huc
pertinet quod Christus ad Saulum Ecclesiæ per-
secutorem dicit, Saul Saul, quid me perseque-
ris? Et idem Paulus dicit, se supplere quæ desunt
passioni Christi. Sic ergo Christus, & duo fra-
tres isti, eundem biberunt calicem, iuxta eam
sententiam quam exposuimus, hoc est pro no-
mine Christi multa aduersa passi sunt. Et de Ia-
cobo quidem nouerunt omnes, quod ab Hero-
de Tetrarcha sit interemptus. De Ioanne uero

Vnus atq; idẽ Calix Christi et Christia-norum.

Acto. 9.

Coloss. 1.

Acto. 12.

non

non legimus quod uiolentiam mortem perpes-
sus sit. Atqui Christus non factum, sed uolun-
tatem ipsam & considerat, & remunerat. Quid
porro est, quod Christus subdit.

**Sedere aũt ad dexteram meam, & si-
nistrã, non est meum dare uobis, sed
quibus paratum est à patre meo.**

Quum Pater cœlestis omne iudicium dedit fi-
lio: quid est, quod hic dicit ad se non pertinere, Ioan. 5.
ut alterum uel ad dexteram, uel ad sinistram
collocet? Respondemus uerba Christi duplicẽ
habere interpretationẽ. Certe enim ad Christũ
non pertinebat Ioannem, uel Iacobum, in tem-
porali huius mundi regno, aliis uelle præferre,
uel postponere, quum regnum ipsius non sit
de hoc mundo. Secundo ad Christi iustitiam
non pertinebat cognatos suos ad altiora pro-
uehere, tantum ob hoc, quod cognati sunt: sic
enim duo fratres sibi persuaserant, se merito,
propter affinitatem, aliis præferri. Tertio e-
tiamsi affinibus, & cognatis præ aliis fauere de-
beamus, tamen talibus affinibus non debe-
mus præ aliis bonis, alienis etiam fauere. Di-
lucidius dicam. Duobus fratribus quidem pa-
ratum erat regnum cœlorum, non quod Chri-
sti cognati, non quod ambitiosi, sed quod
Christi uestigia essent sectaturi, & animum
in melius mutaturi. Dictum est enim illis.

Amen dico uobis. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut puer iſte, non intrabitis regnum cœlorum. Vtinam Principes huius mundi hoc exemplum Chriſti potius imitarentur, quam exemplum Salome. Salome intercedit pro ſuis filijs, ut ad altiora prouehantur, ſiue digni ſint, ſiue indigni, Chriſtus autem non reſpicit ullam cognationem, ſed dignitatem perſonarum. Iacobum, & Ioannem præficit Eccleſiæ, nō quod cognati ſint, ſed quod ad munus Eccleſiaſticum Idonei. Facile patiemur, ut præ alijs tuos amicos, affines, cognatos, & familiares nobis obtrudas, modo etiam præ alijs ad id muneris ſint magis idonei. Iam præficiuntur Eccleſijs, quibus non eſſent porci comitendi. Ad Haram illi pertinent, non ad Aram. Simpliciter expoſui mentem Chriſti, & quatenus huius exemplum nobis imitandum, non tacui. Veteres Doctores hunc locum Euangelij contra Hæreticos diligentiſſimè tractarunt, nam Hæretici his Domini uerbis. Non eſt meum dare uobis &c. Peſſime abutebantur. Nam hoc peſtiferum hominum genus, undique corradit, quibus impietatem ſuam, ſpecioſo alioquo obumbrare poſſit pallio. Quomodo, inquiunt Arriani, ſi æqualis patris filius, dixit ad filios Zebedæi. Non eſt meum dare? Id enim aperte oſtendit, non habere ſe poteſtatem dandi, quod petebatur: non eſt igitur æqualis

Nota.

Vide Auguſtinum de Trini. li. 1. ca. 12

Cyrill. in Theſauro. lib. 10 cap. 5.

qualis patri, quoniam pater omnem potestatem habet. Sic rationantur Hæretici: Atqui non oportet ita inconsiderata uerba Saluatoris exponere. Nam si diligenter perspicere singula uolueritis, nihil inuenient, quo impietas ipsorum possit iuuari. Quod enim Christus dicit, Non est meum dare uobis &c. ideo dicit, non quia potestatem dandi nō habeat, sed quia præmia proportionabiliter certantibus dantur. Nam quemadmodum, si quis certamen instituerit, & munera declarauerit, ad petentes maxima præmia dicat. Non est meum dare. Non enim certandi munera sic mihi proposita sunt, ut uelim petentibus dare quibuscunque, sed illis solum qui certando sperabunt. Quomodo enim non esset in potestate CHRISTI hæc dare, quum alibi dicat, & uere dicat ad patrem. Omnia tua mea sunt, & mea tua sunt. Et alibi. Omnia mihi tradita sunt à patre meo Et rursum. Data est mihi potestas in cœlo, & in terra. Breuiter pater cœlestis præparauit cœlestes mansiones omnibus, qui CHRISTI uoluntatem sectantur, siue cognati sint, siue alieni. Vis igitur ad uitam ingredi? Serua mandata, nam qui bona fecerunt, inquit alibi, ibunt in uitam æternam. Igitur qui cœlestes, perpetuos, & ueros honores ambiunt, non inuenient uitam magis compendiariam, quam si studuerint mandata

Christi implere, & uitam Christiano homine dignam uiuere, Et uos parentes discite, quid filijs uestris postulare debeatis, nimirum ut cum Christo regnare possint. Deinde quotquot estis, ab omni ambitione mala abstinere. Postremo calicem domini patienter suscipite. Sic enim fiet ut ad dexteram Christi constituti audiamus, uenite benedicti patris mei. Quod utinam nobis contingat gratia, & benignitate Domini nostri Iesu CHRISTI. Amen.

DOMINICA VIII. post Trinitatis. Mat. 7.



IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Attēdite à falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouiū, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uuas? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor

arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non potest autem arbor bona, malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed, qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlo est, ipse intrabit in regnum cælorum.

EXPOSITIO.

SI unquàm necessaria fuit Domini nostri Iesu Christi præmontio, ut nobis caueamus à Pseudoprophetis, certe sume necessaria est in tanta discordia dogmatum, in tantis dissidijs Doctorum, in tanta licentia omnium hominum, qua omnes putant, quæ lubet, sibi licere. Simplices plebei conqueruntur, se in

tanta Doctorum dissonantia nescire utri credant: & interim tamen, antiquam fidem, & religionem relinquentes nouorum Doctorculorum somnia sectantur. Qui uero paulo nasutiores sibi uidentur, omnium conciones intrant, & persuasum habent se posse de omnibus, & singulis iudicare: se non posse errare, reliquos omnes posse. Sapientissimi uero illi Salomones, & Solones, quasi ex Tripode pronunciare solent: Fidem non esse in hominis potestate, eamque debere esse liberam. Liberum esse debere cuique prædicare quid uelit, liberas esse debere conciones, ita, ut quisque ingrediatur, quas uelit, & credat, quibus uelit. Sunt rursum, qui dicunt se nullas uelle audire conciones, donec Concionatores, & Doctores inter se conueniant. Quid igitur faciemus? Fides non potest esse libera, sicut illi liberam fidem intelligunt, quum CHRISTVS dicat. Attendite à falsis Prophetis. Scio quam libertatem uelint: ut ipsis sit liberum dicere, & agere, quæ uelint, reliqui uero non ausint contra mutire. Nobili cuipiam liberum sit suis interdicere uera religione. Cæsari uero, Regi, & reliquis Principibus religio sit, se falsæ religioni opponere, & suos à Pseudoprophetarum concionibus arcere. Sed audiamus Euangelium.

Quærelæ huius mũdi.

Attendite, inquit, Christus à falsis Prophe-

Prophetis', qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium &c.

Quid eſt attendite? Præcauete, ne ab eis lędamini, & ne incircumſpecti, atque immuniti in eorũ inſidias incidatis. Ad quos hæc dicũtur? Ad omnes Chriſtianos in genere. Sed quid intelligendũ nomine Pſeudoprophetarũ? Non loquitur de eis, qui Prophetæ dicuntur eo, quod futura quędam, alijs occulta, præuidere, & prænunciare ſolent, aut ſe hæc facere poſſe fingunt; ſed Prophetarum nomine intelligit ſcripturarũ interpretes, hoc eſt doctores: qui ſi ſcripturam recte interpretantur, ueri Prophetæ, ſi autem peruerſe interpretantur, falſi Prophetæ dicuntur. De quibus igitur loquitur Pſeudoprophetis? Certe nullum ſæculum, nulla ætas caruit ſuis Prophetis tam falſis, quam ueris. Nũc fuerunt plures boni, quam mali: nunc plures mali quam boni. Fuerunt Pſeudoprophetæ ante legem, ſub lege, poſt legem, & tempore gratiæ: quia Satanas non minus laborat ſuam tyrannidem prouehere, quam CHRISTVS ſuum regnum. Habebat Chriſtus ſuos aduerſarios, habebant poſtea & Apoſtoli ſuos. Oportet enim Hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Iam quoniam Chriſtus Ieſus certo nouerat, Eccleſię nũcq; defuturos hoſtes pſeudoprophetas, pręmonuit nos dicens. Attẽdite, hoc

Prophetæ.

Semper fuerunt Pſeudoprophe.

1. Cor. 12.

est diligenter cauete uobis à falsis Prophetis. Nisi essent pestilentes, & nociui, nequaquã prę moneret nos Christus. Et si facile possent dinosci, non iuberet nos diligenter attendere. Quare difficile possunt dignosci? Quia multa paria habent cum ueris Prophetis, neq; se publicos esse Ecclesiæ hostes fatentur, sed acerrimi Ecclesiæ propugnatores uideri uolunt.

Veniunt, inquit, ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus uero sunt Lupi rapaces.

Hoc est, speciem quidem pietatis habent, & simulãt se ouium quærere salutẽ, sed aliud in corde habent, nimirum quomodo rapiant oues, furentur, mactent, & perdant. Hoc est, quod Diuus Paulus de eis dicit, Huiusmodi Christo domino nostro non seruiunt, sed suo uentri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda simplicium. Ab eiusmodi igitur hominibus iubet nos Dominus cauere. Attendite, inquit, à falsis Prophetis. Non dicit, accede illos, familiariter illis conuiue, sed attende, caue, fuge. Veniunt enim, intellige, non mitte eos, sed ultro currunt, & non iussi prædicant, aut potius à Satana mittuntur, & sicut ille, etiam in se Angelos lucis, & ministros CHRISTI transfigurant quorum finis erit secundum opera illorũ. Christus non mittit Ecclesiæ suæ falsos Prophetas, sed

Rom. 6.

Hier. 14. & 23.

2. Cor. 11

sed, iuxta quod Paulus in Ephesijs docet, dedit Ecclesiæ suæ quosdã Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores &c. Vnde alibi Christus. Ecce ego mitto uos, inquit ad Apostolos, sicut oues in medio luporum. Et iterum ad Iudæos. Ecce ego mitto ad uos sapientes, Prophetas, & scribas &c. Et rursum alio in loco iubet nos patrẽ cęlestem rogare, ut mittat, sique extrudat operarios in messem suam. Veri ergo Prophetæ, non suapte sponte currunt, nec uiolenter se ingerunt contra ordinariam, & legitimam potestatem, quod pseudoprophetæ faciunt, sed missi currunt, & iussi concionantur. Nec est, quod hoc in loco quidam obijciant, etiam Christum, & Apostolos contra uoluntatẽ superiorum prædicasse, repugnantibus omnib. principibus. Doceant illi se à Deo missos, & libenter patiemur eos se æquare Christo, & huius Apostolis. Sed uolumus extra choream. Intelligamus, quod Christus non dicit, Attendite à falsis Prophetis, quos ego uobis mittam, sed qui ueniunt in uestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hic me non latet, in quos aduersarij hæc domini uerba detorquere soleant. Vestitus ouium est illis cuculla, Lupi rapaces sunt illis Monachi. Breuis est responsio: & faciam, quod sapiens admonuit dicens, Respondeas stulto iuxta stulticiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur. Vestitus ouium inquiunt, Monastica

Ephe. 4.

Math. 10

Math. 9.

Obiectio.

Pro. 26.

cuculla est. Verum est, nam non omnibus Monachis datus uestē purpurea, uel Damascena uestiri. Lupi rapaces, inquiunt, sunt Monachi. Respondeo Raptores magis habere speciē Luporum rapacium, quam mendicantes. Nos certo scimus Christum sub imagine ouilli uelleris nihil aliud denotare uoluisse, nisi hypocrisim, ac simulatā Hæreticorum pietatē, qua sub nomine Christi, Christianos à Christo adducere solēt. Neq; enim ullus unq; Hæreticus extitit, qui hāc appellationē agnoscere uoluerit: neq; ullus unq; hęreticus fuit, qui discipulis suis uitā æternam pollicitus nō fuerit. Si enim discipulis suis pollicerentur, aut potius minarentur perpetuos carceres, quis illorū doctrinā sectari uellet? Igit̄ qm̄ sub prætextu pietatis impietatē docent, & sub nomine Ecclesiæ, Ecclesiā oppugnāt, Christus eos uocat lupos rapaces, ouilla pelle tectos. Sed quomō potest quis uitare malū, sibi nō cognitū? Quomō fugiā pseudapostolos, quū ignorē boni ne sint, an mali Apostoli? Audi ergo Christū. A fructib, eorū agnoscetis eos: Iam nihilo certiores sumus, quā antea. Nā qui se ueros Propheras uocant, ñdē dicunt se bonos habere fructus. Scio, quæ hic multi dicunt: nec dissimulabo sententiā meā. Hoc fateor ingenue difficillimum esse dignoscere ueros Prophetas à falsis, etiam si iam multi uideantur se hāc rem, facile dijudicare posse. Chariss. inquit, Euangelista Ioānes, nolite omni spiritui credere, sed pro-

1. Ioan. 4

bate

bate spiritus si ex Deo sint: qm̃ multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Et additoma nis spiritus, qui confitetur Christum in carne uenisse, ex Deo est. Hæc D. Ioānes. Ergo quisquis confitetur Christum in carnem uenisse, hæreticus dici non potest? Sic itaq; neq; Donatistæ, neq; Pelagiani, neq; Iouiniani, neq; Vigilantiani, & multi alij, qui iuxta Decretum Ecclesiæ iāq; Hæretici damnati sunt, Hæretici sunt, quoniā isti omnes non negant Christum in carnem uenisse, hoc est, non negant Deum, & hominem esse Christum. Et iuxta hanc regulam neq; Lutherani, neq; Zuingliani, neq; Anabaptistæ, pseudoprophetæ à nobis, nec nos ab illis pseudoprophetæ dici possumus: quoniam confitemur Christum in carnem uenisse. Sed hæc obscuriora sunt, quam ut hoc tempore breuissime explicari queant. A quibus igitur fructibus cognoscendi sunt pseudoprophetæ? An intelligēdum est de fructibus, quos ipsi ex se ipsis edunt? Verbi gratia. An ideo falsi Prophetæ sunt, quod multis criminibus obnoxij sunt? Nequaquam. Nam & Catholicos concionatores inuenias, quibus, heu dolor, non admodum est integra uita. An uel ideo sunt Hæretici, quod auditores, & Discipuli illorum non admodum honestæ sunt uitæ? Neq; hoc dicere ausim, quum neq; CHRISTVS, neq; Apostoli, neq; reliqui sancti Ecclesiæ doctores, omnes suos discipulos cōuertere potuerint ad meliorē frugem

Fructus, pseudoprophetarum.

frugem. Ergo ex solis his uirtutibus non possumus certò dignoscere, quis nam sit hæreticus. Ex his solis, dico, notis non possumus deprehendere infallibiliter, hæreticus ne sit doctor, an Catholicus, quem audimus: licet plerumq; malus ille spiritus sese exerat tam in pseudoprophetis, quam in horum discipulis, sicut certe hodierna dies declarat, ubi plane uidemus charitatẽ omnino friguisse, & omnem maliciam abundare. Nec quisq; citra magnam impudentiam diffiteri ausit, quin cum hac noua doctrina omnium rerum corruptio, omnium bonorum morum dissolutio intrauerit. Scio quid Noui prophetæ dicant, nimirum eos tantum esse catholicos, apud quos sit purum uerbum Dei, & legitima Sacramentorum administratio. Hoc non negamus. Sed dic, obsecro, dic, quis hæreticorum unq; non contendit secum hęc esse, & omnium illibatissima? Nullus unq; uenit pseudopropheta, qui nõ crepantibus buccis clamauerit se habere puram Euangelij doctrinam, ueraq; Sacramenta. Quis igitur iam tibi dicat, utra pars habeat illa uera, uel falsa? Sciendum itaq; ueram Euangelij doctrinam, & ueram Sacramentorum administrationem, non esse nupera, sed peruetusta, perpetuoq; ab temporibus Apostolorum in Ecclesia usitata. Igitur, qui probauerit se eandem habere doctrinam, & eadem Sacramenta, quæ habuit uetus Ecclesia, ille uerus propheta, & Ecclesiasticus doctor est. Huc pertinet, quod Paulus

Vnde dinoscendi Catho. Iudicio Hereticorũ.

lus in Galatis scripsit, Licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet uobis præterq̃ quod Euangelizauimus uobis, anathema sit. Et ad Timotheum scribit. Tu autem permane in his, quę didicisti, & credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris, & quod ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Locus hic probe obseruandus est, quod Apostolus Timotheum non solum ad sacras literas, sed etiam ad uiuum Apostolorum sermonem, & ad horum traditiones misit. Euangelium enim nemo Christianus negat: sed de intelligentia quæstio est. Interpretandum itaq̃, & intelligendum est, sicut idipsum & Apostoli, & Apostolici uiri perpetuo interpretati sunt, et intellexerunt: ne aliquod nouum dogma inuehatur in Ecclesiam. Huc rursum facit, quod D. Paulus ad Romanos scribit dicens, Rogo autem uos, fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quã uos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Duo sunt, quæ Apostolus à nobis postulat, primum ut diligenter expendamus, an Ecclesia pseudoprophetarum cũ apostolica doctrina cõueniat. Secũdum ut, si discordat, nihil commercij cum eis habeamus, sed eos declinemus. Vides iam, opinor, qua in re dinosci possit pseudopropheta à uero propheta: Quisquis sacram scripturam (non dico tantum habet) interpretatur, quomodo interpretati sunt Apostoli, & Apostolici

Gal.1.

2. Tim.3.

Rom.16.

stolici uiri, ille pseudopropheta dici non potest. Iam quæritur, uter nostrum, ego ne, an aliquis aduersariorum meorum recte interpretetur scripturas? Si ego, quod absit, falso interpretor, quis inter tot aduersariorum sectas recte interpretatur? Lutherani ne, an Zuingliani, an Anabaptistæ, an Schwenckfeldiani? Nam hîj singuli singulares habent interpretationes: Neq; enim potest fieri, ut recte omnes sentiant, qui inter se tam male consentiunt. Si porro recte sentiunt (quod non putamus) quam diu recte senserunt? Quum toties sua dogmata mutauerint, sicut & suas ipsorum traditiones. Et si recte sentiunt, quis recte sensit ante illos, præter paucos quosdam, quos Ecclesia tanquam Hæreticos iam olim damnauit? Et, si ipsi recte sentiunt, necesse est nullos esse Catholicos CHRISTIANOS in toto mundo, præter paucos Germanos, qui primi doctrinam Lutheri approbarunt, & sectati sunt. Quis autem tam impudens est, ut uel cogitare ausit uniuersum CHRISTIANISMVM in tam paruulum angulum redactum? Hæc igitur cum ita se habeant, quis non uideat, ubi, & qui nam sint pseudoprophetæ? Nos quidem peccatores esse possumus, pseudoprophetæ, aut hæretici esse non possumus. Et super hac controuersia communem totius Ecclesiæ sententiam libenter subire uolumus. Nos etenim, ut priuatos homines decipi, & errare posse fatemur,

Ecclesiam

Ecclesiam uero in eiusmodi rebus errare posse, non credimus. Igitur nos non fugimus lucem: sed nolumus tenebras pro luce. Non constituimus nouũ Tribunal, sed ad hoc prouocamus, quod perpetuo in Ecclesia constitutũ fuit. Nec tam malam causam habemus, ut non ualeamus sustinere iudicium Ecclesiæ, nec tam præfracti sumus, ut iudicia nostra uelimus iudicio totius Ecclesiæ præferre. Aduersarij uero nostri etiam si admiserint colloquia, uel concilia, nunquam eo patientur, se deduci, ut dicant se consensuros in Decreta, quæ illi decreuerint: sed perpetuo in Angelos suos refugient dicentes. Consentiemus certe, nisi contra scripturas aliquid decreuerint. Vides quod semper sua iudicia aliorum iudicijs præferre soleant. Sed hæc forsan plus æquo prolixe. His igitur sic præmissis, ad consequentiã textus procedamus. Nam Christus post præmissa uerba aliquot similitudines ponit, quibus declarat, quomodo à fructibus cognosci possint & Pseudoprophetæ, & Pseudochristiani. Dicit enim. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribus ficus? Sic omnis arbor bona &c.

Alibi dicit Christus ad Pharisæos. Quomodo poteſtis bona loqui, cum sitis mali. Et D. IACOBVS. Quid proderit, fratres mei, inquit, si fidem quis dicat se habere, opera autem nõ habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Iaco. 2.

Si

Si Christianus es, age operibus hoc demonstra, & ambula uocatione tua digne Qualis uis uideri, talis esto. Et in hoc Euāgelio dicit dominus.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine &c.

Non omnes, qui Christiani sunt, hoc est fidem Christianā habent, & Sacramētis Ecclesię utuntur, cōtinuo intrabūt in Regnū cœlorū, sed qui facit uoluntatē patris cœlestis. Hæc est aūt uo-
1. Pet. 2. luntas Dei, inquit Apostolus, sanctificatio uestra. Et rursum D. Petrus. Hęc est, inquit, uoluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentiū hominū ignorantiam. Neq; enim tantū Dei uoluntas est, ut credamus in Christū, sed etiā, ut obtemperemus Christo, hoc est declinemus à malo & faciamus bonum: quæ de re sæpissimè diximus. Iam quoniā hæc nulla ampliori expositione egent, ad finē concionis properemus. Et nihil est, quod longiori repetitione opus habeat, nisi ut uos considerantes quā difficile sit uerum Prophetam à falso discernere, humiliter supplicetis Deo, ut ipse uos ab omnibus erroribꝰ, & Erronibꝰ pręseruet, ne forte incauti in laqueos incidatis Diaboli. Interim uero uestris bonis operibus declarate uos esse bonas arbores, fructificantes in uitam ęternam Quod utinam nobis omnibus contingat gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui laus, & gloria in æuum. Amen.

In

IN FESTO D. ANNÆ.

Math. 25.



IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis simile erit regnum cœlorum decem uirginibus, quæ accipientes lãpades suas exierunt obuiam sponso. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes, sed quinque fatuæ, acceptis lãpadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cũ lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerũt omnes, ac dormierũt. Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexrunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lam-

pedes ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixernut: Date nobis de oleo ueſtro, quia lampades noſtræ extinguũtur. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne forte nõ ſufficiat nobis, et uobis, ite potius ad uendentes, et emite uobis. Dũ aũt irent emere, uenit ſponſus, &, quæ paratæ erant, intrauerũt cũ eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſime uero ueniũt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amẽ dico uobis, neſcio uos. Vigilate itaq;, quia neſcitis diẽ neque horã.

EXPOSITIO.

VIrgines ſapiẽtes ſunt, quę in bonis operibus, non alienã laudem, ſed teſtimonium propriæ conſcientiæ quærunt, ac cum Apoſtolo dicunt. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimoniũ conſcientiæ noſtrę. 2. Cor. 1. Stultæ ſunt, quæ propter auram popularem, & adulatorum laudem bona operantur.

Ne fora

Ne forte non sufficiat nobis &c. neq; superbiæ, neq; desperationis est, sed humilitatis. Quis enim sic præsumat de conscientia sua, ut certus sit eã sibi in iudicio Dei posse sufficere, nisi misericors misericorditer iudicet?

Lampades accensæ, sunt opera bona, de quibus Dominus dicit. Luceant bona opera uestra, & glorificent patrem uestrum &c.

Dormierunt omnes. Quia nõ tantum stulti, qui propter humanam laudem bona operantur coram hominibus, uerum etiam sapientes, qui hoc propterea faciunt, ut laudetur Deus, experiuntur istam mortem naturalem.

Media nocte clamor factus ostendit incertam mortis nostræ horam, in qua dominus quando non putamus, ueniet. Vide Augustinũ Epistola 120. ad Honoratũ de Gratia noui Testamẽti.

IN FESTO MAGDALENÆ Lucæ 7.

Requíre hoc supra in festo Mariæ Magdalenæ, folio 190.

ROgatus Dominus Iesus omnibus se humanum exhibet.

Peccatores non abominatur prorsus: pœnitentes uero efflictim amat. Pedes domini prius

oſculandi, dein caput: primo humanitas, deinde Diuinitas Chriſti probe conſideranda.

Multi amice ſuſcipiunt Chriſtum, ſed odioſe tractant, & male à ſe ablegant illum. Hæc ad Euchariſtiæ ſumptionem &c.

Bene tractant eum, qui idem officium, quod acceperunt à Chriſto, præſtant fratribus &c.

DOMINICA IX. POST Trinita. Luc. 16.



IN illo tempore dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius: Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem uillicationis tuæ: iam enim non poteris uillicare. Ait autem uillicus intra ſe: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me uillicationem? Fodere non ualeo, mendicare

care erubesco. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero à uillicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui dicebat primo. Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei, Dixitq; illi: Accipe cautionem tuã, & sede cito, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum corros tritici: Ait illi: Accipe literas tuas, & scribæ octoginta. Et laudauit dominum uillicũ iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatiõe sua sunt. Et ego uobis dico, facite uobis amicos de mãmona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

EXPOSITIO.

SVmmus omnium interpretum, Catholicorum sensus est, per diuitem in hoc Euangelio intelligi Deum patrem cęlestẽ, qui cũ sit creator, & cõseruator omniũ, quę in cœlis, & quę in terris, non immerito Diues appellari debet. Per Oeconomum quemlibet hominẽ intelligunt, qui, quicquid est, et habet, à Domino accepit, & sic accepit, ut si bene acceptis utatur bene habeat, sin male utatur, misere pereat. Mamamon iniquitatis, diuitiæ sunt, aut potius omnia illa bona, quæ nobis supra necessarium usum supersunt: ea enim accepimus non ut iis per luxũ abutamur, sed ut ea uertamus in usum, & commodum proximorum. Sed ad contextum. Homo diues habebat Oeconomum. Deus propter benignitatem, et misericordiã, merito homo uocatur, maxime uero, si de Deo dei filio intelligimus. Hic enim unus cum patre omnium rerum creator, conseruator, & dispensator est. Vnde & diues dicitur. Quia iuxta propheta, gloria, & diuicię in domo eius, & magnificentia eius eleuata est super omnes cœlos. Et rursum Dñi est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi, q habitant in eo. Et iterum tui sunt cœli, & tua est terra. Porro ne quis putet hæc ad Christum nõ pertinere, audi Christum ipsum in Euangelio dicentem. Omnia mihi à patre tradita sunt. Et rursum ad patrem. Omnia mea, inquit, tua sunt, & tua mea sunt. Hic ergo Deus, immo hic deus, & homo, habet Oeconomum. Non habet unũ

tantum,

tantum, sed multos. Quicquid uero hic de uno dicitur, de omnibus, & singulis intelligendū est. Et si autem omnes creaturæ Dei tā rationales, quā irrationales, quicquid habēt, & sunt, à dño acceperūt, tamē prēter hominem nulla creatura de acceptis donis tenetur domino reddere rationem. De animalibus brutis, de insensatis itē creaturis, qm̄ de hoc nulla est dubitatio, nihil op9 est dicere. De spiritibus malignis nihil est, q̄d ambigamus, quū certū sit illos sic in malicia obstinatos, et perpetuæ dānationi adstrictos, ut nunc̄ proficere possint: & qm̄ sentētia contra illos lata est, nulla posthac ratio ab eis quæretur. Boni uero Angeli, quoniam cōfirmati sunt in bono, ut nunquam deficere in eo, multo minus aūt deferre illud possint, etiā nullam factorum suorū rationē dare cogētur. Solus restat homo: qui cū multa bona à deo acceperit, et hacten9 accipiat sitc̄ liberi arbitrij, ut possit et deficere, et pficere donisc̄ Dei uel male, uel bene uti, ille inc̄, cogēt rationē reddere uillicationis suę. Quid enim habet homo, quod non acceperit? Accepit autem, non ut tam liberalis. dei donis abutatur, sed ut eis utatur in honorem dei, & commodum proximi. Nā utrumlibet fecerit, ad aures Domini, à quo tāta dona accepit, perueniet. Sic enim habet Euangelij lectio. Quid hoc audio de te? Redde rationem uillicationis tuę: Iam enim non poteris uillicare.

Nihil opus est hic inquirere, qui nam sint, qui nos diffamant apud Dominum. Scimus ex ueterum scripturis, sanguinem Abelis de terra clamare ad Dominum: Et clamorem Sodomitici cum ascenderet usq; in cœlum. In Ecclesiastico
Eccle. 35. item legimus. Non despiciet Dominus preces populi, nec uiduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lachrymæ uiduæ ad maxillam descendunt, & Dominus exauditor non delectabitur in eis. Et ibidē. Oratio humiliantis se, nubes pertransit, &, donec propinquet, non cōsolabitur &c. Venimus ad scripturas Noui testamenti, et inuenimus Christum dicentem, Quod Angeli paruulorum semper uident faciem patris nostri cœlestis. Iam si Angeli sunt, qui præces, & Eleemosynas nostras offerunt in conspectum domini, quis dubitabit etiam nostra malefacta uenire in conspectum Domini? Hæc non dico, quasi Dominus non sciat nostras actiōes, nisi ab Angelis bonis, uel malis audierit, sed tantum adduxi hæc ad apertionem parabolæ huius expositionem. Nemo putet se aliquid, ignorante Deo, facere: nemo putet se impune, quæ lubet, posse facere. Oculi domini contemplantur uniuersam terram. Et, statutum est hominibꝰ semel mori, et post hoc iudicium. Quādiu in hac uita sumus, & possessiones nostras quiete possidemus, tunc omnia uidentur in nostra esse potestate. Sed sciamus hoc esse tempus laboris, non mercedis: misericordiæ, non iudi-

cij: pœ-

cij: pœnitentiæ, non pœnæ. Vocamur quidem ad reddendam rationem, nunc beneficijs Dei, nunc minus, nunc flagellis: iam per scripturæ lectionem, iam per prędicationem: Quoties enim in mentem uenit nos esse mortales, statim etiã succurrere nobis debet, quid nam futurum sit post hanc uitam. Vocamur, inq̃, in præsenti, admonemur, sic pertranseamus temporalia, ut nõ amittamus æterna. Vocamur in præsent, non ut hic rationem subducamus, sed ut nos ad futuram rationem præparemus. Quam diu enim in hoc mundo sumus, licebit dispensare, licebit res nostras disponere, & distrahere, siue hoc facto, siue uoluntate tantum facias. Finita uero hac uita, iam frustra conaberis res tuas disponere, frustra uades cum fatuis uirginibus ad emẽdum oleum. Cura igitur, ut in tempore res tuas agas. Iam hora est nos de somno surgere. Non tardes igitur conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Veniet enim nox, inquit, Christus, quãdo iam nemo potest operari. Sed de hac re plus satis. Obseruandum tamen hoc loco, quam prudenter, & quam amice dominus siue paterfamilias agat cum Oeconomo suo. Hic, ut audiuimus, apud Dominum suum delatus est, ac si dissipidasset bona illius. Porro Dominus non ignorans, quã facile aliquãdo soleat falso de famulis iudicare, et quod subinde aliqui insidia moti contra fideles famulos, quos uidẽt in precio apud Dominos esse, multa de illis mẽ-

Ecclę. 8.

tian⁹ur, & apud Dominos illorum traducant, quo ſcilicet ipſi poſſ⁹nt hac occaſione ad illud officium uenire. Nam hodie omnia fraudibus, dolis, & mendacijs ſunt referta. Hæc, inq̃, quoniam non ignorabat Dominus, non ſtatim credit delatoribus, non ſtatim⁹ arreptum Oeconomum ad carceres ponit: ſed uocat eū, obĵcit accuſationem, interrogat, num ſe res ſic habeat: & ne Oeconomus putet ſibi fraudē fieri, poſtulat Dominus ab eo rationem. Tu, inquit, redde rationem uillicationis tuæ &c. Non inquit ad tortores, ſiue Apparitores. Accipite nebulonē, in uincula conĵcite furem, egó interim accipiā libros illius, & diſquirā, recte ne, an male res meas diſpenſauerit. Tantam iniquitatem non facit Dominus: ſed Oeconomum uocat, & ab eo poſtulat rationem: hoc enim æquum, hoc iuſtum, hoc pio patre familias dignū erat. Cur ego hæc tam multis agam, qui mores quorundam Tyrannorum nouit, facile iudicare poterit: Si accuſari ad pœnam ſufficit, quem dabis mihi innocentem? Sed deſino. Quæ in parabola ſequuntur, non neceſſe fuerit ſingula exponere ſpeciatim. Suffecerit nos intelligere mentem Saluatoris, & obſeruare ea, quæ ad mores noſtros in melius reformandos facere poſſunt. Oeconomus non diſſimulat Domini admonitionem ſed ſecum inĵt rationem, quomodo ſibi in futurum proſpiciat, quum in præteritis non admodum prudenter egerit.

Fodere

Fodere, inquit, non ualeo, mendicare erubesco. Duo sunt maxima incommoda quæ causant pigritia & superbia. Pigritia obstat, quo minus laborare ualeat, nam hactenus in ocio, & sub umbra delituit. Superbia obstat, quo minus mendicare ausit. Pudet enim tam gloriosum Thrasonem (qui hactenus alieno ære luxuriatus fuerat) hostiatim ire, & mendicato pane uiuere. Multos habet hic Oeconomus fratres in primo, scilicet qui fodere, hoc est laborare præ pigritia non ualent. Sed in secundo non usque adeo multos habet. Nam quis non uidet, quam ingens iam sit mendicantium numerus, quum tamen plerique omnes satis habiles, agiles, & fortes essent ad laborandum? Sed hæc res à me alibi sufficienter acta est. Nos iam uideamus, in quibus rebus nobis Oeconomus ille imitandus ueniat: Certe non in eo, quod dilapidauit bona domini, & deinde rursus de eisdem bonis defraudato domino, sibi amicos conciliauit, nam hoc duplex nequitia est, & conduplicata iniquitas, ei maius damnum facere, cui prius iniuriam feceras. In quo igitur imitandus nobis erit? In eo, quod admonitus à domino cepit rem suam diligentius (non dico iustius) curare, & quæ hactenus neglexerat, postea maiori fœnore resarcire. Sic & nos, quę hactenus imprudenter negleximus,

post

post hac prudenter,& diligenter curemus,& sicut hactenus exhibuimus corpora nostra arma iniquitati,& immunditię:ita deinceps exhibeamus corpora seruire iustitiæ in sanctificationē. Iam satis dormitum est, satis procrastinatū est, iam coruinum cras, & cras sæpius, quam par est,audiuimus. Acceperas à diuite illo parte familias sapientiam,intellectum,et scientiā copiosiorem præ alijs,& accepisti, ut donis illis præcioſis adiuuares simplicitatem, & innocentiam fratris tui, si hoc feciſti, bonum est, sin minus, age ergo,ut post hac tanto diligētius simplicioribus patrocineris. Acceperas à Domino robur, & incolumitatē corporis, non ut uiolentia tua imbecilliores opprimeres,sed ut tua fortitudine eos ab aliorum uiolentia,& tyrannide liberares. Idem iudicamus de diuitijs tibi conceſſis, quibus non, niſi ad honorem Dei, & commodum proximi tui uti debebas. Vide ergo,ut omnibus hiſce donis ſic utaris, ne aliquando accuſatus à Diſpenſatione ejicere. Dominus benignus,& patiens est, non præcipitat ſententiam, neminem indicta cauſa condemnat, non omnibus delatoribus credit, Iuſtus est, & omne eius iudicium rectum est. Tu autem ne abutaris eius pacientia. Fac tibi amicos de Mammona iniquitatis, ut in tempore neceſſitatis habeas, qui tuam ſubleuent inopiam. An non uides, quā prudenter res ſuas diſpenſent filij huius ſæculi? Quā diligenter laborent pro conſeruando corpu-

ſculo.

sculo, quod tamen necessario perditioni obnoxium est, pro conseruandis rebus tẽporalibus, quas tamen secum ferre non possunt? An tu remissius, & negligentius ages, pro conseruanda anima, quæ immoralis est, perpetuo uiuere cogetur, siue in perpetuis erumnis, siue in perpetua fœlicitate, pro recuperandis æternis bonis, quæ nemo nobis eripere poterit unquam? Det dominus, à quo accepimus, quicquid sumus, & habemus, ut donis suis sic in hac uita utamur ut etiam fiamus, hæredes uitæ æternæ, dignique æternorum bonorum possessores, præstante domino nostro Iesu Christo &c.

DOMINICA X. POST Trinita. Luc. 19.



N illo tempore, ut appropinquauit Iesus uidens ciuitatem Hierusalem, fleuit super illã dicens, Quia si cognouisses, &, tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab ocu-

ab oculis tuis, quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coangustiabũt te undiqꝫ, & ad terram prosternẽt te, & filios tuos, qui in te sunt: Et non relinquent in te lapidẽ super lapidẽ eo, quod non cognoueris tempus uisitationis tuę. Et ingressus in templũ cæpit ejcere uendentes in illo, & ementes, dicens illis, Scriptũ est, Quia domꝰ mea, domus oratiõis est, Vos autem fecistis illam speluncam latronũ, Et erat docens quotidie in templo.

EXPOSITIO.

FElix nimiumqꝫ felix est, quẽ, iuxta uulgi sententiam, aliena pericula faciunt cautum. Felicius enim, & tutius est, ut alienis incommodis edocti futura mala effugiamus, quã ut alijs nostro periculo admoniti sapere incipiamus. Et certe nõ aliam ob causam nobis conscriptæ sunt historiæ, nisi ut ex hijs discamus quid nobis fugiendum, quidue sectandum. Iam qui publicis

publicis exemplis non mouetur, nescio, an priuata admonitione aliquid apud illum efficias. Deus non habet respectum personarū, et qui aliquādo magnæ Genti peccatrici nō pepercit, putas quod tua priuata peccata perpetuo dissimulaturus sit? Iustus est Dominus, inquit Psaltes, et rectum est iudicium illius. Hoc cum Iudæi animaduertere nollent, perpetuoq; Dei patiētia abuterentur, tandē suo maximo malo, et didicerūt et experti sunt, Dei comminationes, nequaq; esse contemnendas. In ueteri testamento sæpissime legimus Prophetas Iudæis futura flagella, & Dei uindictā Iudæis prænunciasse, sed hijs præmonitionibus, nihilo meliores effecti sunt Iudęi immo pertinatiores facti monitores suos in uincula coniecerunt, qua re factum est, ut etiā grauiorem Dei iram experti fuerint. Idipsum & in Nouo testamento Iudæis accidit. Nam, quum neq; Christū, neq; huius Apostolos audire uellent, factum est, ut eueniret super illos, quod in hodierno Euangelio eis à Christo prædicitur. Sed uideamus contextum. 4. Esd. 8.

Vidēs Iesus ciuitatē, fleuit super illā.

Lachrymę et fletus Christi satis testantur nō esse rē leuē, non esse risum, de quo hic dicturus est, sed rem fletu, & commiseratione dignissimam. Quod enim hoc loci legimus, in ipso Palmarum die factum est, in quo Christus maximo & uere Regio honore à ciuibus Hierosolymorum

susceptus

suſceptus eſt. Et in tanto honore, in tam celebri triumpho, nō potuit Chriſtus abſtinere à lachrymis, certo ſciens hunc populi affectum non fore diuturnum, ac Hieroſolymorum ciuitatē non perpetuo permanſuram in tanta proſperitate, ſed miſerrime perituram. Pulcherrimū hic habemus exemplū, ne in rebus noſtris proſperis fratris noſtrorum afflictionum obliuiſcamur. Scriptum eſt enim. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Et iuxta Pauli Philoſophiam, ea eſt membrorū inter ſe ſocietas, ut, ſi quid patiatur unum membrum incommodi compatiantur illi omnia membra, &, ſi gloriatur unum membrum, congaudeant & reliqua mēbra omnia. Nec enim Chriſtiani hominis eſt in ſua proſperitate plurimum exultare, & nō curare, ſiue bene, ſiue male ualeat frater tuus. Diximus de Chriſto, qui in tam magno honore non amicorum ſuorum, ſed hoſtium ſuorum deflet interitum. Non enim uult mortem peccatoris, ſed magis, ut conuertatur, & uiuat. Sed audiamus rurſum Chriſtum loquentem.

Vtinam cognouiſſes, & tu (& quidem in hac die tua) quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Vtinam, inquit, O ciues Hieroſolymitani, præſciretis, quemadmodum ego præſcio, quanta mala uentura ſint ſuper uos, ſed hæc

sed hæc uos latent, nec prædicenti mihi creditis. Vtinam cogitaretis super his rebus, uel in hac ipsa die. Morbus non omnino est incurabilis, nondum desperandum est. Quod peccatum est, facile condonabitur, tantum in posterum abstinete, & nolite peccata peccatis addere. Vulgus prouerbium habet, diuos non timeri, nisi miracula operentur. Et uerum est, non moramur Dei minas, sed eas porro contemnimus, nisi in caput nostrum fulmina illius fuerint emissa, tunc icti utcunq; sapere incipimus. Sed quid ait sapiens. In die bonorum, non sis immemor malorum. Hoc non animaduertunt homines, sed sit quod ait Salomon in Ecclesiaste. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala. Sic Hierosolymitani dum temporali fruuntur fœlicitate, dum omnia uidentur in tranquillo esse, pollicentur sibi omnia perpetuo fore prospera, se habere Deum propicium, nec necesse esse, ut uitam moresque suos mutent in melius. Sed quid ad hæc Christus. Ecclc. 8.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui uallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undiq; &c.

Hæc omnia post domini ascensionem facta esse, tam sacri, quã prophani historiographi testantur. Loquor de Iosepho, Agesippo, & Eusebio, qui deuastationẽ huius magnificæ urbis q̃

diligentiſſ. cõſcripſerunt. Sed quare tanta mala paſſi ſunt Iudæi. Quia nõ cognouerunt tempus uiſitationis ſuæ, ait Chriſtus, hoc eſt, quia, benemonentes audire noluerunt, qui non declinarũt à malo, nec ſectati ſunt bonũ. Sed ait quiſpiam. An non ſatis honorifice acceptus eſt ipſo Pſalmarũ die à Iudæis Chriſtus? Alij ſtrauerũt ueſtimenta ſua in uia, alij percuſſerũt ramos de arboribus, atq; deiecerunt ſub pedes domini, rurſum alij honorificis cantionibus laudes illius canebãt. Quid ultra facere debuerũt? Reſpondeo dominus nõ iuſſerat ueſtes proijcere, ſed his ueſtire pauperes. Nõ quærebat ramos arboris, ſed fructus charitatis. De cantionibus iã olim per Prophetã dixerat. Populus hic labijs me honorat: cor autem eorũ longe eſt à me. Nolo tãtum cõſyderes, quid in Palmarũ die fecerint Iudei: ſed uide etiã, quid in die Paraſceues. Quæ in Palmarũ die fecerunt Iudæi Chriſto, hæc poſſent etiã facere impij quiq;. Impleant prius legẽ domini, agãt pœnitentiã: declinent à malo, & faciãt bonũ: poſtea ſi cõmodũ uidebitur, externa huiuſmodi põpa excipiãt Chriſtum. Nõ amat dominus eos, qui, tantũ externis ceremonijs ilſum uenerari uolunt, dilectionẽ uero dei, & proximi non curant, Euangeliũ quidem hic loquitur de Iudæis: ſed quis non uidet etiam hæc in nos cõpetere? Aduerſarij noſtri nuſq; non iactant Euangelium Chriſti, quum nemo magis, quam ipſi contra Chriſti Euangelium pugnẽt.

Nos

Nos iactamus autoritatẽ Ecclesiæ, & traditiones patrũ, quũ interim nostris malis moribus dehonestemus Ecclesiã Christi spõsam, & non traditiones patrũ, sed pessimas corruptorũ hominũ consuetudines sectemur. Et interim ñ suauiter nobis blãdimur, ac in sinu gaudentes alter alteros calũniamur: nos illis deprauatũ Euangeliũ, illi nobis corruptã Ecclesiã obijciũt, & meo iudicio uẽ ri fit iniuria, utri q̃ uera dicũt. An nesciũt putabimus Deũ mutasse animũ suũ, & iã amare, q̃d olim oderat, peccatũ? Et ideo dissimulare iniquitates nostras, quia punire non ualeat? An nullos iã habet Titos, nullos Vespasianos, nullos Nabuchodonosores? Sed forte fortiores sumus Hierosolymitanis, nec est q̃ nobis preualere possit. Non sic impij, nõ sic. An nõ satis respõdet Turca crudelissimus Tito, aut Vespasiano? An nõ iã olim de nobis sumit pœnas Christus dñs Iudex iustus? Quãtũ numerũ fratrũ nostrorũ in breuibus, & paucis annis perdidit Turca. Quot captiuos abduxit? Quã magnis excursionibus, & incursionibus fratres nostros exagitat? Nisi fratres nostri non sint, quib. nobiscum est unus Christus, unũ baptisma, una fides? Scio hæc multos aut ridere, aut saltẽ leuiter curare. Qd' quãto suo, & aliorũ periculo faciãt, satis in tẽpore experiẽtur. Iã in fabulã abijt, sacerdotes allegare Satanã, Pastores lupũ, Regẽ Turcã, tm̃ ut hac occasione peccuniã à nobis emungãt. Risus hic, uereor, non ita multo post seria ducet:

Vide Mat. 11. quid Capernaũ, et Tyrus audiat.

Satanas hæc nobis obtrudit, in pœnitentiã negligentes, & peccata peccatis accumulantes, tãdem grauiora mereamur supplicia. Nisi plane cæci simus, satis uidemus, quãta mala intentet nobis dominus. Sunt forsan qui hęc agnoscũt, sed putant se innocentes, nihilq; commeritos mali. Aduersarij dicunt, deum ideo nobis iratũ esse, quod Lutheri Euangelium nolumus recipere. Ego uereor, ne pestilentissimum hoc Lutheri Euangelium in causa sit, quod tantis malis obruimur. Nos accusamus Lutheranismum, & benefacimus, sed interim etiam professionis nostræ sumus immemores. Recte facis quod abominaris malam, & peruersam doctrinam. Sed male facis, quod non uiuis Christianam uitam. Sed hæc satis: quæ sequuntur uideamus.

Et ingressus Templum, cæpit eijcere ementes, & uendentes &c.

Non minima huius impietatis causa fuerũt sacerdotes iudęorũ, qui corruptis suis moribus, et deprauata doctrina corruperãt populũ, quẽ magis urgebant ad sacrificia, quã ad misericordiã. Oẽs enim, sicut propheta dicit, studebãt auaritiæ. Igitur ut Christus ostenderet, aut potius euelleret radicẽ omnis mali, ingressus templũ, cepit eijcere uendẽtes & emẽtes de tẽplo: & addit facti tui causam, nõ simplicẽ, sed prophetica sententia roboratã. Scriptũ est, inquiẽs, domꝰ mea, domus orationis uocabitur. Vos autẽ fecistis spelũcam

spelũcã latronũ. An ne tantum domus oratio-
nis? nõne & gratiarum actionis? & prædicatio-
nis? & Sacramentorũ administrationis? Vtiq;
Nã orationis uocabulo cõpræhendunt omnia,
quæ ad cultũ diuinum spectant, quẽadmodũ &
alibi inuocationis nomine uniuersus diuinus
cultus appellatur. Vt in Genesi legimus, quod
Enos cæperit primus inuocare nomen domini.
Et Saulus persequabatur omnes, qui inuocabãt
nomẽ Iesu, hoc est, qui amplectabãtur fidẽ, et re-
ligionẽ Christianã. Igitur quod dominus hoc
in loco cõqueritur domum orationis, in spelun-
cam latronũ conuersam: nihil aliud conqueri-
tur nisi in domo domini homines perdi, quorũ
salus in ea procurari debebat. Nã principes sa-
cerdotum falsa doctrina corrũpebant populo-
rũ animas, & suis traditionibus euacuabãt eo-
rundã loculos: inde sequuta est omnium rerum
corruptela, & peruersitas, tã in clero, quã in ple-
be. Quã rem quũ emẽdare conaretur Christus,
in crucẽ à principibus, & plebe actus est. Quod
grãde peccatũ, ne inultũ remaneret. 40. fere an-
nis post Ascensionẽ domini excitauit dominus
Titũ & Vespasianũ cõtra Iudæos, & sequuta est
Hierosolymorũ deuastatio, de qua in hodierno
Euangelio legimus. Hæc quidẽ contigerunt il-
lis, scripta sunt aũt ad nostri admonitionẽ. Fœ-
lix igitur & iterũ fœlix, quemadmodũ ab initio
diximus, quẽ faciunt aliena pericula cautum. E-
mẽdemus igitur, quæ uel ignoranter, uel licenter

peccauimus, nequãdo naſcatur dñs, & in uirgã ferrea uiſitet iniquitates noſtras. Iã eſt tẽpus uiſitationis noſtrę, iã eſt tempus pęnitendi. Operemur igitur, quã diu dies eſt. Veniet nox, qñ iã nemo operari poterit. Ne uelimus deũ externis tãtũ cęremoniis colere, ſed adoremus eũ in ſpiritu, & ueritate, & ſeruiamus proximis noſtris omni animi promptitudine, tunc uiſitabit nos dñs in hac uita gratia ſua, & poſt hãc dabit nobis uitã ſempiternã per Chriſtũ dñm noſtrũ. Amen.

DOMINICA XI. POST Trinita. Luc. 18.

IN illo tempore dixit Ieſus ad quoſdã, qui in ſe cõfidebãt, tanq̃ iuſti, & aſpernabãtur cæteros, parabolam iſtam, dicens: Duo homines aſcendebant in templum, ut orarent, unus phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat. Deus gratias ago tibi, quia non ſum, ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti,

iusti, adulteri, uelut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in Sabbato, decimas do omniũ, quæ possideo. Et Publicanus à longe stans, nec oculos uolebat ad cœlũ leuare, sed percutiebat pectus suum dicẽs. Deus, propitius esto mihi peccatori: Dico uobis, descẽdit hic iustificatus in domũ suã ab illo. Quia oĩs, qui se exaltat, humiliabitur, &, qui se humiliat, exaltabitur.

EXPOSITIO.

SAnctus Lucas Euãgeliographus noster in uestibulo huius Euangelij, satis aperuit nobis sanam huius Euangelij interpretationem, quũ indicauit nobis, cõtra quales homines hãc parabolã dominus recensuerit: nimirũ contra quosdã, qui in se cõfidebant, tanq; iusti, & aspernabãtur cęteros. Duo etenim mala, eadẽq; grauissima peccata sunt: primũ in semetipsum cõfidere, quũ Paulus dicat. Qui se existimat stare, uideat ne cadat. Et iterũ. Qui gloriatur, in dño glorietur. Non enim qui se ipsum comẽdat, ille probatus est, sed quẽ deus cõmen-

dat. His adiũge, ꝙd Salomon dicit. Septies in die cadit iustus. Et rursum. Quis est homo, qui faciat bonũ, & nõ peccet? Huius patrẽ audi iã filio cõcinnentẽ. Dilecta quis intelligit? ab occultis meis mũda me domine. Hęc igitur quũ ita se habeãt, quis potest semetipsum pro iusto reputare, ac in semetipsum cõfidere, quasi ꝓpria sua iustitia posset sibi cõciliare deũ, ac proprijs meritis auertere irã dei. Ego certe malim cũ Propheta dicere. Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo dñe: quia nõ iustificabit in cõspectu tuo omnis uiuens. Si enim iniquitates obseruaueris dñe, ô dñe, quis sustinebit? Vides quã periculosum sit in propriã cõfidere iustitiã? Iã alterũ nõ minus peccatũ est, scilicet aspernari cęteros. Quis enim tu es, qui iudicas alienũ seruũ? In quo iudicio iudicas aliũ, temetipsum cõdẽnas. Si enim peccatores cõtemnendi, imo et perdẽdi sunt tuo iudicio, quid de te fiet, qui à peccato immunis non es? Sed explicemus parabolam ipsam.

Duo hoẽs ascẽdebãt in tẽplũ, ut orarẽt: unus phariseus, alter publicanus.

Toties de phariseis, & publicanis, qui, aut quales fuerint, diximus, ut non sit necesse plura hic adijcere. Phariseí nõ cõdẽnant ob phariseismũ, sed ꝙd sub specie pietatis, impietatẽ sectabãtur. Sic publicani, nõ ꝙd publicani erãt, sed ꝙd sub Publicanorũ noie rapturas faciebãt, reprehẽdũtur. Nã publica curare in reb9 tã sacris ꝗ ꝓphanis, nõ ẽ malũ, sed illis cõtra dei honorẽ, et cõtra

charitatẽ proximi abuti, malũ est. Nec etiã hĩ duo reprẽndũtur, quod Tẽplum intrauerint orãdi gratia: Domus mea, domus orationis uocabitur, inquit, Dominus, qui & ipse subinde in Templo orauit. Sed accusatur Pharisæus, quod oraturus proximum cõtempserit, quod in templum orandi gratia ingressus, non orauerit, sed semetipsum commendauerit. Sic multi iam ingrediuntur Templum, simul autem at fuerint ingressi, statim obliuiscũtur, cur accesserint. Sed quid ego dico multos ingredi templa? Paucos debebam dixisse, & etiam eos paucos nõ facere in oratorio, ut Augustini uerbis utar, ad quod constructum est. Audiamus obsecro, quam diligenter nobis depingat Lucas Pharisæum.

Pharisæus stans hæc apud se orabat.

Non temere scribit Lucas Pharisæum stando orasse, & apud se orasse. Stans orabat, non genibus flexis, ut uel ipso corporis gestu, uel habitu significaret se non humilem, sed superbum esse: Non quod peccatum sit orando uel stare uel supinum in lecto iacere: sed plerumq; prostrati in terram, & genibus flexis orant, qui bene affecti sunt erga Deum, & quibus res pro quibus orãt, cordi sunt. Quod uero inquit Pharisæum apud se orasse, significare uoluit, ipsum non alta, sed submissa uoce orasse: sic ut homines non potuerint, quæ oraret, scire: Verum, licet tacitè apud se orat, tamen Christum, qui scruator est cordium, latere potuit minime. Certe multi uidẽtur

nobis orare tã ex clericis, quã ex plebeis, qui nihil minus faciũt, quã orant. Sed ad Pharisæum.

Deus gratias ago tibi, quod non sum, sicut cæteri hominum &c.

Quod Deo gratias agit, nõ uituperio, sed laude dignum est: nam & Paulus iubet nos in omnibus Deo gratias agere, utpote à quibus omne id est, quod habemus, et sumus. Quod uero se reliquis hominibus præfert, hoc est, se laudat, & alios contemnit, hoc excusari non potest. Non sum, inquit, sicut cæteri hominum. Diceret saltem, ait D. Augusti. sicut multi homines. Quid est cæteri homines, nisi omnes præter ipsum. Ego inquit, iustus sum, cęteri peccatores. Ergo nemo tam sanctus, & iustus, quam Pharisæus. O temerarium iudicium. Reseruauit sibi adhuc Dominus haud dubiè multa milia, quibus sua probitate Pharisæus hic superbus nequaq̃ conferri potest. Et si qui olim fuerunt peiores, iam forte resipuerunt. Sed dic, qualis es, & qualis non es nequissime, & superbiss. Pharisæe.

Non sum sicut cæteri hominum, Iniusti, raptores, adulteri, uelut hic etiã publicanus. Postremum credimus, quod nõ sit, sicut publicanus: quia, iuxta Christi sentẽtiã, hic iustus, et bonus est, tu uero iniustus, et condẽnatus. Dicit quidem se Pharisæus non esse iniustum, hoc est se esse uirum bonum, sanctũ, & integrum

tegrũ: quare? Quia neq; raptor est, neq; adulter est, neq; publicanus est. Ergo statim boni sunt, & iusti sunt, qui neq; rapinæ, neq; adulterij accusari possunt? Non ita est, superbissime Pharisæe. Magnũ crimen est, fateor, rapere per uiolentiã res alienas, committere adulteriũ: sed sicut etiã alia crimina, quæ iniustũ reddũt hominẽ. Quid si uiolenter non rapias res alienas, per fraudem aũt, & usurã insidiaris substantiæ proximi tui? Nec satis est ipso facto non commisisse adulterium, nisi etiã oculos tuos, & cor tuum ab omni mala concupiscentia illibatum seruaueris. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, inquit Christus, iam mœchatus est eam in corde suo. Et Paulus 1. Thess. 4. scribit. Hæc est uoluntas Dei, ut abstineatis uos à fornicatione: ut sciat unusquisq; uas suũ possidere in sanctificatiõe, & honore: non in passione desiderij, sicut & gẽtes, quę ignorant Deum. Parum igitur est, etiãsi Pharisæus nõ fuerit uel adulter, uel raptor. Nec est quod neminem sibi similem putet in toto mundo. Esto ipse non sit raptor: inueniet alios, qui non tantum non inuadunt res alienas, sed sua propria distribuunt pauperibus. Contineat se Pharisæus ab adulterio, ac fruatur laude sua: modo sibi præferri patiatur eos, qui in perpetua Virginitate uiuunt, aut si etiam habent uxores, sunt tamen tanquam non habentes. Pharisæus etiam se dicit similem non esse publicano, sed meliorem. Atqui non omnes publicani

blicani mali sunt &, si mali fuerunt, possunt facile ad meliorem frugem conuerti. Exemplo tibi sit Mathæus,& postea etiam Zacheus. Audiuimus ergo à quibus malis abstinuerit Pharisæus, & laudamus etiam eum ac præferimus multis huius sæculi Christianis,quibus rapina, & adulterium lusus est,nõ peccatum. Immo qui talia faciunt, uiri fortes esse à multis iudicantur. Sed sinamus Mercurij fratres,& ueneris adulteros huiusmodi,& uideamus,quibus uirtutibus Pharisæus operã dederit. Ieiuno bis in Sabbato,decimas de omnium,quæ possideo. Pulchre se hæc consequuntur in gratiarum actione Pharisęi. Nam qui frequenter ieiunat,qui crapulam fugit, facile effugiet adulterium: uel ipsis Ethnicis testibus,quorum sententia est. Sine Cerere, & Bacho Venerẽ frigescere. Et qui sua propria, uel quæ alijs debet, fideliter exponit, non facile committet rapinam. Rursum hic præferendus uenit Pharisæus, quibusdam huius sæculi hominibus, qui pro ieiunijs, crapulam: & pro decimatione, rapinas iactare solent: Et hij maxime faciunt, quibus non sufficerit uocari Christianos nisi et Euangelici uocẽtur: hijs ieiunium,hypocrisis est,& rapina, eleemosyna. Talibus facile pręire poterit Pharisęus ille in Choro bonorum uirorum. Necꝫ tamen excusare ausim Pharisæum,quod sibi hijs uirtutibus tam insolenter blanditur, quasi pares non habeat

habeat. Laude dignum iudico eum, qui bis in Hebdomade ieiunat: sed quod loco habebis eos, qui perpetuo non plus manducant, quã summa naturæ necessitas postulat? Sic nõ uitupero Pharisæum, qui decimas dat omnium quę possidet: sed maioris facio illos, qui relictis omnibus, nudi, & pauperes, nudum, & pauperem sequuntur Christum. Et hactenus quidem audiuimus quibus uerbis compellarit Deum Pharisæus, qui orationis ergo intrauerat Templum. Quid porro rogauerit, inquit August. quęre in uerbis eius, nihil inuenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare? Se laudare? insuper & roganti insultare. Hómines quidã possent aliquo modo Pharisæũ excusare de omnibus quæ hic dicit, quantum quidem ex externis uerbis iudicari potest. Verũ Christus, sicut supra diximus, scrutatus Pharisæi cor sententiam tulit, cui nemo præiudicare poterit. Per me, imò & per Christum licebit tibi Deo gratias agere, quod sua gratia te à rapina, adulterio, furto, homicidio, & id genus reliquis criminibus cohibuerit: modo ne cõtemnas proximum tuum, nec confidas te sic abstinuisse à malo, & sectatum bonum ut gratia & misericordia Dei non egeas. Certe hic Pharisęus putabat sibi sufficere suam iusticiam ad salutẽ, nec opus habere aliqua misericordia, siccę suam uolens statuere iusticiam, iusticiæ Dei noluit subijci. Et hæc quidem hactenus de Pharisęi superbia: iam

humilitatem

humilitatē Publicani audiamus. Publicanꝰ à longe ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. In ſuperioribus accuſauimus Phariſæum dicentes ſuperbiæ non pietatis eſſe, quod ſtando, & genibus flexis pręcaretur: quid igitur dicemus iā de publicano, qui itidem ſtās, nō procumbens orat? Dicemus ex Phariſęi uerbis, & Chriſti ſententia nos intelligere faſtū Phariſęi, unde et externos geſtus illius nō potuimus in meliorem interpretari partē. Iam uero tā bona, & humilia ſunt uerba Publicani, ut cætera, quæcumq; agit, illi in meliorē partē interpretari cogamur. Necq; enim refert quales geſtus ſint precantiū, ſed qualia corda, & quales, ut iam loquuntur, intētiones. Et plerūq; fit, ut peſſimæ hypocritę, meliores piorū hominū geſtus imitentur. Proinde ex ſolis externis geſtibus de aliq; certò iudicare nec poſſumus, nec debemus. Sed ad cōtextū. Publicanus à longe ſtat, lōge remotus uidelicet à ſacris altaribus, &, ut nos iā loquimur, longe à choro ſacerdotū, ut qui ſe indignū iudicabat uel aſtare bonis uiris. Et nolebat oculos ad cœlū leuare: non audens ſcilicet ad eum reſpicere, quē tocies peccādo offenderat. Cogitabat enim, quod prodigus ille filius. Pater, peccaui in cęlū, & coram te. Deinde percutiebat pectus ſuū oſtendens

ostendēs nimirū sicut Græci adnotarunt, quod plagis dignus sit, & q̄d cupiat fontē peccatorū repurgari, & obstrui. Nā ex corde exeūt cogitationes malę, homicidia adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: & hæc sunt, ait Christus, quę coinquināt hominē. Postremo dicit, Deus, propitius esto mihi peccatori. Non allego merita, nulla, inquit, habeo bona opera, sed prouoco ad tuā misericordiā: Ego peccator sum, tu misericors es. Ego pœna dignus sum, in te est, ut eam uel infligas, uel condones. Ego homo sum peccator: tu Deus misericors. Ego iniquitatē meam agnosco, & peccatū meū contra me est semper: Ego me accuso, & condemno, tu me absolue, tu mei miserere, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Hæc, & in eiusmodi sententiam rogauit publicanus, nec q̄ de seipso persumens, nec̄ alios præ se contemnes. Sed quid ad hæc Christus? Matth. 15

Dico uobis, Descendit hic iustificatus in domū suam potius, quam ille. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: &, qui se humiliat, exaltabitur.

Lata est sententia ab eo, cui pater omne iudicium dedit, hanc sententiam nemo retractare poterit, quia iuste lata est. Homo quispiam in ferenda sententia falsi potest, cum solum externum opus alterius hominis uidere potest;

&

& habent homines subinde affectus uel odij uel amoris, quos comprimere non possunt, & per quos subinde excęcantur, ut uerum & iustū uidere nequeant. Deus autem nemini iniuriā facit, etiamsi nō secundum iusticiam suam, sed secundum misericordiam suam nobiscum agat. Iudicium suum hanc rationem habet, ut superbos condemnet, eos nimirum, qui non ambiūt misericordiam, confidentes in propriam iusticiam, quæ tamē nulla, est, collata Dei iusticæ. Humilibus uero cōdescendit, ac eorum miseretur, nolēs uindicare in ipsis, quod ipsimet accusant. Huc facit, quod scriptura subinde dicit. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Proinde fratres Charissimi in hoc Euangelio audiuimus, quid nobis fugiēdum, quidue sectandi. Necesse est, si modo salutari cupimus, ut cū Pharisæo bonis operibus incumbamus, neq; tamen cum illo alios contemnamus. Nec esse est, inq;, ut cum Pharisæo mala fugiamus, & bona sectemur, neq; tamen sic in nostra opera cōfidamus, quasi hæc nostris uiribus fecerimus, sintq; hæc sufficientia ad consequendam salutem, nec opus habeamus Christi misericordia: hoc enim, si cogitaremus, actum esset de salute nostra. Sed potius sic agendum est. Gnauiter, & diligenter fac bona opera, honora Deum, inserui proximo, quantum poteris, & tamen in orationibus tuis, dic cum Publicano, Deus propitius esto mihi peccatori, sicq; fiet ut iustificatus per Dei misericor-

ricordiã, intres, non in domum tuam terrenam, sed in uitam æternam, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA XII. POST Trinitatis. Marci. 7.



IN illo tempore. Exiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galileę, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et appræhendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suscipens in cœlum, ingemuit, et ait illi: Effeta, quod est, adaperire, & statim apertæ

sunt aures eius, & solutũ est uinculũ linguę eiꝰ, et loquebatur recte. Et prę cepit illis, ne cui dicerent. Quãto aũt eis præcipiebat, tãto magis plus prę dicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes, Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

EXPOSITIO.

EX Euangelicis lectionibus, quibus nobis describuntur Christi miracula, duo nobis præcipue indicantur, nimirum ipsum dominũ nostrum Iesum Christum talem esse populi sui pastorẽ, qui & saluare diligenter uelit, & facere facile possit. Nullus enim est morbus incurabilis, nullus homo, quẽ nõ curare uelit, & ea parte qua maxime laborat, si modo hic illius pharmacũ recipere non renuerit. Ipse non uult mortem peccatoris, sed magis, ut conuertatur, & uiuat. Vult omnes homines saluos fieri. Omnes citra illum discrimen ad se uocat, neminem cõtemnit, neminem reiicit, omnibus dicit. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Nec tantũ ad se uocat oẽs, sed multis ipse obuiã uadit, ut res ipsa declaret, se ex animo nostram sitire salutem, noscq; ab ipso

ipso amari plurimum. Hinc est, quod nusq; diu in eodem loco manet, sed identidē circumcurs sitat, undiq; uenans benefaciendi occasionem. Ad hoc pertinet, quod in hodierno Euangelio legimus. **Exiens Iesus de finibus Tyri uenit per Sidonem ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos.**

Quod Marcus tam diligenter describit, quo itinere dominus uenerit ad fines Decapoleos, & quo loco Christus hoc, uel illud fecerit, non solū facit ad ueritatē historiæ, sed etiā arguit Christi uigilantiā, & diligentiam in expedidō cælestis patris sui negotio, & in procuranda nostra salute. Quum autem audis Christum si huc, uel illuc, hac, uel illac transisse, non temere audias, sed diligenter expendas, quas molestias peregrinus sufferre cogatur, nō solum ab hominibus sed etiam a cœli tempestatibus. Iam em̄ solis æstū, iā uentorū frigus, iam pluuiā, iam aliud, aliudq; incōmodū uiatores coguntur sufferre. Nā Iesum ex itinere defatigatum fuisse sępissime, non dubitamus, licet tantum semel de ipso scriptum sit, Christus enim seruator noster non solum humanā naturā in se susceptit, sed etiā oēs humanæ naturæ infirmitates, & molestias. Vnico excepto peccato. Ergo sicut pro me passus est Iudæorum calūnias, ita & pro me passus est frigus, ęstū, famē, sitim, lassitudinē. Hęc igit̄ omnia memineris, quoties audis Christū huc, uel illuc transiisse,

lā quid in finibus Decapoleos dominus noster fecerit, pauciſſimis ex Marco noſtro audiemus.

Et adducunt ei Surdum, & mutū, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Plerumq; fit ut mutus ſit, qui natura ſurdus eſt, nam nō niſi quod audimus, loqui ſolemus. An uero hic natura mutus, uel ſurdus fuerit, uel cum incolumis antea fuerat, à Dæmonio ſic flagellatus, & punitus fuerit poſtea, certo dicere nō poſſumus. Parū autē refert, quō miſer ille homo ad tantam miſeriam deuenerit, modo ſciamus huic præter Chriſtum, neminem ſubuenire potuiſſe. Quod ſi Satanę maleficio in tantā miſeriam deuenit, argumento eſt quā infenſus ſit humano generi, quod certe, niſi obſtaret Chriſtus, ad internetionē uſq; perderet. Sed qui nam ſunt illi, qui ſurdū, & mutum Chriſto curandum offerunt? Qui nam, aut unde uenerint ex Euangelio non liquet hoc autem dicere compellimur pro euidētia facti, fuiſſe uiros bonos, & integros, plenos fide & charitate. Niſi enim credidiſſent Chriſtū poſſe tantā ab homine illo miſeriam auferre, nequaq; adduxiſſent illi miſerū illum. Et niſi amaſſent hominem illū, de ſanatione ipſius nequaq; fuiſſent ſolliciti. Iā uero dolent uicem miſeri hominis, & quoniam per ſe ipſi ſubuenire non ualent, audiunt autem Chriſtum ſic clareſcere miraculorum operatione, nihil defidunt Chriſto, huicq; adducunt homi-

hominem, qui mutus & surdus erat, rogantes quatenus ille huic manum imponeret. Viderãt enim sæpissime multos infirmos ad impositionem manuum Christi conualuisse. Habemus itaq; in hac historia, quid debeamus Christo, quid idem fratribus nostris, illi uidelicet fidem, his uero charitatem. Si enim nos propensi, ac faciles fuerimus ad benefaciendum proximis: etiã ipse dominus, nostra benignitate prouocatus, non difficilis erit ad benefaciendũ nobis. Quod quam uerum sit, ipse contextus huius Euangelij hodierni abunde probat. Sequitur enim.

Et apprehendens eũ seorsum de turba, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius: & suspiciens ingemuit, & ait illi, Effeta, quod est, adaperire. Mirum est quod dominus Iesus tanto apparatu utitur ad perpetrandum hoc miraculum, ad sanandum hunc infirmum. Leprosos solo uerbo mundos fecit, cæcis solo uerbo aliquãdo uisum restituit, & quod maius est, mortuos, solo & unico uerbo ad uitã reuocauit: qui fit igitur quod dominus tot media ad curationẽ huius infirmi adhibuerit? Euangelista nullã ponit causam, sed non nullas non temere nos deprehendisse putamus. Hoc uerum est, de quo etiã neminẽ dubitare putamus, quoniam dñs Iesus, nõ dicã unico uerbo

sed solo nutu hunc surdū, & mutum curare potuerit. Qui enim potuit creare omnia, quę sunt, eademq; in suo esse conseruat, non difficulter poterit aperire aures surdorum, &, iuxta prophetam, linguas infantium facere disertas. Vtitur autē subinde medijs quibusdam certis de causis, quarum aliquot nobis sunt occultæ, quædam uero manifestæ. Hęc, inquā, certa, & indubitata sunt apud omnes Christi fideles. In hoc ergo curando homine tam multis, ac uarijs utitur circūstantijs, ut homines ad miraculum redderet attentiores: qui si uiderent hanc rem tanto studio à Christo agi, sanationem miseri hominis non ordini naturæ, sed Christi potentiæ adscriberēt, eiq; posthac in maioribus crederēt. Adde quod cęremoniæ ille quibus Christus usus est sua propria, & certa habēt mysteria: nos pauciſſimis hic rē absoluemus. Christus miserū hominē à turba seorsum ducit: nā q uere cupit saluus fieri, necesse est ut mundum, hoc est homines mūdanis uoluptatibus deditos fugiat. Qui enim noluerit amicus esse huius seculi, inimicus dei constituitur. Quod Christus digitos suos mittit in auriculas miseri hominis, designat eos tandē recta audire, & iusta, quibus digitus Dei, hoc est spiritus sanctus aures aperit. Sonet uox tua in auribus meis, clamat sponsa in canticis. Et apud Hieremiam conqueritur dominus de quibusdam, quibus sunt incircumcisæ aures. Tertio expuit Dominus, & sputo suo tangit

Can. 2.
Hiere. 6.

linguam

linguam illius. Tale ſputum, talem linguę attactum poſtulat ille, qui in Pſalmis dicit, domine, labia mea aperies, & os meũ annunciabit laudẽ tuam. Et rurſum in Pſalmis ei reſpondetur. Dilata os tuũ, & implebo illud. Quod cũ factum eſt, clamat. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Quarto ingemuit Chriſtus, & ſuſcipit, ipſo facto declarans, unde nobis petendum auxilium. Quinto cum uidemus Chriſtum hic tam multis cæremoniis, & quaſi mediis, & inſtrumẽtis uſum in ſanatione unius hominis ſurdi, & muti, admonemur, ne cõtemnamus etiam alias cæremonias, quibus Chriſtus in Eccleſia ſua utitur ad ſanandũ totũ genus humanũ. Noli ergo dicere. Quid opus eſt in adminiſtratione Baptiſmi aqua, ſale, oleo, ſputo, pane? Quid opus eſt ad Euchariſtiã perficiendam pane, & uino? Hæc, inquã, non dicere, noli cogitare, ne uideare uelle ſuper Chriſtum, & huius ſponſam Eccleſiam ſapere. Poſtremo ſi Chriſtus tantam operam impendit, ut unicum hominem ſurdum, & mutum ſanet, quam difficile fuerit eum curare hominem, qui ſpiritualiter mutus eſt, de quo paulo ante nonnihil dicere inſtitueram. Nam ille miſerabilius, & periculoſius ſurdus eſt, cui non ſunt aures idoneæ ad audiendum ſermonem DEI: peius mutus eſt, qui non habet linguam ad confeſſionem ſuæ turpitudinis, ac diuinæ miſericordiæ. Quid enim miſerabilius illis,

quibus aures mentis sic occupatæ, & impeditæ sunt terrenis cupiditatibus, ut non queant audire uerbum Dei, quod posset saluare illorum animas? Quid periculosius illis, quorum lingua ad blasphemias, ad maledicta, ad detractionem, & uerba turpia est promptissima, & expeditissima? Ad orandum uero, benedicendum, consolandum, mala sua confitendum est difficillima? Tales homines difficillime curantur. Quomodo enim cures ægrotum, qui nullum medicum audire sustinebit? Qui se bene ualere persuasum habet? Ad Christum igitur eiusmodi homines adducendi sunt, hoc est, diligenter pro talibus nos oportet orare, quatenus Christus illis aperiat aures, & linguam, ut auribus audientes uerbum Dei, corde credant ad iustitiam, ore autem confiteantur ad salutem. Sed hæc sufficerint ad intelligendum, quare Christus tam multis fuerit usus cæremonijs in sanatione huius surdi, & muti. Iam quæ ex sanatione secuta sint, & quam efficax fuerit Christi uerbum, audiamus.

Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur recte.

Nemo recte audiet, nemo recte loquetur, nisi cui dominus aperuerit aurē, & soluerit uinculū linguæ eius: nam qui dedit os, & linguam, idem solus dare potest, ut ijs organis recte utamur.

Satanas

Satanas uero, quum nobis, neq; os, neq; linguã dare possit, tamen solet ea aut in totum obstruere, aut ad abusum uertere, ut audiant, & loquantur quę nõ conueniunt: qua de re iam diximus. Eccle. 28. Sæpi igitur aures tuas spinis: & linguam neq; noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Quod si hoc in potestate tua non est, age dic cum Psalmista. Pone Domine custodiã ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis, ut non declinet os meum ad uerba maliciæ &c. Dominus enim aperit aures nostras, ceu dixi, & soluit uinculum linguæ nostræ, ut & recte audiamus, & quæ audiuimus, recte eloquamur. Recte autem audit, & loquitur, qui tantum ea et audit & loquitur libenter, quæ ad gloriam Dei, & commodum proximi faciunt. Quæ uero ea sint, non est necesse hic multis declarare, quum ea nemini Christiano sint abscõdita. Sequitur.

Et præcepit illis, ne cui dicerent.

Quare hoc facit? An ne pudet Christum tanti miraculi? An non satis conualuit surdus ille & mutus? Vtiq; satis conualuit: Sed Christus hoc præcepto nos admonere uoluit, ne in bonis nostris operibus, si modo aliqua facimus, uanam gloriam, & inanes laudes ab hominibus ambiremus. Nouerat quidem Dominus populũ, illum non taciturum tantum miraculum, sed nihilominus prohibebat. **Quãdo autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædi**

cabant, & eo amplius admirabãtur, dicentes. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Non male faciũt hic populi, quod Christi laudes deprædicant: sicut nec Christus male facit, quod illis interminatus fuerit, ne hoc miraculũ manifestarẽt. Sic enim fieri oportet. Nos nõ debemus nostras laudes uelle adnũciari, ac inde uane gloriari: Sed aliorum est benefacta laudare, & dignis muneribus remunerare. Pueris in Scholis dicitur. Officium alterius multis narrare memento. Tu si benefeceris alĩs, sileto. Quare autem admirãtur turbę? Tum quia Christus tantum miraculum fecerat, tum etiam, quod de se prædicari prohibuerat. Nam hoc ab alĩs hominibus non uiderant, uidelicet quod bene, & glorioſe facta sua uellent occultari. Laudemus itaq; & nos Deum nostrum, qui omnia benefacit, malimusq; esse Encomiastæ, quam Iudices operum Dei, sic enim declarabimus Deum aperuisse aures nostras, & soluisse uinculum linguæ nostræ, noscq; recte loqui. Quod ut perpetuo faciamus, præstet nobis Iesus Christus Dei filius, cui laus, & gloria per infinita sæculorum sęcula. Amen.

DOMINICA XIII. POST Trinitatis. Luc. 10.

IN



IN illo tempore dixit Iesus Discipulis suis: Beati oculi, qui uidẽt, quæ uos uidetis: Dico enim uobis, quod multi prophetæ, & reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire, quæ auditis, et nõ audierunt. Ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est: quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitq; illi, recte respondisti, hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iustificare seipsum dixit ad Iesum:

Et

Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidã descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem uia, & uiso illo præteriuit: Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & uideret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens uenit secus eum, & uidens eum misericordia motus est, et appropians alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum, & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, et ait: Curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum

horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

EXPOSITIO.

PRolixior est hodierni Euangelij Lectio, quam ut in breui huius horæ spatio, uerbotim à me explicari possit: proinde multis alijs omissis, ea tantum enucleare conabimur, quæ uidebuntur nobis maxime necessaria. Et primo quidem non necesse est anxiæ disputare, quomodo uerũ sit, quod Christus dicit. **Beati oculi qui uident, quæ uos uidetis &c.** Quasi scilicet omnes ideo Beati sint, quia Christum uel uiderunt, uel audierunt. Infelices uero sint, qui Christum corporalibus oculis, & auribus neq; uiderunt, neq; audierunt. Non ita est, fratres Charissimi, non ita est. Multi eum uiderunt, quos ad Satanam abijsse credimus: & multi illum nõ uiderunt, & uita nihilominus fruuntur cœlesti, ac perpetua. Beati, inquit Christus ad Thomam, qui non uiderũt, & crediderunt,

crediderũt. Quis beatificaret Herodem, Pilatũ, Annam, & Caipham? Tamẽ isti uiderunt dominum. Quis contemnaret tot sanctos, & pios homines, qui Christi incarnationem uel præcesserunt, uel subsecuti sunt? Tamẽ Christũ in carne non uiderunt. Diligenter igitur obseruandũ de quali uisu, uel auditu dominus hic loquatur. Si enim beati essent omnes, qui quoquo modo uiderunt Christum, essent haud dubiè non solum omnes impij homines, qui ipsum uiderũt beati, sed & feles, & cati, oues quoq;, & boues, quorũ conspectibus forsan apparuit, beati essent. Quis uero tam stultus est, cui hæc in mentem ueniãt? Illi igitur beati sunt, qui Christum sic uident, & audiunt, quemadmodum Apostoli, & reliqui fideles ipsum uiderunt. Viderunt autem ipsum sic, ut & in eum crederent, & eum diligerent, illiusq; mandatis obtemperarent. Viderunt homine, & credebant Deum. Sic ueteres fide uidebãt Deũ, & eadem fide credebãt eum fore hominem. *Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum, ait Christus ad Iudæos, uidit, & gauisus est: Sic Esaias uidit Deum, & credit fore hominem, & ideo præ magna animi lætitiæ clamat. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis cuius imperium super humerum eius, & uocabitur magni consilij angelus, Deus, Fortis, Princeps pacis &c. Et rursum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel.* Breuiter, non humanis oculis, sed fide

uidetur

uidetur hoc, quod uisum nos beatos facit. Diçã iterũ. Veteres amici dei uiderũt, hoc est credidẽrũt filiũ dei fore nomine sic, ut Deus esset, & homo: in Deo nõ offensi sunt humanitate. Et ideo Beati sunt. Qui uero tempore nati Christi uixerũt fideles, uiderũt Dei filium incarnatũ, hoc est hominẽ factũ, nec dubitauerũt sub hac humanitate latere diuinitatem. Nos uero, qui sequimur Christũ, certo credimus eũ in quẽ sperauerũt patres, & quẽ uiderũt Apostoli, uerũ esse Deum, et hominẽ, uere pro nobis passum, & mortuũ. Et qm̃ hoc credimus, ipsum amamus, ipsi nos tota cõmittimus, & ex aio mandatis illius obtẽperamus. Ergo nos nõ minus beati sumus, quã illi, q uel Christũ prçesserũt, uel ipsum in carne uiderũt. Quod uero, iuxta hoc, q̃d Christus dicit, multi iusti, Reges, & Prophetę cupierũt uidere, quæ postea Apli uiderũt, nõ fuit modicæ fidei, sed certissimæ fidei. Eũ enim, quẽ certo credebãt hominẽ assumpturũ, cupiebãt in humanitate ipsa uidere. Sic forsan inter nos sunt, q cuperẽt, si daret, uideri ipsum Chrm̃ in ea forma qua ínẽ homines hic cõuersatus est, nõ qa nõ credũt eũ incarnatũ, sed quia uerè, & certo credũt eũ sic in hoc mũdo obambulasse, ut pariter crederetur & Deus, & homo esse. Sed quid opus est multis uerbis? Christus hac beatificatiõe, ut ita loquar, nihil aliud uoluit significare, quã felicitatẽ illius temporis, in qua uidebũt à Deo humano generi exhibitũ q̃d iã olim ꝓmiserat patribus. Hoc

autem

autem ita esse arguebat, quod etiam ipsa Dæmonia non sustinebant uirtutem Christi: sed ad huius inuocationem statim cogebantur mancipia sua relinquere. Sed hæc sufficerint.

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tẽtans illũ, & dicens: Magister quid faciendo, uitã æternam possidebo?

Bona, non inanis, nec friuola est hæc quæstio: et si concordem Euangelistarum historiam animaduerterimus, inueniemus hunc Legis peritũ magis ab alijs subornatum, quam propria malitia motum, hanc quæstionem Domino proposuisse. Sed utcumq; hæc se habeant, quæstio hæc proposita est Christo, ut ipsum sua responsione illaqueare possent. Sic enim secum cogitabant Christi hostes. Interrogatus Christus, aut noua respondet, aut uetera. Si responderit noua, hoc est Legi contraria, arguetur contemptæ legis. Sin uetera responderit, arguetur insolentiç, & fastus, ut qui sibi colligat discipulos, quos tamen nihilo meliora docere potest, quã hactenus audierunt à reliquis Iudæorum magistris. Verum Dominus illorum malitiam perspectã habens, maluit respõsionem extorquere à Legisperito, quam ipse per se respondere.

In lege, inquit, quid scriptum est? Quomodo legis? Ac si diceret. Noli putare, ꝙd uenerim soluere legem, & Prophetas. Nõ enim

uenĩ

ueni ſoluere, ſed adimplere. Si igitur ſalutem cõ-
ſequi cupis, non opus eſt longiori inquiſitione.
Non enim auditores legis, ſed factores iuſtifica-
buntur. Fac igitur quod in lege ſcriptum eſt, fac
quod, tanq; legis peritus, ſubinde in lege legere
ſoles. Nõ reluctor legi, nec doceo alia, quã quæ
legis uolumẽ me docturũ prædixerat. Non aũt
loquitur hic Chriſtus de Ceremonialibus, uel iu-
dicialibus Moſaicæ legis, ſed de præceptis Deca-
logi: hoc quod ex reſpõſione legis periti intelli-
gemus. Reſpondens enim legis peritus, dixit.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum ſicut teipſum.

Hoc eſt præcipuũ mandatũ in lege. Vnde apud *Mar. 12.*
Marcũ legimus ſcribã dixiſſe, Bene, Magiſter, in
ueritate dixiſti: Quia unus eſt Deus, & non eſt
alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde
&c. & diligere proximum tanquam ſeipſum,
maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſa-
crificijs. Alibi uero legitur. Quod in hijs duo-
bus mandatis pendet uniuerſa lex, & Prophe-
tæ. Nam quæcunque uel lex, uel Prophetæ ha-
bent, níhil aliud ſunt, niſi interpretatio illorum
duorum præceptorum, qua docetur, quomodo
diligendus Deus, uel proximus. De Cæremo-
nialibus, non eſt dubium, quín ad primam tabu
lam pertineant, quæ tractat de diligendo, & co-
lendo Deum, Iudicialia uero ad ſecũdam tabu-

sam pertinent: nam illa ideo præscripta sunt, ut commode proximis nostris conuiuamus, nec in secundam Decalogi tabulam peccemus. Quod iam de lege & Prophetis dixi, idem etiã dico de scripturis noui Testamenti. Nam quod ad substantiam rei pertinet, una, perpetua, & cõstans doctrina est utriusque Testamenti, sicut unus, idemque utriusque Testamenti Deus est. Quemadmodum autem nobis in nouo Testamento Deus semetipsum magis aperit, & declarat, mittens nimirum imaginem suam, hoc est, filium suum in hunc mundum: ita & præcepta illa duo, de dilectione dei, & proximi in nouo Testamento magis explicantur. In ueteri audimus. Audi Israel, Dominus deus tuus, Deus unus est. In nouo audimus Christum dicentem. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Et hæc quidem ad primam Tabulam de cultu Dei pertinent. Vnde dicimus enim Noui Testamenti scripturas, esse interpretationem, & quidem explicatiorem, illorum duorum præceptorum, quę toties nominauimus. Quod quã uerum sit, ex sermone illo prolixissimo Christi, quẽ in monte habuit, facile uidere poteris. Vbi sæpe dicit Audisti, quia dictũ est antiquis. Ego autem dico uobis Iudæi enim, & si Decalogum acceperant, & post hunc, Mosen, & Prophetas audierant, tamen nolebant uerum illius sensum admittere, umbræ adhærentes, imaginem uero ipsam

ipsam negligentes: hoc quod in legis perito, cuius in hodierno Euangelio fit mentio, uidemus. Ille siquidem audiens. Legem de diligendo proximo, non alium proximum putat sibi diligendum, nisi qui aut sanguine, aut cognatione, aut familiaritate, aut alia aliqua amicitia sibi iunctus sit. Et hinc est, quod Christus tam pulchrum, & longum exemplum protulerit, quo explicat, quo usque se extendere debeat dilectio proximi, uidelicet non tantum usque ad amicos, sed etiam usque ad inimicos, ut non minus cogar diligere inimicum meum, qui me odiat, quam amicum meum qui me diligit. Nam Samaritanus ille sanus, & Iudæos uulneratus, iuxta Iudæorum opinionem, non erant inuicem proximi, sed capitales inimici. Non enim conduntur Iudæi Samaritanis, aiebat Samaritis illa Mulier. Verum Samaritanus ille uidens Iudæum semimortuum iacentem, non cogitauit. Ecce hic Iudæus est, hic hostis tuus est, hic te contempsit, hic te non dignum iudicauit alloquio, non dedisset tibi sitienti haustum aquæ frigidæ: Quid igitur ad me pertinet, siue moriatur, siue conualescat? Ego mihi nullam beneficentiam ab illo sperarem, si mihi, quod illi, contingeret. Si Samaritanus esset, hoc est, meæ Religionis, aut si ad minus, me aliquando familiariter salutasset, aut si possem sperare aliquam ab

eo gratitudinem non præterirem, non contemnerem, sed accederē, subleuarem, ac curarem eū. Hæc, incp̄, aut similia non cogitauit Samaritanus, sed alia, nimirū hunc esse hominem, unum secum habere Deum patrem, ipsum iam egere, suaq; ope opus habere: & quoniam omnium rerum uicissitudo est, cogitauit sibi forte idem euenturum, quod iam Iudæo euenit. Iam hoc lex naturæ habet, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Quid igit̄ Euāgeliū de Samaritano?

Samaritanus quidam iter faciens, uenit secus eum: misericordia motus est. Et appropians, alligauit uulnera eius &c. Vides? non fugit ab eo, neque abominatur eum, sed potius misericordia motus, appropinquat, non ut magis uulneret Iudæum, sed ut ei medeatur. Alligat ergo uulnera miseri illius hominis, infundens illis uinum, & oleum. Iam hoc sic peracto, non perficit institutum iter suum, nec sustinet Iudæum sic infirmantem iacere sub diuo, sed imponens in iumentum suum, ducit in diuersorium, & ei ministrat, curamq; eius habet. An non sunt hæc exempla magnæ dilectionis, quæ Samaritanus exercet erga Iudæum? Numera, si uis, qnottuplicia illi exhibuerit officia. Misericordia mouetur Samaritanus, statim ad conspectum Iudæi sauciū. Et hic fons est bonorum operum. Alligat uulnera,

uulnera, infundit oleum, & uinum, imponit iumento, ducit in stabulum, curam eius agit: & hæc omnia in loco alieno, & dum alia negocia (propter quæ domum, & familiam suam reliquerat) habet expedienda: Accedit ad cumulum officiorum, quod Samaritanus altera die, quum sibi abeundum erat, nõ solum curam Iudæi alio, nimirum Pandochæo committit, sed etiam hũc ad illud officiũ conducit, cum pactione, si hic plura quam receperat, expenderit, se illi satisfacturum. Quare ergo Samaritanus tot beneficia collocat in unum Iudæum, Samaritano rum hostem? Quia uolebat obedire legi Dei, quæ sic habet, Diliges proximum tuum sicut te ipsum: hoc est, quæcunq; uis tibi ab alijs fieri, eadem & ipsis facito. Tu uero in tantis angustijs, & calamitatibus positus, uelles sibi subueniri à quouis homine, ergo in quẽcunq; inciderís, qui tuo consilia, uel auxilio opus habet, huic subuenito, non curans siue uel amicus, siue inimicus tuus fuerit. Et hæc est uera sententia huius præcepti, de diligendis proximis, non sicut legis peritus intelligebat, sed sicut Samaritanus ipso facto implebat. Ergo quicunq; uoluerit æternum cum Christo uinere, hic habet breuem & compendiariam uiam ad Regnum cœlorum. Breuis est hæc contio, si breuem cupis. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Quę mandata? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut te

cut teipsum. Proximus tuus est, quicumque opera tua opus habuerit, quemcumque tibi dominus obtulerit. Hæc tamen dilectio ordinata esse debet, ut non putes, citra discrimen, omnibus ex æquo subueniendum esse. Plus certe debes parentibus, quam familiæ, plus familiæ, quam alienis, plus domesticis fidei, quam Iudæis, uel Gentibus. Hinc Paulus dicit. Operemur bonum ad omnes, maxime uero ad domesticos fidei. Et qui suorum non agit curam, infideli est deterior. Vnde diligenter obseruandum est, qua ratione teneamur proximi nomine, obuium quemque, qui nostra ope egeat, intelligere. Nam Christus hic noluit præscribere ordinem charitatis, hoc est, quod parentibus, quid coniugi, quid liberis, quid Magistratibus debeamus: Sed tantum uoluit confutare impiam Iudæorum opinionem, qui tantum eos proximi nomine intelligebant, à quo recompensationem beneficiorum expectare poterant. Nos uero audiamus Christum, & proximos nostros, siue amicos, siue inimicos nostros nostris beneficijs nobis demereri studeamus, sic enim erimus boni filij patris nostri cœlestis, cui cum filio & spiritu sancto laus, & gloria in perpetuum Amen.

DOMI-

DOMINICA XIIII.

Lucæ. 17.



IN illo tempore, Dum iret Iesus in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt uocem dicentes: Iesu, præceptor miserere nostri. Quos ut uidit, dixit: Ite, ostendite uos Sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis, ut uidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna uoce, magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Ihe-

sus, dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem ubi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, quia uides tua te saluum fecit.

EXPOSITIO.

IN lectione hodierni Euãgelij duo maxime nobis ob oculos ponũtur, uidelicet Christi Iesu Philãthropia, & humanitas, ac hominũ erga Deum ingratitudo. Videmus eñ quam facilis sit Christus Iesus ad opitulandum miseris Leprosis, & uidemus quod uix tandem decimus inter eos, qui conualuerunt, Christo gratias agat. Sed omissis ambagibus, statim uertamus nos ad ipsius Euangelij contextum.

Factum est (inquit) dum iret Iesus in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

Non illibenter conuersatus est Dominus Iesus seruator noster apud Samaritanos, et Galilæos, ut qui faciliores erant ad amplectandum Christianam

stianam religionem, quam Iudæi, cęteri, utcumque illi ab his contemnerentur. Iudæi enim Samaritanos peius abominabantur, quam Ethnicos, et Galilęos pro semipaganis habebant. Sed plerumq; eueniebat, ut Christus plus fidei inueniebat apud Samaritanos, & Galilæos, quam apud Iudæos, qui in ipsa Hierosolyma habitabant. Versatus est itaq; aliquando Christus dominus noster apud Samaritanos, ut eis qui salutem ficiebant, salus non subtrahere, horũ comparatione magis argueretur Iudæorum infidelitas. Non autem diu mansit Dominus apud Samaritanos, ne uideretur contẽnere Iudæos, et approbare illorũ idololatriã. Sed de hoc alias.

Et dũ ingrederetur quoddã castellũ, occurrerunt ei decem uiri leprosi &c.

Ex Euangelicis historijs satis patet, tempore Christi magnam fuisse huius mundi miseriam, & Christum satis tempestiue aduenisse, ut quũ tot plagis, & miserijs afflictum fuerat genus humanum. Quam multos enim legimus leprosos, paralyticos, cæcos, lunaticos, item Dæmoniacos à Domino curatos, cum tamen minimam illorum partem annotauerint Euangelistæ? Tot plagæ, inq; argumento sunt, Satanam magnam exercuisse in humanum genus Tyrannidem, & hoc haud dubie propter multa, & grauissima hominum peccata. Neque enim frustra, aut sine causa concessum est Sata-

næ ſic ſæuire in homines: ſed horum peccata merebantur grauiores pænas. Et mihi fit ueriſimile Decem hos Leproſos, non proprie ſic à natura fuiſſe lepra infectos, ſed potius propter peccata ſua ſic à Domino punitos. Quis enim in nouem illis, non uidet magnam improbitatem, & ingratitudinem pluſquam Scythicã? Si tam mali fuerunt recuperata ſanitate, quales, putas, fuerunt, antequam lepra percuterentur? Et ideo dixi, ueriſimile eſſe, illos propter peccata lepram incidiſſe, ut ex hac pæna intelligerent ſe iratum habere Deum, ſuderentque hunc ſibi iterum per pænitentiam, & uitæ innouationem placatum reddere. In Pſalmis de quibuſdam legimus. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur: ideo tenuit eos ſuperbia. Rurſum de alijs quibuſdam dicitur. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Et hæc ſententia quadrat in Leproſos noſtros, de quibus iam agimus, Occurrunt enim Domino, de quo haud dubie multa humanitatis, & miſericordiæ opera audiuerant, & leuant uoces ſuas (ſtabant enim à longe, ut qui non audebant propius ad homines accedere) & clamant.

Ieſu, præceptor, miſerere noſtri.

Non putant neceſſe eſſe, ut multis exponerent calamitatem ſuam, quum totius corporis habitu, & ueſtitu ſatis declararent, quid ſibi deeſſet,

esset, quidue sibi peterent. Vtuntur uero oratione satis commoda, in qua nullum uerbum frustraneum, uel temerarium. Iesum uocant, hoc est, saluatorem, nam salutem ab eo petebant, cui persuasum habebant nullum morbum esse incurabilem. Et forte audierant de Iesu Saluatore nostro, quam facile alios leprosos mundasset. Secundo uocant præceptorem, ut cui parati sunt in omnibus obedire, modo pristinam sanitatem recuperare possint. Et hoc officium infirmi est, qui modo sanari cupiat, ut præcepta medici non respuat, sed præscriptis pharmacis diligenter, & libenter utatur. Tertio dicunt, Miserere nostri. Misericordiam ambiunt, qui nulla habent, quæ allegare possint, merita. Ad misericordiam prouocant, qui iusticiam ferre non possunt. Quomodo inquiebat psaltes? Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et rursum. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hoc perpendebant etiam Leprosi, & ideo misericordiam petunt, nimirum persuasum habentes, se ob enormia peccata sua, à Domino lepra percussos. Et hæc in exemplum nobis trahamus. Quoties uarias incideremus infirmitates, non murmuremus contra Dominum, nec putemus nobis iniuriam fieri, sed potius cogitemus, Deum pro misericordia sua, nos sic uisitare propter peccata nostra,

ut no-

ut nobis ad se rursum per pœnitentiam conuersis, & pecata nostra condonare, & in perpetuum benefacere, possit. Deinde non dubitemus, quin omnes tribulationes, angustias, calamitates, & afflictiones nostras à nobis auferre possit, si modo uelit. Postremo firmiter credamus, Deum haud dubie, ex mera, & liberali sua gratia nobis uelle auxiliari, & subuenire, quando nouerit hoc in rē nostrā fore. Præstat aūt aliquando nos infirmos esse, quam incolumes, siue intelligamus siue ignoremus: Bonū mihi (inquiebat Dauid) quoniam humiliasti me. Et Paulus libenter gloriatur in infirmitatibus suis, sciens uirtutem in infirmitatibus perfici. Sed hęc hactenus: nam uidendū est, quam efficax fuerit Leprosorum breuis, & bona precatio. Quos ut uidit, dixit, ite, & ostēdite uos sacerdotibus. Quid hoc est dicere? Qualis responsio ad tam humilem leprosorum precationem? Quur non tangit illos, quemadmodum alios leprosos, & sanitati restituit? Nihil horum facit, sed ait, Ite, & ostendite uos sacerdotibus. Quare hoc? Non ut mundarentur à sacerdotibus, nec quasi iniuste pronunciasset illos esse lepra infectos: sed ut sacerdotes re ipsa cognoscerent, & pronunciarent illos à lepra esse mundatos, quos iam olim leprosos iudicauerant, & à reliqua plebe separauerant. Nam penes hos erat authoritas discernendi leprosum à mundo, excludendi contagiosos

tagiosos iuxta legem, & suscipiendi mundatos. Addam alia, nec absurda. Mittūtur, inq̄, leprosi ad sacerdotes, priusquam consequunt sanitatē.

Factū est ēm dū irent, mundati sunt.

Vt probaretur fides eorum. Nam si non fuissent obsecuti uerbis Christi, palam declarassent, se non adhibere ueram fidem Christo, nec putasse se consequuturos sanitatē, Si, inq̄, nō credidissent, nō obtemperassent domino eundo ad sacerdotes, sed dixissent. Quur nos iubes accedere ad sacerdotes, qui non possunt nobis auxilio esse? Iā semel pronunciarunt nos esse contagiosos, & ideo excluserūt nos à cetu hominum, nec reuocabunt sententiam suam, nisi uiderint nos mundatos. Atqui nondum sumus mundati, i, deoq̄ ad te uenimus, ut nobis opituleris: quod si hoc potuissent sacerdotes, iam olim sanati essemus, & ad te non uenissemus. Hæc, inq̄, & similia nō dicunt leprosi, sed, sicut iussi sunt à Domino, recta petunt ad sacerdotes, quo facto satis declarant, se de promissione Christi nihil diffidere. Nam quum Christus dicit. Ite, ostendite uos sacerdotib9, idem est, ac si diceret. Exaudiā uos, reddamq̄ uobis pristinā sanitatē, quod quam uerū sit, ipsi experimini, simul atq̄ ad sacerdotes peueneritis: nā isti pronunciabunt uos uere esse mundatos, & mundos. Deinde mittit Christus leprosos ad sacerdotes, ut doceat conseruandas esse publicas politiarum ordinationes:

In po-

In politia enim Mosi cõstitutum erat, ut leprosi iudicentur à sacerdotibus, & siquidem sacerdotes pronunciarẽt eos lepra immũdos, sicut paulo ante diximus, separarentur à reliquorum hominum contubernio. Si autem mundos, recipererentur iterum in publicam ciuium familiaritatem, Et hæc ordinatio, nec impia fuit, nec superstitiosa, sed Reipublicæ necessaria, uidelicet ne sani à contagiosis inficerẽtur. Mittit ergo Christus leprosos ad Sacerdotes, ut significet se uenisse, non ad turbandas, sed potius ad conseruandas publicas, & necessarias rerum publicarũ ordinationes. Et quidẽ diximus de eo, quod Christus mittit leprosos ad sacerdotes. Sequitur.

Vnus autem ex illis, ut uidit, quia mundatus est, regressus est cum magna uoce, magnificans Deum &c.

Qui perseuerauerit usq; in finẽ, ait Christus, saluus erit Neq; enim satis est bene incipere, nisi & in benefaciendo perseueres. Obiiciendimus antea non pauca, in quibus merito laudandi, & imitẽdi nobis uidebantur leprosi: ingratitudinẽ uero offert se nobis, quod nõ uituperare non possumus. Qualis em̃ ingratitudo est, quod pro tãto beneficio nõ agunt gratias Dño seruatore nostro? Sunt, qui existimant uocem illos forte à sacerdotibus sic corruptos, ut tantam gloriam Christo nõ asscripserint. Nam quanto conatu studuerint scribæ, & Pharisæi, & sacerdotes miracula Christi obscurare,

ſcurare, hiſtoria de cæco nato ſatis arguit. Imo maluerũt potentiſſima Chriſti miracula Satanę aſcribere, quã Chriſto, hoc quod in Euãgelio de ejecto Dæmonio legimus. Sed quomodocũqꝫ illi nouem in tantã ingratitudinẽ uenerint, nos horum exemplũ fugiamus, ne uerificetur in nobis uulgo iactatum Prouerbiũ. Infirmũ, poſtꝫ conualuerit, peiorẽ, factũ. Imitemur potius Samaritanũ, qui, ut uidit, ꝙd mũdatꝰ eſt, regreſſus eſt cũ uoce magna, glorificans Deũ, et ꝓcidẽs in faciẽ ad pedes eius, gratias agit Chriſto. Et hactenus quidẽ, pro ut dñs dedit, expoſuimꝰ hiſtoriam huius Euangelij. Iam forte ſunt, qui eius hiſtoriæ allegoriã à me expectant: atqui tempora anguſtia non patitur nos longiores eſſe. Doctores Eccleſiaſtici putãt per leproſos ſignificatos homines hęreticos intus malis affectibus totos corruptos, et deprauatos, foris uariegata cute, ueluti falſa ueris permiſcẽte doctrina inſyncera. Quod aũt mundati ſunt, ſignificatur eos aliquando ad ſaniorem mentẽ redire. Atqui quoniam raro ſuperbiã, et faſtũ ex animo deponũt, nec facile ſuſtinẽt intellectũ ſuũ captiuari in obſequiũ Chri, fit ut uix dicimus quiſqꝫ hæreſiarcharũ ex integro ad Eccleſiã redeat, ac cum Catholicis in unitate fidei, ac uinculo charitatis gratias agat. Rogãdus itaqꝫ Dñs, ut ſi quid cõtagij in nobis ſit, cõtinuo miſericorditer in nobis expurget, noſqꝫ poſthac in ſancta Catholica ſua Eccleſia, illibata fidei conſeruet, ut acceptorum

beneficiorũ

beneficiorũ memores, illi semper agamus gratias, donec perueniamus ad eũ in Regnũ patris sui cælestis, cui laus & gloria in æuum.

DOMINICA XV. CAP. Mathæi. 6.



IN illo tempore, dixit Iesus Discipulis suis. Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unũ odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ: Ideo dico uobis, nẽ solliciti sitis animæ uestræ, quid manducetis, neque corpori uestro, quid induamini. Nõne anima plus est quam esca, & corpus plusquam uestimentum? Respicite uolatilia cœli, quæ non serunt

runt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa. Nõne uos magis pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimẽtis quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autẽ uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unũ ex istis. Si enim fœnũ agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quãto magis uos modicę fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hęc enim omnia gentes inquirunt: Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iusti-

tiam eius, & hæc omnia adiȝcientur uobis.

EXPOSITIO.

LEctio huius hodierni Euangeliȝ sequitur disputationem illã, quam dominus noster Iesus Christus habuit de oratione, ieiuniȝs, deçᵭ dãdis eleemosynis: & si quis omnes circumstantias diligenter perpenderit, pulchra huius lectionis cum præmissis est consequentia. Multi enim ieiunant, non ut corpus alias luxuriosum, & indomitum spiritui subiȝciant, sed potius ut diuitiȝs suis parcant. Multi itẽ magis orando instãt pro rebus tẽporalibus, quam spiritualibus. Multi deniçᵭ nullas largiuntur eleemosynas, quia uerentur, ne si præsentia exponant, postea ipsi sint in paupertatem casuri, qua oppressis non sit, unde uel uiuãt, uel uestiantur. Neçᵭ enim dici potest, quantam curam impendamus uoraci uentri, quã multa per phas atçᵭ nephas instituamus, ne quid desit uẽtri. Et uidetur hæc pessima cura, quasi hereditaria nobis esse. Nam, si quis expenderet peccatũ primorũ nostrorũ parentũ, inueniet hãc curam uentris non minimũ fuisse, quod illos paradiso eiecit. Si enim cõtenti fuissent cibis licitis, & cõcessis, nequaçᵭ petiȝssent illicita. Omnes paradiȝ

disi fructus illis dati fuerunt in cibos, excepta unica illa arbore, quæ erat in medio deliciarum horti, atqui nostri protoplasti illa magna concessione non contenti, dominoq; ingrati, noluerunt abstinere à ligno uetito, malueruntq; Deũ contristare, quam uentrẽ suum bis fraudere pomis: quid igitur sequutum? Hoc, quod uulgato prouerbio iactatur. Qui plus æquo desiderat, minus accipiet, uel sic. Qui iniquum petit, æquũ non accipiet. Et hoc plerumq; fit, ut qui per phas & nephas omnia sibi coaceruare conatur, ac nulla re desyderabili carere uult, is nec necessarijs uti, uel frui queat, etiamsi multa superflua habeat. Hac de re sic loquitur Eccles iastes. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Et rursum. Est aliud malum, quod uidi sub Sole, & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus uorabit illud, hoc uanitas, & miseria magna est. Sed ad textum Euangelij nostri.

Eccle. 5.

Eccle. 6.

Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim unũ odio habebit, et alterũ diliget &c. Vulgata est hæc sẽtẽtia, qua dicimus. Neminẽ posse duobꝰ dominis seruire, talibus nimirũ, qui cõtraria præcipiunt. Vnde dñs noster Iesus Christus nõ contentus dixisse,

quod nemo queat duobus dominis seruire, addit, nō potestis Deo seruire, & Mammonæ. Nā hi duo domini inter se pugnant ex diametro, quod quidem ad præceptorum rationem attinet. Sed exponemus hanc rem clarius: & utemur præmissis exēplis. Deus nos iubet ieiunare, ut corpus nostrum agilius sit ad seruiendum spiritui, iuxta illud Pauli, castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Et iterum. Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Satan uero iubet nos operam dare crapulæ, ut corpus luxuriare queat, sciens iuxta Paulum, in uino esse luxuriam: & iuxta comicum, sine Cerere, & Bacho frigescere Venerem. Iam qui Christum audit, Bachum audire non potest. Quid enim magis cōtrarium, quā ieiunare, hoc est, abstinere à licitis, & sectari illicita? Rursum, Christus iubet nos orare. Satan iuber, ac urget nos ad blasphemandum. Christus iubet, ut res nostras distribuamus in pauperes, Mammō iubet, suadet, urget, ut res alienas inuolemus, ac rapiamus. His ergo, & talibus dominis nemo inseruire potest, sed si Christo inseruire cupit, necesse est, ut Māmona odiat. Si hunc inseruire uolet, necesse est ut Christum contemnat. Iam quis non uidet quam impium, ac absurdum foret, relicto neglecto, atq; contempto Christo, tedare famulitium Satanæ? Nemo hoc non uidet, nemo aliter iudicare potest, sed interim maior pars nostrum ipsa re, ipsoque facto præ

stat

ſtat, & facit, quod uerbis deteſtatur. Et ſic plerumque fit, ut rem ipſam amplexemur, nomen uero ipſum abhorreamus. Nemo uult ſuperbus, auarus, raptor, uel uſurarius, uel Satanæ ſeruus dici, atqui interim gnauiter damus operam ſuperbiæ, auaritiæ, rapinæ, uſuræ & reliquis ſceleribus, quæ ſuadet Satanas. Chriſtus uero prohibet. Obſeruandum itaq; diligenter quod Chriſtus hic dicit. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Magna uis eſt in uerbo ſeruire. Non enim tantum ſignificat domini alicuius rebus uti, ac in familia eius cenſeri, ſed Domino omnino addictum, ac morigerum eſſe, ex toto corde illi adhærere, iuxta præſcriptum illius omnia facere, item per omnia ab illo pendere. Certe Dominus noſter Ieſus Chriſtus uult, ut nihil ipſi præferamus, tori ab ipſo pendeamus, inq; nullum alium ſpem noſtram ponamus. Itidem à nobis poſtulat Satanas. Vterq; Dominus externa illa non admodum curat, modo ſciat ſibi cor tuum addictum, & conſecratũ eſſe. Sed hæc ſuffecerint, modo memineris hoc in loco uulgatã hãc ſententiam de nõ inſeruiendo duobus dominis, nõ pugnare cũ illo præcepto, quo iubemur obedire magiſtratui, parentibus, uel præceptoribus noſtris. Neq; enim ex integro inſeruis Chriſto, niſi & eis inſeruias, quibus inſeruiendũ eſſe Chriſtus præcepit. Breuiter Chriſtus his uerbis prohibuit, ne ſe contẽpto, cor noſtrũ ponamus in res caducas huius mũdi, quas ipſi

ipſi ſeruare non poſſumus, quæq; ipſæ etiam ſeruare non poſſunt quenq;. Iam quis tam ſtultus eſt, ut ſciens ſe cõmitteret ei domino, qui ipſum ſeruare nõ poſſet, & cui etiam nemo ſeruire poſſet? Iam ſiue uelis ſiue nolis, non poteris diuitias huius mundi cuſtodire perpetuo, quia caducæ ſunt, ſicut & tu perpetuus nõ es. Quid ergo ſperas in eo, quod te ſeruare nõ poteſt, & nõ potius ſpẽ ponis in eũ, qui omniũ rerũ dñs eſt?

Ideo dico uobis, ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ, quid manducetis, neq; corpori ueſtro, quid induamini.

Iam dixi, ſic eſſe plurimorũ hominũ cõſuetudinẽ, ut nõ abhorreãt tãtũ à peccatis, quãtũ ab horũ uocabulis: his iã addo, multos ſub prætextu uirtutum ſtudere uitijs, ac enormibus criminibus. Sed ad rem ipſam. Dixerat Dominus, nos nõ debere colligere theſauros in terra, ſed potius in cœlis, hoc eſt, nos nõ debere ſpem noſtrã ponere in rebus terrenis, ſed potius perpetuis, id eſt cœleſtibus: neq; nos poſſe, etiamſi maxime uelimus, duobus dominis ſeruire. Iam dicet quiſpiã auarus, aut rapaciſſimus aliquis uſurarius. Quid? an non mihi mea alenda familia? An nõ cogitandũ de uictu, de ueſtitu, & de alijs rebus, quæ ad educandã, & alẽdam familiã neceſſaria ſunt? Hijs friuolis excuſationibus, & obiectionibus iã obuiat Chriſtus, ſeq; ipſum magis exponit. In ſuperioribus nõ dixerat. Nolite quæ-

rere

rere uictū, uel ueſtitum, ſed nolite theſaurizare uobis theſauros ſuper terram. Iam nō dicit. Ne laboretis propterea, ut ſit, unde uiuatis, & unde ueſtiamini, ſed ait. Ne ſitis, inq̄, ſoliciti &c. Solicitudinē ergo prohibet, non laborē: nec omnē ſolicitudinem, ſed eā, quę ex diffidentia, & incredulitate naſcitur, qua ſcilicet homo quiſpiam motus magis ſperat ſua induſtria, & cura ſe ſuſtentare, quā prouidentia, uel beneficentia Dei. Huc pertinet parabola iſta, quæ eſt apud Lucā cap. 12. de diuite illo, qui cogitabat anxie de ampliando horreo ſuo, putans ſe ſibi ſufficere, nec dei beneficentia egere, Dicam & aliud, ut negotium penitius intelligas. Sunt enim plerique, qui alias plus æquo nihil curæ de uictu habent uel ſuo, quod ignauiæ eſt, uel ſuorum, quod infidelium eſt. Iſtis non hæc doctrina Chriſti, ſed admonitio Pauli præſcribenda uenit. Laboret inquit, unusquiſq; manibus ſuis, ut habeat, ut etiā det neceſſitatem habenti. Sed ad rem. Si uis intelligere quid in hoc Euangelio prohibeat Dominus, uerte oculos ad uſurarium quendam, & deinde ad fidelem agricolam, uel alium artificem ſedentariæ artis, ſutorem uel ſartorem. Ille etiam, ſi in umbra ſedeat, magnam uim auri ſecum habeat, promptuaria ſua omnia ſelectiſſimis rebus plena: tamen ſubtriſtis eſt, multos emittit ſingultus, uix audet communem guſtare panem, potu utitur ſic dubio, ut aquam ne bibat, an uinum, uix

dignoscas. Alius uero cui magna est familia, & qui, iuxta prouerbiũ, Solẽ habet in Aedibus, priusq; inuenias in eis uel fruſtũ panis, hic inq;, diligẽter, & grauiter toto corpore labori incũbit, siue in agro, siue in uineis, & interim suauiter cãtillat, nihil anxius de magnis diuitijs. Reuersus domũ, ridens blanditur familiæ, contentus est cõmuni pane, & parabili uictu, deinde it dormitum, dormit in utramq; aurẽ, se suaq; domino cõmittens. Rursum altera die mane consurgens, intermissum opus aggreditur, nec alia cogitat. Talis operarius, qui operatur, ut sit unde alat familiam, non uituperatur, sed in omni scriptura digna laude celebratur. Ille uero, qui etiam si manibus non laboret, totus est in colligendis diuitijs, nusq; non in scripturis tam sacris quã Ethnicis uituperatur. Nolim itaq; ignauos hic prætextũ suę ignauię arripere. Nõ enim patrocinatur hoc Euãgelium ignauis, sed repugnat auaris, qui quum Deo non fidant omnem uero spem suam in diuitias suas ponãt, per phas, atq; nephas omnia huius mundi bona ad se rapere festinant, gnauiterq; laborant, ut siue moriatur, siue uiuat dominus, ipsi sicut ĩ portu: Iam quæ sequuntur in eãdẽ sententiã cõcidunt. Nõne anima plus est quã esca, et corpus quã indumentũ? Argumentũ est cõtra diffidẽtiã, & incredulitatẽ: tale nimirũ. Qui q̃d maius est, dedit, quod minus est, nõ negabit.

Iam

ſam animã, & corpus quis uobis dedit? Deus. Bene. Nũquid anima plus eſt q̃ eſca, & corpus pluſq̃ ueſtimentum? Vtiq̃. Qui ergo animam, & corpus, quæ potiora ſunt, uobis nihil minus cogitantibus dedit, quæ minora ſunt, eſcam ſcilicet & ueſtimentũ quomõ negabit? Aliud argumentũ, nec minus euidens, & confeſſum ſubdit.

Reſpice ad uolatilia cœli, quia non ſerunt, neq̃ metunt &c.

Potuiſſet Dominus adducere paſtum Iſraelitis cum populum per 40. annos in deſerto, in exẽplũ, uel Heliam, & Heliſæũ, quod declararet ſe ſuos facile alere poſſe: ſed adducit Bruta animãtia, non tamen leones, non elephantos, non urſos, aut reliqua animantia, quæ & ipſa diuinitus paſcuntur: ſed relictis quadrupedibus, uolatilia obiicit, quæ pater paſcit, nihil de uictu ſolicita. Non autem ſimpliciter dicit de uolatilibus, ſed addit uolatilia cœli, ad differentiam eorum quę domi aluntur. Eiuſdem argumenti eſt, quod de liliis agri ſubiungit. Si enim Dominus nec aues nec herbas negligit, ſed has ueſtit, illas uero alit abunde: quomodo negligeret nos, quorum nomine filium ſuum in mortẽ tradidit? Sunt Ethnici, qui putant aut Deum non eſſe: aut, ſi maximè ſit, tamen noſtra non curare. Atqui Dominus Ieſus Chriſtus nos hic alia docet, nimirum Deum etiam minutiſſimarum creaturarum rationem habere, ut non putemus illum nos miſe-

Vos non agnoscere. Scit quibus indigemus, nouit figmentum nostrum, & potest nobis opitulari, &, quod potest, diligenter faciet, modo nos illum non contemnamus, sed ante omnia quęramus Regnum Dei, & iustitiam eius, & reliqua omnia adiicientur nobis, non tam corporalia, quam cœlestia, & hoc præstante domino nostro Iesu Christo, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA XVII. POST Trinitatis. Luc. 7.



N illo tempore ibat Iesus in ciuitatem, quę uocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suę, & hęc uidua erat, et turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidisset dominus misericordia motus super eam dixit illi: Noli

Noli flere: & accessit, & tetigit loculum: hi aũt, qui portabant, steterunt. Et ait. Adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cæpit loqui, et dedit illum matri suę. Accepit autẽ omnes timor, & magnificabãt deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus uisitauit plebem suam.

EXPOSITIO.

Si nostræ deambulationes, & peregrinationes eo modo à nobis perficerentur quomodo Christi domini nostri peregrinationes fuisse, Euangelistæ nobis describunt, maiori certè fructu, & utilitate, tam nostri, q̃ proximorum nostrorum, ad domos nostras redieremus, q̃ à multis fieri certissimũ est. Quocumq; abit Christus, ubicũq; est, nihil agit, nisi quæ ad Dei laudẽ, & proximorũ salutẽ spectant. Aut enim uerbo docet, & exẽplo, aut miseris subuenit ut satis intelligamus, q̃d Paulus de Christo dicit uerũ esse: Nos uidelicet nõ habere põtificẽ, q̃ nõ possit cõpati infirmitatibus nostris. Quid enim in breuiss. huius Euãgelij historia est, q̃d nõ ad laudẽ Dei, uel proximorũ salutem pertineat?

An

An non magnæ consolationis est uiduę miserę, cui filium unicum uiuum reddit? Sed si uultis historiam ipsam, ab initio ad finem usq; excutiemus, ea sic habet. **Ibat Iesus in ciuitatē quæ uocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.**

Naim non minimi nominis fuit inter oppida Galilææ, & oppidum satis populosum, unde do minus non temere eo uenit, quo sementem face ret Euangelij. Perpetuo autem habet Christus secum suos discipulos, ut quos pararet iam ad futurum Apostolatus offitium. Quoniā enim Apostoli testificaturi erant de Christo, necessa rium fuit, ut cum illo semper essent. Et uos, inquit, testimonium de me perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hę forsan indigna sunt, quę anxie adnotentur, sed tamen exemplo nobis esse debent, ut libenter cum Christo uersemur, si non corpore, saltem animo. Non potest perire, qui perpetuo saluatorē præsentem habet. Qualem saluatorem? Ais. Talem, qui & saluare cupit, & potest omne, quod salute opus habet, qui non solum infirmos curare, sed & mortuos ad uitam reuocare potest. Ante hoc Euangelium scribit Lucas noster, quod Christus Centurionis cuiusdam seruum, iam agentem animam, pristinæ sanitati restituerit: Iam ne infidelis quispiam Iudæus, aut Ethnicus miraculū hoc parui facceret, ac diceret, Seruum illum alias conua-

luisse

fuisse, & pristinam ualetudinem recuperare potuisse, etiamsi Christus nihil cum illo egisset. Commode sequitur hoc Euangelij hodierni miraculum, in quo Christus potestatem suam sic declarat, ut nemo ei possit contradicere. Nō enim infirmum, & iam moribundum hominem sanat, sed mortuum Adolescentem ad uitam reuocat. Sic enim habet historia.

Cum aūt appropinquaret portę ciuitatis, ecce defunctus deferebatur &c.

Nihil hic casu fieri persuadeas tibi, sed omnia ordināte, & disponēte sic Deo. Nemo potest dicere, Adolescētem nō uere mortuū fuisse, quum iā ad sepeliendū effertur. Sed discutiamus singula: multa enim in hac breui lectione notatu sunt dignissima. Quidam hic diligenter annotare solent, quod sepulchra Mortuorum, tam apud Ethnicos, quam apud Iudæos ferè semper, & ubiq; fuerunt extra mœnia ciuitatum: Necessaria nimirum admonitio, nē scilicet quotidie per transeuntes Cœmiteria, fratrum nostrorum memores simus, eosq; Deo pijs & humilibus precibus commendemus. Non me latet quę hic & hac occasione moliatur Satanas, Execratur Satanas loca cæremonijs Ecclesiæ, sepulturę Christianorum consecrata. Execratur suffragia pro defunctis. Non amat pios subinde memores esse mortis. Et quos uiuentes à societate catholicorum abstraxit, etiam mortuos cū illis sepeliri

nou-

non sustinet. Quamuis hoc postremum libentius adscriberem Deo, qui non dignatur hæreticos sepultura piorũ Catholicorũ. Indigni enim sepeliri eorũ sepultura, quorum fidem, ac pios mores calumniantur. Scio, allegant quidam cõtagiosum esse tot cadauera sepeliri in parua ciuitatula: Agimus bonis uiris gratias, uidelicet cũ uideamus post illorum consilia, iam nullam sæuire pestilẽtiam, nullis nos corripi morbis. Sed hæc satis, superq;. Iam audiamus, quam diligenter describat nobis Lucas uiduam illam.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, Et hæc uidua erat.

Prouerbio dicitur. Nullã calamitatem homini uenire solam, nec omnino mendax, aut temerariũ prouerbium est. Ecce enim, quãtuplicẽ calamitatem sustineat mulier hæc. Mulier est, uidua est, & adhoc unigenito priuatur filio. Iã *scimus mulieres minus posse ferre calamitates, quam illas possint ferre uiri. Scimus quam miserum sit coniuges, qui per multũ tempus amicè* una uixerũt, ab *inuicem separari. Scimus* quãtus affectus sit piorũ parentum erga liberos: & tãto maior affectus, quanto pauciores fuerint: maximo uero amore afficiuntur erga unigenitos. Iam hæc mulier primum amisit maritum, deinde etiam filium, qui matrem post busta patris uel solus enutrire, & defendere poterat, sicq; quasi baculus senectutis maternæ esse. Adolescens

scens enim erat, nimirū ad omnia matris obse-
quia non ineptus. Atqui & hic filius per mor-
tis tyrannidem cogitur relinquere matrem, &
sequi patrem, sic ut iam nullum solatium habe-
at mater. Ne enim quis diceret, eam alios, &
plures habuisse filios, uel filias, diligenter adno-
tauit Lucas, Adolescentem hunc unicum fuisse
Matris filium, hoc est illam præter hunc filium
nullos habuisse liberos. Mulier itaq; hæc, sicut
diximus, non uno tantum modo calamitosa, &
miserabilis erat. Sed Benedictus deus (Paulinia
liceat uti uerbis) qui nos consolatur in omni tri
bulatione nostra. Sequitur enim in contextu.

**Quā cū uidisset dominus, misericor-
dia motus super eā dixit, Noli flere.**

Hic impleri uidemus, quod iam olim Domi- Esai. 65.
nus per Prophetam dixerat, Et erit antequam
clament, exaudiam eos, adhuc illis loquentibus,
ego audiam. Hoc enim in loco aperit se Chri-
stus, & magno, euidentiq; exemplo declarat
quantus sit cum affectu erga miseros, tum po-
tentia contra mortem, & infernum. Considera
mihi hic Christum diligenter, & uide quā prō-
pte subueniat uiduæ. Non enim expectatis
precibus, nondum rogatus, & uidua nihil tale
cogitante, afficitur misericordia erga afflictam
uiduā, & offert ei sua ipsius spōte auxiliū, & be-
neficiū. Vnde discimus, qd nobis in tribulatio-
ne nostra à Christo Dño nostro expectandū.

Si

Si enim non rogatus aliquando nobis subue-
nit, & interdum ignorantibus nobis benefacit,
quid non faceret, si humiliatis cordibus, & ani-
mis auxilium ab illo peteremus? Clamabit ad
me, inquit, & ego exaudiam eum: Cum ipso in
tribulatione sum, eripiam eum, & glorificabo
eũ. Sed quid opus est multis testimoniis ad cõ-
probandum, quanto affectu erga nos teneatur
Dominus Iesus, quum hodiernum Euangeliũ
luce clarius illud ipsum ostendat? Amat nos
dominus, condolet miseriæ nostræ, non lętatur
de interitu nostro, sed potius consolatur nos, &
hoc non inanibus uerbis, sed re ipsa. Vide ob-
secro ordinem, quo usus est Christus, & quem
nobis Lucas describit. Primum misericordia
mouetur, secundo Mulierem consolatur uerbis,
dicens, Noli flere, Tertio accedit, tangit locu-
lum, Adolescentem inclamat, dicens.

Adolescens tibi dico surge, Nec fuit ua-
na uox. Qui enim mortuus elatus fuerat, reui-
xit, ac sic rediuiuus traditus est Matri suæ. Re-
petamus quæ iam dicta sunt, ut factum Christi,
in nostrum exemplum aliquando possimus uer
tere. Tria facit hoc in loco Christus, quæ om-
nia forsan non possumus perpetuo sequi aut im
plere. Consolatur Mulierem, & hoc trifariam,
corde uidelicet, uerbo & opere. Et hi sunt certi
gradus ad implendum, ueræ charitatis officiũ.
Nisi enim & uerba, & facta tua ex cordis bono
affectu prodierint, inania sunt, maxime quod

ad

ad deum adtinet. Apertius dicam, Ipsa fraternæ charitatis lege tenemur proximos nostros amare, & hoc corde uerbis, & factis. Primum ex animo cõdoleas fraternæ miseriæ, secundo uerbis blandis, ac amicis illũ alloquere, ac consolare, tertio ipso facto ipsius miseriam subleuare stude. Quid si omnia tria facere non uales forsan præ inopia, uel priora illa duo facere ne pigriteris, uidelicet ut ex corde ei benefaueas, & amice alloquaris. Quod si etiam nihil aliud potes, uel condoleas tantum, & non perdes mercedem tuam apud Deum. Rursum accedamus ad inspectionẽ huius miraculi. Quur putas Christum accedere, ac tangere loculum? Certe non ideo, quasi aliter sanare non posset, sed ut arguat, Adolescentem non propria, sed Christi uirtute & reuixisse, & conualuisse. Vox enim Christi tam efficax est, ut omnes creaturæ ei cedere cogantur. Satan uoci Christi cedit. Mors cedit. Mare quantumuis tẽpestuosum ad uocẽ Christi quiescere cogitur. De Angelis non est, quod dicam: hi enim perpetuo faciunt uoluntatem illius. De solis hominibus uix ausim dicere, ꝙd uoci Dei obtemperent. Hodie si uocem eius audieritis, inquit scriptura, nolite obturare corda uestra. Dominus aũt ad omnes peccatores clamat, ut, dum Adolescentes sunt, à peccatis, quæ animę mors est, surgant, & ad matrẽ Ecclesiam per pœnitentiæ opera redeant, pauci uero sunt ad uocem qui domini resipiscere uelint. Sed hæc

hactenus. Quæ sequuntur de populi admiratione pariter,& timore nulla expositione indiget. Nos enim scimus Christi domini seruatoris nostri tantam esse potestatem,& uirtutem, ut non solum unum,atq; alterum mortuum resuscitare ualeat,sed ueniet hora, quando omnes,qui in monumentis sunt,audient uocē filij Dei, &,qui audierint,uiuent. Quod enim unum atq; alterum resuscitasse legimus in Euangelio, ob hoc factum est,ut de his iudicium sumentes de futuris minus dubitemus. Postremo quod populus dicit Prophetam magnum in eis surrexisse, & Deum uisitasse plebem suam, Christi comēdatio est. Testantur enim tali acclamatione, Christum magnora eis præstare beneficia,quam ab alio homine fieri possint: Et forte alluduntad Prophetiam illam ueterem Mosis,qua illis deus pollicitus est Prophetam Mosi similem. Iam igitur ad finem concionis properantes admonitos uos uelim, ut exemplum Discipulorū in hoc imitemini, ut si non corpore, certe animo cum Christo uersemini. Imitemini etiam exemplum Christi, ut, quantum in uobis est,corde, uerbo,& factis, proximis uestris auxilio sitis. Imitemini postremo Iudæos in eo, quod funera sua tam honorifice, & humaniter curare solent. Hoc enim exemplum sacris literis consentaneum est,ex charitatis fonte fluit,quæ gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus. Hæc si feceritis, haud dubie & nos uisitabit Dominus gratia

gratia sua, & posthanc uita potiemur æterna, præstante Domino Iesu Christo, qui est Deus benedictus in secula.

DOMINICA XVIII. POST Trinitatis. Lucæ. 14.



IN illo tempore: Cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorũ Sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illũ, Et respondens Iesus dixit ad legisperitos, & Pharisæos, dicens. Si licet Sabbato curare? At illi tacuerũt. Ipse uero apprehensum sanauit eũ, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit. Cuius uestrũ asinus, aut bos in pu-

teum cadet, & continuo extrahet illū die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intēdens quo modo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is, qui te, & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouissimo loco, ut, cum uenerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius, Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

EXPOSITIO.

Euan-

EVangelio hodierni lectio nobis de multis, ac uarijs rebus latissimum dicēdi campum aperit, & luberet quidem nobis singulas partes copiosius exponere, si hoc mihi per temporis angustiam liceret, &, si non uestra patientia plus æquo abuti uiderer: Statim in uestibulo huius Euangelij depingitur nobis Christi humanitas, & Philanthropia, qua motus nemini non obsecundare cupit, omnibus se & facilem, & comem, & affabilem exhibet. Inuitatur à publicanis, & peccatoribus, nō recusat. Inuitatur à Sacerdotibus, & Pharisæis, nec his tantū beneficium detrectat præstare, etiā si non ignoraret se à Pharisæis non per amicitiam, sed per malitiam inuitari. Nam Christum cognouisse etiam secretissima Phariseorū, sacerdotum, & scribarum consilia, sępissime ex Euāgelijs testatum fecimus. Vnde non dubium est, quin & iam cognouerit, quo nomine à Phariseo inuitatus sit. Quod enim Pharisæus Christum non ex humanitate, uel fraterna charitate inuitauerit, sed ex malo proposito, & nocendi studio, statim ab initio huius Euangelij audiemus. Sic enim incipit. **Cum introisset Iesus in domum cuiusdā Principis Pharisæorum Sabbato manducare panē, & ipsi obseruabant eum.** Pharisęos suos

habuisse principes,& Magistratus ex multis Euangelij locis patet. Nam, & Nicodemus ille, qui noctu ad Iesum uenerat colloquendi gratia, princeps sacerdotum dicitur. Sic erant principes Synagogæ, principes Phariſæorũ,& principes publicanorum. Ergo non gregarius quidam Phariſæus, sed Phariſæorum princeps aliquis inuitauerat dominum nostrũ Iesum, (nec enim putamus Christum non uocatum accessisse)ut Sabbatõ cum ipso manducaret panem, hoc est conuiuaretur. Et inuitauerat etiam alios, haud dubie sui ordinis Phariſæos, & in malicia complices, ut scilicet Principes Phariſæorum haberet testes omnium eorum, quæ in prandio, siue conuiuio illo contingerent. Nam sequitur. Et ipsi obseruabant eum. Ad quid? ut caperent eum in sermone, uel facto, ut haberent, quod calumniarentur,& damnarent. Hic enim mos est, ut in conuiuijs paulo liberiores,& uerbis, & factis simus, nimirum confidentes nos cum amicis,& familiaribus nostris esse, apud quos nobis plus liceat, quam apud alienos. Et conuiuiorum usus est, ut libero, & iocundo conuictu, amicitia,& familiaritas, uel instituatur, uel confirmetur. Phariſæi autẽ omnis humanitatis obliti, solennem conuiuij usum uitio inuertunt, ut abutantur eo potius ad excitãdam inimicitiam, & prodendum amicum, quam ad confirmandam amicitiã, & conseruandum amicũ: obseruant enim Christũ, hoc est, diligenter aduertũt,

quid

quid uel facere uel, omittere uelit. Et ecce quidam Hydropicus erat ante illum.

Siue Hydropicus hic ultro, id est non uocatus, siue inuitatus aduenerit, parum nos mouere debet: quamuis uerisimile sit Pharisæum uocasse Hydropicum tantum ob hoc, ut uiderent quid nam circa illum Christus agere uellet. Alias enim non erant tam humani, ac misericordes Pharisæi, ut infirmos libenter secum haberent. Igitur subornarunt Hydropicum (qui horum malicia haud dubie ignorabat) ut haberet Christus, unde accusaretur. Sic enim cogitabāt apud se Pharisæi. Adduci curabimus Hydropicum illū in nostrum conuiuium, ad quod uocamus Iesum Nazarenum (non dixerunt Iesum Messiam nostrum. Dei unigenitum filiū) Et obseruabimus diligenter, quid nam facere uelit. Nam quicquid fecerit, uix poterit effugere criminationis nostras. Si Hydropicum non curat argumentum erit, quod aut non possit, aut non uelit. Si non potest, argumentum est, quod nec alios uere curauerit. Si non uult, immisericordiæ exemplum est. Si autem Hydropicum curauerit, & hoc in hodierno Sabbato, accusetur uiolati Sabbati. Hæc, & similia, haud dubie, apud se cogitabant malicioſi Pharisæi. Sed quid ait Scriptura? In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Sequitur enim. Psal. 9.

Et respondens Iesus dixit ad Legis peritos, & Pharisæos dicens, Si licet Sabbato curare? Ad quid respõdet Christus cum nemo eum interrogauerat? Respõdet ad impias eorum cogitationes, quas supra retulimus, quibus cogitabant qua occasione possent Christum uel in uerbis, uel in factis ipsius comprehendere, & dein accusare. Prudenter uero, & pulchre format Christus interrogationẽ. Neq; enim rogat, num liceat ut quis hominem infirmum curet? Sed in genere, Licet ne in Sabbato curare, uidelicet aliquid, quod male habeat, siue homo sit, siue bestia? Sic alibi, dum Iesus esset in Synagoga Sabbato, et adesset homo habẽs manum aridam, Pharisæi uero etiã obseruarẽt Iesum, an uellet Sabbato curare, interrogabat eos dicens. Licet Sabbatis benefacere, an malefacere? animã saluam facere, an perire? At illi tacebãt. Et circumspiciens eos cũ ira, cõtristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini. Extende manũ tuã. Et extendit: & restituta est manus illi. Quid porro hoc in loco rogati respondẽt Pharisęi? Audi Lucã. At illi tacuerunt. Melius est tacere, quã stulte respõdere. Non habebãt impij Nebulones, quod responderent, nisi cũ magno suo rubore, quãuis prẽstaret agnoscere, & confiteri malitiam, quã dissimulare. Si respondissent. Nõ licet quenq; curare Sabbato, non

Mar. 3.

non ignorabant hoc, quod Christus statim respondebit. Si dixissent, licere: Obiecisset Christus, Quare ergo me toties apud plebem traduxistis uiolati Sabbati, & iã me rursum hoc nomine obseruatis? Maluerunt igitur Pharisæi tacere, quam malitiam suam traducere, sed eam in propatulũ produxit Christus: Sic eñ sequitur.

Ipse uero apprehensum eum, Hydropicum uidelicet, sanauit, ac dimisit.

Sic ergo ipso facto declarauit Dominus se, & posse, & uelle sanare hydropicum, ita ut neq; infirmitatis, neque inhumanitatis, accusari queat. Tu autem hic exemplum cape tibi, ne ob maledicta, & calumnias impiorum, unq; à benefaciendo cesses. Præstat enim beneficio tibi concilies Deum, q; malefactis maleficos. Iam ne quis eadem hic mihi obijciat, dicẽs quare igitur Christus cauit hic calumnias impiorum Pharisæorum, & interim fregit, siue uiolauit Sabbatum? Audienda est Christi responsio, qua declarat sibi licuisse etiam Sabbato curare hominem.

Cuius uestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & nõ continuo extrahet illum die Sabbati? Et nõ poterant ad hæc respondere illi. Quid enim commode respondissent, in quo non semetipsos condemnassent? Si dixissent, Non licet: continuo audis-

sent à Christo. Quare ergo facitis? Quare uiola-
tis Sabbatũ ipsi, cuius me iam accusatis? Si re-
spondissent, utique licere, secꝫ hoc faciendo non
peccare: Retulisset Christus. Si bestiæ subuenien-
dum in Sabbato, quare non multo magis homi-
ni ad imaginem Dei creato? Quũ Sabbatũ ma-
gis propter homines, cꝫ propter iumẽta à Deo,
per Mosen, institutum fuerit. Duæ enim potissi-
mum sunt causæ, quare Deus sanctificari uolue-
rit Sabbatũ, prima ut populus Dei haberet diẽ,
in quo exerceretur in cultu Dei, inuocaret Deũ,
eiꝫ pro acceptis beneficijs ageret gratias: nam
hoc tandẽ est, Sabbatum sanctificare, pijs exer-
citijs totum diem transigere: Alia causa est, ut
homines, & iumenta aliquantulum requiesce-
rent à laboribus, quo post hac rursum operari
ualeant. Quod caret alterna requie, durabile nõ
est, ait ille. Sed audiamus de hac re Legem domi-
Deut. 5. ni Sex diebus facietis opus: in die septimo Sab-
Exod. 31. batum est, requies sancta Domino: omnis qui
fecerit opus in hac die, morietur. Et rursum. Sep-
timo die, Sabbatum domini dei tui est: Non fa-
Exo. 20. cies omne opus in eo, tu, & filius tuus, et filia tua
seruus tuus, & ancilla tua iumentum tuũ, & ad
uena, qui est intra portas tuas. Cũ Lex hic me-
minit seruorum, & iumentorum, præcipuè sig-
nificat, & perspicue arguit, intermissionem eo-
rum operum exigi, quæ sunt seruilia, & propha-
nis diebus peculiaria. Pharisæi uero abutebant
tur hac Lege, aut potius peruerterunt illam: quũ
ab opes

ab operibus quidem externis plusquam superstitiose abstinerent, interim uero nec operam dabant diuino cultui, nec proximorum cōmodis studebant. Haberem hoc in loco magnam occasionē dicendi contra eos, qui Sabbata nostra temere uel uiolant, uel illis pessimē abutuntur. Ab operibus quidem manuum egregie abstinemus sed interim magnam damus operam operibus malignis, ac si dies, quę Deo, diuinoq; cultui prę cipue dedicata est, debeat operib, malignis Dæmonibus cōsecrari. Nulla enim, quàm sacra die magis indulgemus genio, studemus uoluptatibus, uacamus commessationibus, & nihil malorum intenta ū relinquimus. Sed hæc alias. Quę iam sequuntur, nō magna, nec anxia interpretatione egent. Christus hactenus suam comprobauit innocentiā, Pharisæorumq; retudit malicią. Iam ut arguat se habere, quod meritò reprehendat in eis, obseruat factum illorum, & uidet quō omnes, & singuli primos recubitus, eligerent, eosq; tali parabola reprehendit.

Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.

Quid hoc est? Si ōes infimū locū tenere debent, ergo primus locus perpetuo relinquēdus est uacuus? Vbi ergo illud. Honore inuicē præueniētes. *Philip. 2.* Et illud Pauli Nihil p cōtētionē, neq; per inanē gloriā, sed in humilitate superiores sibi inuicē arbitrātes. Hæc nihil pugnāt cū uerbis Christi.

Hic

Hic enim non loquitur contra eos, qui uel primo, uel infimo loco sedent, sed contra eos, qui primas sedes eligunt, hoc est qui se honoratioribus locis, siue sedibus præ cæteris digniores iudicant: contra talium, inq̃, insolentiam, & fastū inuehitur Chr̃s. Iam igitur enumeremus quàm multorum nos cõmonefaciat præsentis Euangelij̃ historia. Christi uidimus humanitatẽ, qua neminem contemnit. Pharisęorum uidimus malitiam, qua neminẽ reuerentur. Audiuimus quę nam sit uera Sabbati obseruatio, uidelicet in qua Dei cultus exercetur, & proximo inseruitur. Tacite item reprehenduntur, qui plus curant bestias, quam homines. Postremo taxatur hominum ambitio, & fastus, & adij̃citur sententia non minus uulgata, q̃ certa. Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis. Quod utinam nobis contingat gratia Iesu Christi domini nostri, &c.

Amen.

DOMINICA XIX. POST Trinitatis. Matthæi. 22.

In



IN illo tempore, Pharisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in unum, & interrogauit eum unus ex eis, legis doctor, tentans eum. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet, & prophetę. Cõgregatis autem Pharisęis, interrogauit eos Iesus dicens: Quid uobis uidetur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid

uid in ſpiritu uocat eum dominum? dicẽs: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere uerbum, neq; auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

EXPOSITIO.

MAthęus Euangeliſta noſter hodiernæ lectioni duas hiſtorias pręmittit, in quibus oſtendit inuincibilem ſcribarum, & Phariſæorum inuidiam pariter, & maliciam. Primum enim Chriſtũ interrogauerant de cenſu pendendo, deinde de Reſurrectione mortuorum: & quanq; cum magna ſui ipſorum confuſione, multaq; maiori Chriſti gloria uicti abierunt, tamen non uerentur, uel tertiũ iterum prouocare Chriſtũ. Et in hac quidem tertia diſputatione agitur de eo, quod nam in lege ſit mãdatũ pręſtantiſſimum, quum oĩa mandata ab eodem Deo

Deo lata sint, cogatur tamē subinde alterū alteri cedere. Quanq; uero scribæ, Pharisæi, & Sadducæi antea bis uicti essent, ceu iam iā diximus, iterum tamen tentant Dominum. Quid ergo aliud ostendunt, q; quod nō ueritatem ipsam, sed aliud quærant. Qui namq; pro ueritate certat, is certe, ubi de illa instructus fuerit, quiescit, & instructionem illius amplectitur. Secus aūt faciūt, qui magis pro sua gloria, quam ueritate luctantur. Proinde nemo conetur satis facere in causa ueritatis his, qui illā ex animo nō quærūt. Exemplum eius rei habes etiā in Euangelio Ioannis, in historia cæci nati, Licet enim hic sæpissime diceret Pharisęis quomodo sibi ipsi aperti fuissent oculi, tñ, quoniā isti inuidebant Christo tantam tanti miraculi gloriā, semper rogabant, Quid tibi fecit? Quomodo tibi aperuit oculos? Possemus eius multa, nec uetera, sed nupera ostendere exempla. Sed malumus hodierni Euangelij lectionem more nostro exponere. Ea sic habet.

Pharisæi audiētes, quod Christus silentiū imposuisset Sadducęis, conuenerunt in unū &c. Disputatio in qua & uicti, & confusi fuerant Sadducæi, erat de Resurrectione mortuorum, quā isti omnino negabāt, & in hoc à scribis, & Pharisæis dissentiebant. Et hanc confusionem Sadducæorum haud dubiè libenter audiebant Pharisæi: uerum maluissent illos ab alijs, quam à Christo uictos esse, quoniam

quoniam huic, Christo uidelicet, inuidebãt tantam gloriam: & hæc causa est, quod communicato cum Pharisæis consilio, hanc quæstionem proposuerunt Christo dissoluendam. Sadducæi erant indoctiores, quod & Christus illis obiecit dicens. Erratis, nescientes scripturas, neq; uirtutem Dei scientes. Pharisæi uero de scientia legis gloriabantur, cuius putabant Christum esse rudem, ut qui nuspiam in ulla Schola literas didicerat. Quomodo hic, inquiunt, literas scit, cum non didicerit? Cogitabant ergo secum Pharisæi, Quomodo possent indocti Sadducæi disputando uincere Christum? Isti indocti sunt, nos scientiã legis habemus. Conueniũt itaq; in unum, sicut recte adnotauit Chrysostomus, ut multitudine uincerent, quoniã ratione uincere nequiuerũt. Subornant ergo hominẽ egregiè doctũ in scripturis, qui præcipuũ, & eximiũ, quid ex lege sciscitaretur: & hoc nõ discẽdi sed tentandi gratia. Cogitabãt aũt apud se. Vnus loquatur pro omnibus, et omnes loquamur per unũ: ut, liquidẽ uicerit, omnes uideamur uictores: si autẽ uictus fuerit, uel solus uideatur confusus. Accedit ergo illè legis Doctor, ac tentaturus dominũ in hæc uerba ipsum alloquitur: Magister, quod est mandatum magnum in lege.

Hoc est. Magister, quoniã cępisti docere populum, nec nobis dicis, qua potestate hęc facias, oportet omnino, ut scientiam habeas legis dei, quam

quã à Deo accepimus. Dic igitur nobis, quod sit in lege præcipuum, & maximum mandatũ? Meo iudicio. O mihi Chariſſ. hæc quæſtio tempore Chriſti nõ uidetur primum fuiſſe nata, ſed iam olim inter Iudęos potius exagitata. Adde, quod nõ de omnibus mandatis in genere quæsierit, ſed de mandatis Decalogi, & de his, quæ hũc ſecuta ſunt. Nam quæ in Decalogo ſunt, uidentur quaſi cũ genere humano nata eſſe. Lex ſiquidem naturæ hoc habet, quod Chriſtus in Euangelio dicit. Omnia quæcũq; uultis, ut faciãt uobis homines, ita & uos facite illis. Et ſicut Tobias ſenior dicit. Quod ab alio odieris fieri tibi, uide ne tu aliquando alteri facias. Hæc eſt enim lex, & Prophetę, ait Chriſtus. Dilectionem uero Dei, illi ſatis teſtati ſunt, qui etiã nulla ſcripta lege admoniti, ultrò coluerũt, & uenerati ſunt Dominum Deũ. Hanc quæſtionem etiam difficilem, & quaſi inexplicabilem fecerunt multa ſcripturæ teſtimonia, quæ nunc uidentur omnia legis, mandata æquare, nunc uero magno diſcrimine alterũ alteri præferre. In Moſis enim Deuteronomio legimus (hoc quod etiam Paulus in Galatis allegat) Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea. Rurſum autẽ in Prophetis legimus. Miſericordiam uolo, potius quam ſacrificium. Et Samuel tale habet pronunciatũ, Melior eſt obedientia, quam uictimæ: & auſcultare, magis quam offerre adipem arietũ. Nunquid

Math. 7.

Tob. 4.

Deu. 27.

1. Re. 15.

uuit Dominus holocausta,& uictimas,et nõ po
tius,ut obediatur uoci dñi.Iã in Esaia statim ab
initio,Audite,inquit,uerbũ dñi principes Sodo
Isa.1. morũ,percipite auribus legem Dei uestri popu-
lus Gomorræ. Quo mihi multitudinẽ uictima-
rum uestrarũ? Dicit Dñs,Plenus sum. Holocaus
ta arietũ,et adipẽ pinguiũ,& sanguinem uitulo
rũ,& agnorũ,& hircorũ nolui &c. In Hieremia
Hiere.7. uero sic loquitur. Holocaustomata uestra addi-
te uictimis uestris,& comedite carnes. Quia nõ
sum locutus cũ patribus uestris,& nõ præcepi eis
in die,quã eduxi eos de terra Aegipti,de uerbo
Ezec.20. Holocaustomatũ,et uictimarũ. Quid referã Eze
chielẽ & ipsum nõ cõtemnendũ Prophetã? Hus
ius uerba sunt quæ iã cõtinenter subñciã. Quia
Iudęi scilicet,iudicia mea proiecerũt,& in præce
ptis meis nõ ambulauerũt,et Sabbata mea uio-
lauerunt &c. Ego dedi eis præcepta nõ bona,&
iudicia,in quibus nõ uiuẽt: Sub finẽ unicum ex
Psalmographo super hac re testimoniũ protulis
se suffecerit. Audi populus meus,inquit Dñs,&
loquar: Israel & testificabor tibi. Deus,deus tu-
Psal. 49. us ego sum. Nõ in sacrificijs tuis arguã te,holo-
causta aũt tua in conspectu meo sunt semper. Et
post pauca. Nunquid manducabo carnes tauro
rum,aut sanguinẽ hircorũ potabo? &c. Cũ igit
tã dura ubiq; dicunt in scripturis cõtra Iudæo-
rũ sacrificia,alibi uero Moses uidet illa diligen-
ter,& seuere flagitare,orta est illa quæstio de di-
scrimine legis,hoc est,Decalogi,et sacrificiorũ si
ue cæ-

ue ceremoniarũ. Quur uero hęc sic intelligã, occasioni mihi est, Marci textꝰ, ubi in responsione legis periti sequĩ in hũc modũ. Vnus est deꝰ, et nõ est alius prꝫter eũ Et ut diligatur ex toto cor de &c. maius est omnibus holocaustomatibꝰ, et sacrificijs. Ex his haud dubie intelligimus, unde quęstio illa exorta fuerit, sup̃ precipuo legis mãdato. Iam itaq; audiamus Christi responsionẽ. Diliges dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, et in tota anima tua etc. Secũdum aũt simile est huic, Diliges ꝓximũ tuũ sicut teipsum. In his duobus mãdatis uniuersa lex pendet, & prophetæ. Licet malo animo interrogarit hic legis doctor, quia tamen in se quæstio erat pia, & cognitu necessaria, & propter populum, qui discendi gratia prẽsens erat, ad interrogata respõdet Dominus, nimirũ mandatum de dilectione dei esse maximũ: alterũ uero de dilectiõe ꝓximi illi nõ esse dissimile. Nos ergo diligamꝰ deũ (Ioannis Apli uerbis utimur) qm̃ Deus prior dilexit nos. Si qs dixerit, qm̃ diligo deũ, et fratrẽ suũ oderit, mendax est, Qui enim nõ diligit fratrem suum, quẽ uidet, Deum, quem nõ uidet quõ potest diligere? Et hoc mandatũ habemꝰ à deo, ut qui diligit Deũ, diligat & fratrẽ suũ. In his duobus mandatis pendet uniuersa lex, & prophetæ. Quicquid em̃ in lege, & prophetis docet, ac prę- Mar. 22. 1. Io 4.

cipitur (de promissionibus hic nihil agitur) ex hoc dilectionis Dei, & proximi fonte fluit, & in illa radicatur. Vt certe Deo nequeat acceptum esse, quod hinc ortum suum non habet: nec possit gloriari de legis obseruantia, quisquis nec deum, nec proximum diligit. Si enim deum inuocas, colis eique sacrificas, non ex dilectione, sed ex necessitate, Deo non placebit, nec tibi proderit: Sed eris in illorum numero censendus, de quibus Dominus apud prophetam cōqueritur. Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sic quando eleemosynam proximo tuo largiris, uel alio aliquo modo illi, uel auxilio, uel consilio es, si non ex dilectione fit, illi forsan proderit, sed eius rei mercedē frustra à Deo expectabis. Ex his puto perspicuum esse, quod dominus dixit. In his duobus mandatis pendere uniuersam legem, & prophetas. Primo mandato studentes, hoc est, Deū diligentes, ei, ut summo bono, adhæremus, in ipso delectamur, & nos ad uoluntatem eius componimus, in omnibus ipsum respicientes, desyderantesque. Modus huius dilectionis præsentibus Domini uerbis sic traditur, ut ipsum diligamus ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente. Ergo omnē intellectum, uoluntatem omnem, omnes denique uires, & operationes, immo uitam ipsam totam animam, & corpus totum, præterea quicquid sumus, & quicquid possidemus, ea integra soli Deo debemus, eaque omnia iubemur intendere, ut Deū summe,

ſumme, ardentiſſimeq; diligamus, & ei ueluti mancipati, ac conſecrati toti adhæreamus. Hæc dilectio, non excludit fidem, ſed præſupponit. Vere enim uulgo dicitur, Nullum amatū, quod non cognitum. Et ſicut fides eſt donum dei, ita & dilectio, dei donum eſt. Charitas ſiquidē dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctū qui datus eſt nobis. Et Ioannes inquit, Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo: Et alibi Chriſtus. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipſum. Hæc dilectio fingi non poteſt, nec quenq; facile fallere. Nam argumentum dilectionis, exhibitio eſt operis, inquit ille. Huc pertinet, quod Chriſtus Apoſtolis ſuis dicebat, Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcepi uobis. Et iterum. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et rurſum. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Mandatorum autem dei poſt primum, præcipuum eſt illud, quo precipitur ut diligamus proximum noſtrum ſicut nos metipſos, hoc eſt, non ore, & lingua, ſed opere, et ueritate, quemadmodum Ioannes dicit, hoc eſt, ardentiſſime. Neq; enim eſt alius affectus uel ualidior, uel ualentior, uel uehementior, quam amor ſui. Proximi uero nomine quis intelligendus ſit, alibi diximus: nimirum omnis, qui noſtro auxilio, uel cōſilio indiget, ſiue amicus, ſiue inimicus noſter fuerit. Iam itaq; uertamus nos ad alteram partem huius Euāgelij, in qua declaGre.

ratur nos merito stare debere sententiæ Christi, ut qui non simplex aliquis ex plebe homo peccator sit, nec superstitiosus Pharisæus, nec auarus sacerdos, sed Dauidis, & filius, & dñs, hoc est, Deus & homo. Sic aũt habet historię cõtextus.

Congregatis autem pharisæis, interrogauit eos Iesus dicẽs. Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est?

Hactenus tractauimus quæstionem insidioso animo à pharisæis Christo propositam. Iam uero proponit Dominus etiam quæstionem, non tentandi, uel fallendi animo sed docendi, & ædificandi proposito. Volebat enim Dominus hac quęstione urgere Pharisæos in cõspectu populi, ad ueri confessionẽ, ut sic uicti, et pudefacti post hac minus fallere possent populum. Nos hanc rem paucissimis expediemus. Scopus quęstionis est, Dñm Iesum Christum non tantũ hominem, sed et Deũ esse uerũ. Principio constat ex omniũ prophetarũ oraculis Chrm esse filiũ Dauidis, & proinde hominẽ uerũ. Egredietur uirga de radice Iesse, inqt Esaias, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eũ spiritus dñi. Et rursum, Ecce uirgo cõcipiet, & pariet filiũ, & uocabit nomen eius Emanuel Butirũ, et mel comedet etc. Hęc satis arguũt Christũ, hoc est, Messiã patribus promissum, fore uerũ & naturalẽ hominẽ, fratribus per omnia assimilatũ, excepto peccato. Et hoc non negabant Pharisæi, sicut nec hodie negant Iudæi

Iudęi suũ Messiã, quẽ expectãt, fore hominẽ, qui Regia dignitate, & potestate prędarus, illos reducturꝰ sit Hierosolymã, cuiusꝙ ausꝑicio & auxilio expugnaturi sint oẽs Gẽtes etc. At Chrm, hoc est. Messiã fore unigenitũ, & Germanũ Dei filiũ, hoc cõstantiss. aut potiꝰ ptinacissime, cõtra omniũ Prophetarũ apertissima oracula, negãt. Vnde iã interrogati, cuius filiũ putẽt Chrm, uidelicet, siue iã natus sit, siue adhuc uenturus sit.

Dicunt ei Dauid. Ait illis. Quõ ergo Dauid in ſpiritu uocat eũ Dominũ? Dicens. Dixit Dominus Dño meo.

Vides quid urgeat Dominꝰ Iesus? Nõ ut fateãtur Messiã, fore Dauidis filiũ, sed Dauidis dominũ. Quod em̃ filiꝰ Dauidis dicitur, hominis naturã exponit: quod uero dñs Dauidis dicitur naturã arguit diuinã. Necꝙ putemus in altero Dauidem uere dixisse, in altero uero mẽtitum esse. Quod Christus Dauidis filius, hoc est, uerus homo sit, nullis testimoniꝭ probat Christus, qm̃ hoc apud oẽs Iudęos, immo etiã apud multas Gẽtes in cõfesso erat. Vnde illę cęcorũ & Leprosorũ miserę uoces, Iesu fili Dauid, miserere nostri. Alterum uero quoniã in controuersia erat, probat Christus uerbis ipsius Dauidis. Et ut testimoniũ hoc maius põdus habeat, Dicit Christus Dauidẽ uerba, illa protulisse nõ instigatum affectu humano, aut errore lapsum, sed spiritu Dei impulsũ illa prędixisse. Hoc porro testimo-

nium tam efficax, ac ualidum erat, ut nemo ex Phariſæis Chriſto quicq̃ reſpondere poſſet, uidelicet ſine magna cõfuſione, Aut enim neceſſe eſt, ut utramq̃ naturam, & diuinam, & humanam in Chriſto agnoſcant, aut Dauidem ueridicum Prophetam mendacij̃ arguant. Hoc ne faciant, pietas, illud prohibet malicia. Audiuimus igitur iam mendacium contra ueritatem, homines contra Deum, nunc̃ prævalere poſſe. Audiuimus quales eſſe debeant piorum diſputationes, uidelicet ſimplices & purę, ſine inſidijs, dolo, uel calumnijs, inſtitutæ ad ædificationem audientium, peritæ item ex ſcripturis ſanctis, & huc directæ, ut Deum uere cognoſcamus, & quẽ miſit, filium Ieſum Chriſtum. Audiuimus item, quæ Deus præcipue à nobis poſtulat, nimirum dilectionẽ ſui, & proximi. Plenitudo legis eſt charitas, ait Apoſtolus, & alibi, Dilectio proximi malum non operatur. Quoniam uero hæc gemina dilectio humanarum uirium non eſt, ceu in ſuperioribus diximus humilimis uotis rogandus eſt Dominus, quatenus ipſe, qui charitas eſt, ſemetipſum cordibꝰ noſtris immittat, detq̃ nobis ueræ fidei, ſpei, & charitatis augmento, ut ſcilicet recte per fidem cognoſcamus eum per ſpem non temere fidamus ei, per charitatem illi, & proximis noſtris ex animo ſeruiamus. Quod utinam nobis contigat gratia, & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

DOMI-

DOMINICA XX.

Math. 9.



In illo tempore: Ascendens Iesus in nauiculã, transfretauit, & uenit in ciuitatẽ suam: & ecce offerebãt ei Paralyticũ, iacentẽ in lecto. Videns aũt Iesus fidẽ illorũ, dixit Paralytico: Confide fili, remittũtur tibi peccata tua. Et ecce, quidam de scribis dixerũt intra se: Hic blasphemat. Et cũ uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius, dimittuntur tibi peccata tua? An dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico:

tico : Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

EXPOSITIO.

MIrantur forsan multi, quod Dominus ad transfretandum nauicula utitur, qui ueterum recordantur miraculorum, uidelicet quomodo filij Israel, mare à Mose percusso, siccis pedibus per medium illius trāsierunt, & quomodo aquæ Iordanis eidem populo siccum prebuerunt iter, ita, ut aquę, quæ inferiores erant, decurrerent, atq; deficerent, quæ autem desuper ueniebant, in una mole cōsisterent, donec populus domini, arcam fœderis sequens pertransisset. Item quomodo idē Iordanis ictus pallio Helię, & dein Elisæi, utricq; transitum sicut cum præbuit. Hęc, inq;, qui cogitant, & uere cognoscunt, Dominū nostrum Iesum, forsan mirantur, quod iam, immo & alibi trāsmetaturus mare, nauiculā conscendit. Hic enim dominus noster Iesus Christus idem ille est, de quo Psal-

mo-

mographus canit. A facie Domini mota est terra à facie dei Iacob. Qui conuertit petrã in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. Et iterum. Qui diuisit mare in diuisiones, & eduxit Israel per medium eius, Verum nemo hæc mirẽtur. Nam quoniam Dñs Iesus ex duabus naturis constabat, diuina scilicet, et humana, & utriusque cognitia nobis ad salutem necessaria fuerat (nam qui uel utrameꝫ, uel alteram negat, salutẽ consequi nequit) ideo nũc declarat se hominem uerũ omnibus humanis infirmitatibus (excepto peccato) circumdatũ, dein etiam diuinam suã potentiã exerit, ut uere declarat, se & deum et hominem esse. Sed quid opus est hic longa præfatiõe, quid necesse est hic prolixioribus uti ambagibus, quum in hodierna lectione egregium specimen det Christus suæ, & infirmitatis, & potestatis? Sic enim habet Euangelij lectio. Psal. 113. Psal. 135.

Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam.

Quod in Nauiculam conscendens, sic transfretat, certe humanitatis est aut potius humanæ infirmitatis. Necꝫ enim hominis est, uel siccis pedibus super aquas ambulare, uel ad instar uolucris Mare præteruolare. De natando nihil diximus; Dñs itaque noster Iesus Christus hic nauigio utitur, qui alibi siccis pedibus, super aquas ambulat. Hoc diuinę potentie est, illud, ceu diximus, humanæ infirmitatis. Et posset quidem

Domi⁹

Dominus ubicq; suam potentiam, ac diuinitatē ostendere, sed nolebat, quoniam aliter nobis cōueniebat. Omnia enim instituit, ut eū penitius cognoscamꝰ. Sic post resurrectionē suā, subinde comedit, ac bibit, non quasi corpus iam gloriosum īmortale, et impassibile cibo, uel potu egeat, sed quia sic uolebat ueritatem corporis Apostolis certo demonstrare, ac illos in fide nō nihil uacillantes, confirmatiores reddere. Et ideo nō curiosius inquirendū est in facta Christi, quare uidelicet nunc hoc, nunc aliomodo sese gesserit, sed potius illi gratiæ agendæ sunt, quod omnia in ædificationem nostri fecerit. Iam quod ab initio huius Euangelij legimus, Christum in ciuitatē suam uenisse, rursum humanæ naturę indicium est. Qui enim in Bethleem natus, & in Nazareth educatus, & in Capernaum sæpiss. habitasse prędicatur, hic certe necessario homo esse creditur, sed ad historiam. Nauigio uenerat Dominus ad Gerazenos, absq; dubio ad ipsorum salutē. Verum cum isti audirent porcos suos in mare præcipitatos, orant Dominū, ut discedat ex finibus eorum. Sic nos solemus hodie uere omnes ualedicere, uidelicet Christo, ubi uel modicum cæperimus metuere, uel tantillum nostris decessurū compendijs. Rogatus itaq; Dñs ab eis discessit, nec inuitis prędicare noluit, Necq; enim est inuitis gratia Euangelij obtrudenda. Hinc est, quod Christus etiam Apostolos suos ita instruxit, ut si non susciperentur in una ciuitate, discederent inde,

inde. Sic & Paulus fecit Act. 16. Ita & hodie nemo compellit Iudæos ui, ut nostram amplexentur religionem: uerbis enim ad hanc suscipiendum inuitandi sunt, nō uiolentia cogendi. Secus tamen est, quando qui sub Christi nomine sunt, seducti sunt. Tales etiam inuitos oportet cogere ut uerbum Christi audiant, reliquisque catholicis Christianis conformes se exhibeant. Sic cogere potest Paterfamilias suos, sic Magistratus, sic Ludimagister. Sed hæc forsan nō admodum in loco, licet necessariam esse hanc digressionem nihil dubitemus. Huc nos produxit illud quod diximus. Christus á Gerazenis uenientem (nam inuitis illis nolebant prædicare) in Nauiculam conscendisse, ac sic uenisse in ciuitatem suam Capernaum uidelicet, in qua sæpe prædicauerat, & multa miracula fecerat, licet non admodum magno Capernaitarum fructu. Sic enim alibi ipsis suam ingratitudinem, & duritiam cordis exprobrat, Et tu, inquit, Capernaum nunquid usque in cælum exaltaberis? usq; in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te forsan mansisset usq; nunc. Verum tamen dico uobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die Iudicij, quam tibi. Sed uideamus, quid iam in ciuitate sua facere uelit. Math. 11

Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Et si nullis Christi miraculis moueantur, tamen nusq; non adferunt illi infirmos,

firmos, & debiles, & offerũt occasionẽ illi operã
di miracula. Sed forte nulla ciuitas tam corrup
ta, quin uel paucos habeat bonos uiros. Sic in ca
pernaum forsan non oẽs omnino erant deplora
ti, sed maior pars, quæ raro est potior, erat tota
peccatis, et criminib9 dedita, et Chro exosa. Huc
forsan ptinet quod in Euãgelio Ioañis, Chĩs Re
gulo, cuius filius infirmabatur Capernaũ, dice-
bat. Nisi signa & prodigia uideritis, nõ creditis.
Etisti qui Paralyticũ Chro offerunt, haud dubie
non male de ipso sentiunt. Videmus em̃ in istis
baiulis magnã fidem erga Chrm, & magnã di9
lectionem erga proximũ. Hæc aũt res tũ claria
us iñotescet qñ alios Euangelistas sup eodem ne
gocio audierimus, Marcus em̃ Euangelista hãc
historiã picturatius ꝓponens scribit. Et ueniũt
ad eum ferentes Paralyticũ, q̃ à quatuor porta-
batur, & cũ non possent appropinquare illi præ
turba, nudauerũt tectũ, ꝯdium in quibus erat, per
fossoꝫ tecto, funibus demittunt grabatũ, in quo
Paralyticus decũbebat. An non est hoc exẽplũ
magnæ, & inconcussæ fideis? Fides ut quidã ait,
est certa de potentia, & bona dei erga nos uolũ-
tate persuasio, quæ nullis impedimentis remo-
ram sentit, nulla ui interueniente interrumpitur.
Quia ergo homines isti semel fidem in Dominũ
conceperant, non poterat ipsos impedire, quan-
tumuis frequens turba, imo ne prẽclusus quoꝫ
ipsis Dominus, aut negata ipsis adeundi occasio
sed inueniunt uiam, quam infidelis nunquam co
gitasset

gitasset, aut si cogitasset, cõtẽplisset tamẽ strenue. Cernebãt ob oculos iacere Paralyticũ, nõ ut hominẽ uiuũ, sed ut uiuũ potius cadauer, de cuius sanitate recuperanda, proculdubio desperassent alij. Hi uero sumam spẽ, ac fiduciã, tã de potẽtia, quã bonitate Chri cõceperãt, ac iccirco ad Christũ alacres festinãt. Breuiter dicã. Fide credunt Chrm talia posse. Sperãt Chrm talia uelle, Dilectione adducũt Paralyticũ. Nisi enim amassent Paralyticũ, huiusq; uicẽ doluissent, nequaquã tã diligenter eũ obtulissent Christo curãdũ. Et hic uidemꝰ quã nos simus stupidi ad æternã salutẽ fratribꝰ acquirendã, si collati fuerimus ad istos, qui ita seduli, fuerũt pro ægroti huius corporea procuranda salute. Quanto quæso minus esset malorũ, si tanto studio curaremꝰ, fratrũ nostrorũ salutẽ? Sed ad cõtextũ redeamꝰ. **Et uidens Iesus fidẽ illorũ, dixit Paralytico, Cõfide fili, remittuntur tibi peccata tua.** Quorum nam fidem uidit hic Christus ut ipsius intuitu sanaret Paralyticum? Cõmunis sententia est, Euangelistam hic loquí de fide baiulorum: neq; tamen à uero aberrauerit, quia etiã de fide Paralytici illum dixisse putat. Disputarí solet hic de aliena fide, hoc est, an ego mea fide alij, uel alius sua fide mihi prodesse possit. Verum quoniam angustia temporis prohibemur, totum negotium pro merito expendere, malumus nihil de ipso dicere, q̃ uos dubios domum

dimittere

dimittere. Alia sunt nobis hic dicenda, & forte cum maiori fructu Charitas uestra hæc audiet. De fide illorum iam diximus: hæc enim tũ tandem Deo maxime placet, quando spem, & charitatẽ comites habet. Iam diligenter, O mihi in Domino chariss. audite, quã amice Christus alloquatur Paralyticum, Confide, inquit, fili, hoc est, bono animo esto, remittuntur tibi peccata tua. Ecce, filiũ uocat, quem tamen peccatorẽ dicit. Quomodo peccator est filius Dei? Si deus non esset pater peccatorum, nequaquã docuisset nos Christus dicere in orationibus nostris, pater noster, qui es in cęlis, remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Pater aũt peccatorũ est Deus nõ, quia peccatores sumus, sed quia homines sumus. Pater peccatorum est, non, ut peccata foueat, sed ut illa expellat. Sic medicus pater est ægroti, quando hunc non ob ægritudinem interficit, sed potius ab ægritudine liberat. Breuiter, Deus pater est nostrorũ peccatorũ, quia mauult ea agnoscentibus, & relinquentibus ignoscere, & parcere, quã ut Iudex uindicare. Hęc aũt mihi non eo dicantur, ut liberius peccemus, sed ut citius à peccatis declinemus, ne olim sentiamus eũ Iudicem, quẽ iam contẽnimus patrẽ. Iam quod ad Paralyticũ Christus dicit, remittunt tibi peccata tua, probe obseruãdũ est, nã his uerbis testatur Christus se potestatem habere in animam, & corpus nostrum, posse item utrumq; uel sanare, uel perdere, male

re, male uero sanare quã perdere. Christus ita-
que, ut bonus, & peritus medicus, non forinse-
cus morbum curare uult, sed radicitus, ideoq;
dicit confide, fili, remittuntur tibi peccata, hoc
est, quoniam ob peccatum hunc morbum in-
cidisti, sublatis peccatis, aufferetur & morbus.
Videmus ergo hoc in loco, sicut etiam alibi,
peccata nostra plerumq; esse causas morborum
nostrorum, id quod scriptura tam ueteris, quam
noui testamenti multis locis declarat, ut Deut.
28. Ex transgressione legis, uide quos morbos
minitur. Et Io. 5. Iam sanus factus es, uide ne
pecces amplius, nẽ quid deterius tibi contin-
gat. Et 1. Cor. 11. Satis aperte ostendit Pau-
lus, & abusu Eucharistiæ factum esse, ut Corin-
thiorum multi perierint. Cũ ergo hoc sciamus
(nam sæpe de hac re loquimur) qui fit, o boni,
quod eas causas morborum nostrorum non
consideramus, & amputamus, quas scriptura
assignant, & tam multi interea simus in obser-
uantia rerum naturali um, & externarum, nunc
aeri, nunc aquis, nunc frugibus morborum no-
strorum causas adscribentes? Quando ægrotas
mus, quid primum facimus? Medicos corporis
accersimus, peccatorum nulla habita ratione.
Proinde admonemur hic, ut primum omnium
ipsam causam morbi amputemus, hoc est iram
Dei auertamus, quod fit, dum à peccatis ab-
stinuerimus. Sed hæc hactenus. Ad residuum
huius historiæ properandum est.

Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphemat.

Mirum est quod usus tot miraculis scribæ, & Pharisæi noluerint Christū penitius cognoscere, sed perpetuo ipsum reliquis | lebeis, & peccatoribus hominibus similē faciunt. An non multa miracula operatus est Christus, quibus notū fecit se maius quid homine esse? Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, inquit alibi Christus, testificantur de me. Et ex talibus operibus Nicodemus ille, utcunq; in aliquā cognitionem Christi uenerat Rabi, inquit, Scimus q̄d à Deo ueneris Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quę tu facis, nisi fuerit Deus cū eo. At nihil tale cogitāt scribæ. Sed quid? Ecce, inquiūt, hic blasphemat, hoc est, quum similis nobis homo peccator sit, diuinā sibi arrogat potestatem. Quis enim potest dimittere peccatum nisi solus deus? Hic uero deus nō est, sed Iosephi fabri filius, & tamē remittit, aut potius fingit se posse remittere peccata. Sed age uideamus, expēdamus q̄, an Chr̄s temere sibi uendicet autoritatē Dei.

Et cum uidisset cogitationes eorum, dixit, Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris?

An non est hoc euidens argumentum, Christū esse deum, & posse, quod nō nisi deus potest, cognoscendo uidelicet cogitationes cordiū ipsorum

rum,hoc enim solius dei. Nam scriptum est. Tu, 2.Par. 6.
nosti corda solus omnium. Et rursum, Scrutãs Psal. 7.
corda,& renes deus. Et alibi. Homo uidebit in 1.Re. 16.
faciem,Deus autem intuebitur in corde. Nam
quia illud, quum sibi uidetur impossibile, non
recipiebant,ut Oecumenius adnotauit, inducit
hoc tanquã indubitatum per hoc probans etiã
illud:ac si diceret. Vere nullus potest remittere
peccata,nisi unus,qui intuetur cogitationes ho-
minũ. Cũ igitur intelligitis me cognoscere co-
gitationes uestras etiam iudicio uestro occul-
tissimas, quid amplius dubitatis me etiam pos-
se remittere peccata? Pharisæi enim, & scribę nõ
palam accusabant Christũ blasphemię, sed tan-
tum in cordibus suis illum eius criminis insimu
labant Atqui Christus non minus nouerat co-
gitationes, quã uerba, & facta eorum. Sed ait.
Quare non probauerit Christus sacrarum litera
rum testimonijs, sue esse & potestatis, & officij
remittere peccata? Poterat quidem hoc domi-
nus,sed nolebat, quoniam se apud illos nihil ef-
ficere posse sciebat. Nam si scripturas adduxisset, mox fugessissent illi. Atqui non mox ad
te adtinẽt illę scripturę. Adtinent quidẽ ad Mes-
siã nostrum, quem à deo promissum expectamus, uerũ tu ille non es. Proinde nihil ad te ista.
Ergo Christus etiã alio argumẽto probat se ue-
re habere potestatẽ remittendi peccata in terris.

Quid est facilius dicere, Dimittun-

tur tibi peccata tua: an dicere, Surge, & ambula? Simplicior sensus, & interpretatio est huius interrogationis? Vtrum facilius est facere, Remittere peccata, an unico uerbo, nullis autem medicamentis facere, ut Paralyticus, hoc est homo per se omnibus uiribus destitutus, statim incolumis sit, surgat, ambulet, ac onera portet? Iam si dixissem ad ægrotum illum. Surge, & ambula, non accusassetis me blasphemiæ. Vbi autem dixi. Remittuntur tibi peccata tua: uideor uobis blasphemus esse. Iã dicite. An non solius dei est propria uirtute, & solo uerbo ęgrotũ sanare? sicut solius dei est peccata remittere? Iã qui alterũ potest, uticq; utrũq; potest. Igitur si unico uerbo possum sanare hũc paralyticum, concedetis uticq; & me posse ei remittere peccata. Vt igitur sciatis, quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata &c.

Q. d. Videre nunc, an uerba mea uana sint, an præter diuinam potestatem agam. Probate nunc ex isto uisibili, quid tenere debeatis de inuisibili. Si paralyticus hic ad iussum meum non sanatus est, si non suis uiribus restitutus, si non membrorum suorum potens, arguite me blasphemiæ. Quoniam uero hunc uidetis non iam à quatuor baiulis portari, sed propria uirtute solum, nec alicuius auxilio indigentem, meliora

meliora uobis de me promittite, ac tandem re-
sipiscite. Paralitycus igitur ad uerbum Christi Mar. 2.
incolumis factus, statim surgit, &, sublato se-
cum grabbato, abit in domum suam, omnibus
hoc spectaculum & uidentibus, & admiranti-
bus, & deum super hoc glorificantibus. Quid
igitur ad nos pertinet hoc Euangelium? Mul-
tum supra modum. In hoc enim, ceu diximus,
habemus euidentissima testimonia utriusq; na-
turæ in Christo, diuinitatis scilicet, & humani-
tatis. Discimus item eundem Christum domi-
num nostrum & posse, & uelle sanare corpus
nostrum, & animam nostram. Discis exem-
plo baiulorum, quanto studio debeas inseruire
proximo tuo, hoc est omni, qui tua ope opus
habet. Admoneris exemplo, licet malo, Phari-
sæorum, ne æquo animo feras blasphemias in
deum. Discis exemplo turbæ, ne opera domini
calumnieris, sed potius glorifices. Hæc si non
solum audis, sed credis, amas, & sectaris, hoc lu-
craberis, ut, omnibus huius mundi aduersis
superatis corpore, & anima concedas ad Iesum
Christum dominum nostrum, qui est deus be-
nedictus in secula. Amen.

DOMINICA XXI.
post Trinitatis.
Math. 22.



N illo tempore, dixit Iesus turbis: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Iterum misit alios seruos, dicens dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autẽ neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negociationem suam: Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ

ratæ sunt, sed, qui inuitati erant, non fuerũt digni. Ite ergo ad exitus uiarũ, & quoscunq; inueneritis uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, cõgregauerũt oẽs, quos inuenerunt, malos, & bonos, & implete sunt nuptiæ discumbentiũ. Intrauit aũt Rex, ut uideret discũbentes, & uidit ibi hominẽ non uestitũ ueste nuptiali, et ait illi. Amice quomodo huc intrasti, nõ habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris, Ligatis manib⁹, & pedibus eius mittite eũ in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentiũ. Multi autem sunt uocati, pauci uero electi.

EXPOSITIO.

PArabolica hac narratione præcipue adumbratur Iudæos sua culpa, perfidiaq; excindendos, reiciẽdosq; esse à Do-

mino. Gentes uero in repudiatorum Iudæorũ locum recipiendas, hoc aũt non tantũ in huius Euãgelij parabola, ſed & in multis alijs depingitur, quemadmodum & in Propheticis literis de hac re, etiam innumera ſunt teſtimonia, quorũ aliquot Diuus Paulus in Epiſtolis ſuis ſubinde allegare ſolet. Non enim Iudæorum deus tantum, ſed & gentium. Et habet Chriſtus etiã alias oues, quæ non ſunt ex Iudaico ouili, & illas oportet adducere. Et implenda erat Prophe-
Rom. 9. tia illa, quæ iam olim dixerat in Domini perſo-
Oſe. 2. & 1. ſona. Vocabo non plebem meam plebem meã, & nõ dilectam dilectã, & nõ miſericordiã conſecutã miſericordiã conſecutam. Et erit in loco, ubi dictũ eſt eis: Non plebs mea uos, ibi uocabũtur filij dei uiui. Iudæi quidẽ primum uocantur: ſed poſtquã uenire renuunt, contemptus eis, ad Gentes mittuntur ſerui, ut uel iſtæ tandem ueniant ad nuptias filij Dei. Sed audiamus parabolam ipſam, non minus pijs gratiam, quam impijs periculoſam, Sic habet Mathæus.

Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.

CHRISTVM Ieſum Dei uiuentis unigenitum filium uocari Sponſum in ſacris literis nemini Chriſtiano obſcurum eſſe debebat.
Eſa. 62. In Eſaia legimus. Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.

Quem

Quem ſponſum uocat, eundem uocat & Deū. In Oſæe uero de eiſdem Nuptijs dicitur. Et ſpō ſabo te mihi in æternum, & ſponſabo te mihi in iuſticia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Sic in Pſalmis audimus de ſponſo noſtro Ieſu Chriſto, ubi canitur. In Sole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanq̄ ſponſus procedēs de thalamo ſuo. Venimus iam ad Euangelium, & audimus Sponſi huius Paranymphum clamantem. Qui habet Sponſam, ſponſus eſt. Et Sponſus ipſe ſuos conuiuas excuſans contra Phariſæorum calumnias, inquiebat. Non poſſunt filij ſponſi ieiunare q̄ diu cū illis eſt ſponſus: ueniunt autem dies, quādo ablatus fuerit ab eis ſponſus tunc ieiunabunt. Sed & apud Mathæum noſtrum rurſum audimus parabolam de decem Virginibus, quæ inuitatæ fuerant, ut ueniente ſponſo ingrederentur cum ipſo ad Nuptias, Deus itaque pater Rex ille eſt, qui fecit Nuptias filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſponſus eſt, ceu iam diximus. Sed quam dabis huic ſponſo ſpōſam ipſo dignam? Si dignam quæris, uereor quantum in ipſa erit, nullam reperies. Atqui ea eſt ſponſi humanitas, & humilitas, ut etiam indignam non reſpuat. Vnde ſupra auditum eſt, quod dixit. Ponſabo te mihi in miſericordia, & miſerationibus. Si requireret ſponſam pulchram, ac bene dotatā, certe nullam reperiret. Verum ſponſus ille non

Oſee. 2.

Pſal. 18.

pulchritudinem respicit, non considerat diuitias, sed tantum fidem sponsæ postulat. Hinc rursum supra dixit. Sponsabo te mihi in fide. Si pulchritudine opus est. Sponsus ille, ac talis est, de quo Iob loquitur. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Sed ais. Potest quidem, sed num

Ephes. 5. etiam fecerit audire gestio. Audi Apostolum. CHRISTVS dilexit Ecclesiam suam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ, in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata. Hanc sponsam, Ecclesiam scilicet, uidit Ioannes Apostolus

Apo. 21. de cælo descendentem, à Deo paratã, sicut sponsam ornatam uiro suo. Et sicut in eodem capite legimus, Habebat claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi præcioso, tanquam lapidi laspidis, sicut Crystallum. Ex hijs audis, & intelligis uni de sponsæ huic Ecclesiæ uidelicet suus decor, & suus ornatus, non à semetipsa, sed à sponso suo, qui speciosus forma præ filijs hominum, in cuius labijs nihil, nisi mera gratia, & qui in æternum benedictus est à Domino Deo. Quod uero dotem, siue diuitias adtinet, nihil reculerit etiam si sponsa pauperrima fuerit. De sponso enim dicitur. Gloria, & diuitiæ in domo eius. Nec inuidet sponsæ sponsus, nec eam finit ulla paupertate premi. Sed iuxta Paulum. Quum

diues

dives esset, factus est pro nobis egenus, ut nos diuites efficeremur. Sed hæc forsan æquo prolixius prosecuti sumus. Simpliciter ergo iam dicimus in hac parabola significari, quam miserieorditer, ac gratiose, ut ita loquar nobiscum agat dominus, qui ex sola, & mera sua gratia nos uocat, & inuitat ad Regnum cœleste, ad uitam æternam, cuius nemo poterit fieri particeps, nisi prius fuerit membrum Ecclesiæ, & sic unum corpus cum CHRISTO, permanseritque in corpore CHRISTI donec in hoc sæculo uixerit. Ne igitur quispiam se excusare possit, ac si de hijs nuptijs nihil audierit, docet dominus per se non stare, quur multi non ueniant, quum ipse toties emiserit, & adhuc emittat seruos suos, qui nos semper inuitant ad cœlestes nuptias. Sic autem depingit nobis CHRISTVS hoc negotium in parabola Euangelica, ut omnia adducat, quæ cõmendare nobis possunt Dei gratiam, & beneuolentiam: nihilque prætermittat, quod nostram conuincere potest ingratitudinem. Primo enim cõmendatur gratia Christi in eo, quod Nuptijs comparatur, in quibus nihil est triste, sed omnia læta, & iucunda. Deinde quod non simpliciter Nuptijs quibuscunque, sed Regalibus, ubi omnia, quæ ad gloriam, & splendorem Nuptiarum, atq; hilaritatem conuiuarum abundantissime faciunt, instituuntur. Tertio quod talibus, quas pater, Rex facit, non seruo alicui, uel

amico

amico, sed filio, in quibus & pater summo gaudio gestit, & filius splendidiss. honoratur, & conuiuę lautiss. excipiũtur. Nam deus pater uoluit multos habere participes tantorum gaudiorum, unde sequitur. **Et misit seruos suos uocare inuitatos ad Nuptias, & nolebant uenire. Iterum misit alios seruos.**

Hijs declaratur rursum Patris benignitas erga ingratos Iudęos, quos semel, atq; iterum per tam multos seruos suos uocauit ad tam splendidas Nuptias. Seruorum uero nomine intelligit Prophetas, qui nunq; non admonuerunt illos melioris uitæ, & eis polliciti sunt Messiæ aduentum.

Hier. 7. Huc pertinet, quod apud Hieremiam legimus. Et misi ad eos omnes seruos meos, Prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suã, sed indurauerunt ceruicem suam & peius operati sunt, q̃ Patres eorum. Hęc ille. Et, si diligenter perpenditis uerba Prophetæ, uidetis quam pulchrę concordent cum hac parabola nostra. Rex enim pater sponsi non unum tantum seruum misit sed plures: nec semel, sed iterum, atque iterum: nec sero, sed præpropere, longe ante tempus Nuptiarum, Audierant à Prophetis Messiam uenturum, audierunt à Ioanne. Iam in medio uestrum est. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Me oportet minui, illum uero oportet crescere. Sed ad has Prophetarum, Apostolorum

sorum, & Euangelistarum uoces parum moti sunt: nolebant uenire, inquit Christus in Parabola. Non dicit. Nihil de hijs Nuptijs audiuerant: uel. Venire non poterant, sed nolebant uenire. Quid ergo ipsos impediuit? **Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam.** Duo genera hominum hic uidetur ponere Dominus, qui nolunt ad has nuptias uenire, hoc est, qui nolunt se parare ad uitam æternam. Primum genus porro Epicureum est, aut non credit Deum esse: aut si etiam sit, tamen nos, nostraq; non curare: & ideo neq; cœlū speraant, neq; infernum formidant, sed in omni securitate huius mundi uoluptatibus fruuntur, nec unq; eis in mentem uenit, quid hanc uitam sequatur Tales, uereor, ut mundus hic multos habeat, qui nunq; recordantur, quid Christianum facere oporteat, quid deus uel præcipiat, uel prohibeat. Nam nunq; uides eiusmodi homines in congregatione aliqua piorum, non precantur, non intersunt uel sacris concionibus, uel sacris sacrificijs. De deo, uel diuis nunquam loquūtur nec de hijs loquentibus aures accomodant: breuiter nihil habent, unde Christianos agnoscas, præter quod à Christianis parentibus prognatos, & deinde baptizatos esse nosti. Alterum genus eorū est, qui et si cogitent se Christianos esse, deumq;

deumq; iustum iudicem fateantur, tamen sic ca-
piuntur, & illaqueantur huiusmodi uoluptati-
bus, ut meliora quidem probent, deteriora uero
sequantur. Tertium genus, quod & pessimum
est, sequitur **Reliqui uero tenuerunt ser-
uos eius: & contumelijs affectos oc-
ciderunt.** Hæc nulla interpretatione egent,
postq; scimus quàm amicè tractauerint Iudæi
prophetas, & Apostolos, qui hic serui Regis uo
cantur. Beati estis, inquit alibi Christus ad Apo
stolos suos, cum maledixerint uobis homines,
& persecuti uos fuerint, & dixerint omne malũ
aduersum uos mentientes propter me, & gau-
dete, & exultate, quoniam merces uestra copio-
sa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas,
qui fuerint ante uos. Notum item est, quæ Ste-
phanus protomartyr Christi Iudæis obiecerit.
Act. 7. Dura, inquiens, ceruice, & incircumcisi cordib.
& auribus, uos semper spiritui sancto restitistis.
Sicut Patres uestri, ita & uos. Quem prophetа-
rum non sunt persecuti patres uestri? Et occide-
runt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti hu
ius, cuius uos nunc proditores, & homicidæ fui
stis &c. Det Dominus, ut mundus tales Euan-
gelicæ ueritatis hostes nullos habeat. Certe mul
ti minacibus uerbis satis declarant quid uellent,
si daretur eis facultas sæuiendi in Euangelij mi-
nistros. Quomodo uero horum crudelitas Deo
placeat, iam accipietis.

Rex

Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

Et huius Paragraphi sensus simplex, & facilis est. Scimus enim qualiter, immo potius quantas pœnas dederint Iudæi Hierosolymis post Quadragesimum ab Ascensione Domini annum. Impletum est enim illic, quod in Euangelio Dominus fore prædixerat, etiam non sine lachrymis. Venient dies in te, inquiebat Dominus, & circumdabunt te inimici tui uallo, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent lapidem super lapidem eo, quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Hæc, inquam, quoniam scimus impleta esse, non difficulter intelligimus, quomodo Rex iratus missis exercitibus suis perdiderit homicidas illos, atque ciuitatẽ eorum igne succenderit, ac deuastauerit. Iam licet hæc intellectu facilia sunt, tamen uel cogitatu terribilia sunt. Hæc enim propter nos scripta sunt, in quos fines sæculorum deuenerunt, Discimus autem hoc in loco, Domino Deo non ideo placere peccata nostra, quoniam non statim illa puniat. Dissimulat enim peccata nostra, propter pœnitentiam. Quod si patientia, & longanimitate eius fuerimus abusi,

tunc

tunc thesaurizamus nobis iram in die iræ, & res ipsa tandem experiemur uerissimum esse illud uulgo iactatum prouerbium, Deos habere laneos pedes, & plumbeas manus. Et quod ille explicatius scripsit. Lento gradu diuinam procedere iram, tarditatem autem supplicij grauitate compensare. Ante omnia uero obseruandum est, quod in hac parabola dicitur, Regē emisisse suum exercitum ad perdendos homicidas illos. *Quis uero iam nesciat Iudæorum populum* à Romanis, hoc est Idololatris *perditum fuisse?* Ergo Deus etiam alienigenis, & Idololatris utitur ad flagellādum, aut potius, si modo uolunt, ad emendandum populum suum. Vocatur hac in parabola Romanus miles exercitus Dei. Ita & Babyloniorum Rex seruus Dei in Prophetia dicitur: quoniam per illum populum suum castigabat. Pro eo, quod non audistis uerba mea, dicit Dominus, ecce ego mittam, & assumam uniuersas cognationes Aquilonis, et Nabucho donozor Regem Babylonis seruum meum: & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes Nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas. Hanc scripturam, & hæc exempla utinam serio tandē, et pœnitius expenderemus. Experimur iam olim nos cōtra hostes nostros nunc̄ prævalere posse, omnes conatus nostros frustrari, omnem pecuniam nostram in cassum

Hiere. 35

insumi,

Insumi, pauci tantum cogitant peccata nostra nobis, quo minus uincamus, impedimento esse, & ex nostra malicia hostibus nostris de nobis contingere uictoriam. Sunt quidem & illi impij, tamen his contra nos de nobis triumphare à Deo conceditur, illi uero etiam suas pœnas nõ effugient. Est & Satanas impijssimus, nihilominus huius ministerio flagellantur & pij, & impij, non quod ille magis placeat Deo, sed ut isti emendati tandem resipiscant. Sed hæc hactenus prolixius, quam institueram. Sequitur in textu.

Tunc ait seruis suis. Nuptiæ quidẽ paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Dicat hic aliquis: Quomodo posset aliquis dignus esse, ut uocari mereatur ad cœlestes has nuptias, quum omnes peccatores simus? Respõdeo. Nemo ex se simpliciter dignus est, sed quisquis oblatum Euangelium non respuit, qui Christi gratiæ non reluctatur, qui legatos cœlestis gratiæ non auersatur, sed placide, & cũ gaudio excipit. Indigni uero sunt, qui nõ magis gratia regni dei afficiũtur, quã canes rebus sanctificatis, aut sues margaritis: prorsus mũdani, & in reb. mũdi, cœnoq; uoluptatũ carnalium absorpti. Sed quid opus est multis hic disputare qui nam digni, uel indigni sint, quum ex prioribus partibus parabolæ satis intellexerimus, scilicet eos indignos uocari, qui noluerunt uenire, & neglexerunt, abie-

runtq; alius in uillã suam, alius ad negotiatio-
nem suam: Si enim excluderet peccatores ab his
Nuptijs, non admitteret ullum hominẽ. Quod
uero peccatores uelit, testatur ipse Dominus ipse inqui-
ens. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad
pœnitentiam. Certum igitur esto, ut per indig-
nos non peccatores, ita per dignos non esse in-
telligẽdos iustos. Imo peccatores maxime esse
eos ad quos mittuntur Apostoli. Ad quos enim
irent medicorũ ministri, rectius, quã ad ægro-
tos? Quas oues rectius quæreret pastoris minis-
stri, quã perditas? Sed sufficerint hęc. Iam quæ
sequuntur de uocatione Gentium, ut uerbotim
exponamus, temporis angustia prohibet: nec
etiã multum difficultatis habet. Hoc tantũ ob-
seruandũ est, quod licet Iudæi, & Gentes, & iam
nos Gentium progenies ad regni cœlestis nu-
ptias uocemur, & gratis per misericordiam Dei
uocemur: si non habuerimus uestẽ nuptialem.
hoc est, si nõ habuerimus conseruationem hñs
Nuptijs dignam, tandem nostro maximo ma-
lo ẽjciemur in tenebras exteriores. Qui enim
nos per gratiã misericors ad nuptias uocat, in ilã
la die tanq; iustus Iudex nos iuxta opera nos
stra per iustitiam suam iudicabit. Magna gratia
est sic uocatum esse, fidem accepisse, baptizatum
esse, die Agno cœlesti comedisse, inter Dei popu
lum numeratum fuisse. Sed nisi professione tua
dignum te gesseris, de te actum erit. Proinde li-
benter obtemperemus Regis ministris grati si-

mus

mus tam benigno Domino, induamur mundis uestibus, ut tandem liceat nobis cum sponso nostro ire ad Nuptias illas cœlestes. Quod utinam nobis contingat gratia domini nostri Iesu Christi. Amen.

DOMINICA XXII. POST Trinitatis. Ioan. 5.



IN illo tempore erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaũ. Hic cum audisset, quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus, domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus

uade filius tuus uiuit. Credidit ho-
mo sermoni, quem dixit ei Iesus, &
ibat. Iam autem eo descendente, serui
occurrerunt ei, & nunciauerunt, di-
centes, quia filius eius uiueret. Inter-
rogabat ergo horam, in qua melius
habuerit: & dixerunt ei: Quia heri
hora septima reliquit eũ febris. Cog-
nouit ergo pater, quia illa hora erat,
qua dixit Iesus: filius tuus uiuit, &
credidit ipse, & domus eius tota.

EXPOSITIO.

VErus miraculorum domini nostri Iesu Christi usus est, ut per illa eius potẽtiam, & benignitatẽ cognoscamus, intelligentes, ea nõ tantũ ea, quæ scripta legimus, sed etiã longe maiora posse, nec tantũ posse, sed etiã, quæ in commodũ nostrũ facere nouerit, in his facere uelle. Si enim alius nullus usus esset miraculorũ domini, quã quod homines illi, circa quos operatur miracula, sanantur, nulla esset necessitas illa conscribendi. Dicamus itaq; cum D. Paulo. Quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam

doctrinā ſcripta eſſe. Neq; enim alijs benefacit Chriſtus, quaſi hoc nihil ad nos pertineat: ſed uult, ut nobis eadē de illo polliceamur, neq; unq̄ quā beneficiorū illius immemores ſimus. Sic quādo pauciſſimis panibus ſatiauit multa hoīminū milia, nō uoluit ut eius miraculi poſt hac nulla mentio, uel memoria fieret, ſed uoluit ut illud cogitantes certo ſperamus nos in nulla re defectum paſſuros, quā diu domino noſtro adhæreremus. Hinc eſt, quod alibi diſcipulos de panibus ſolicitos reprehenderat dicens. Quid cogitatis inter uos modicę fidei, quia panes nō habetis? Nōdum intelligitis, neq; recordamini quinq; panū, & quinq; milliū hominū, & quot cophinos ſumpſiſtis? neq; ſeptē panū, & quatuor milium hominū, & quot ſportus ſumpſiſtis? Miraculū igitur hoc de mirabili refectione hoc inſinuat nobis, ne uentris curam iniquā habeamus, ſed perpetuo cogitemus deum noſtri curā habere, & poſſe, & uelle. Sic dum audimus alios quot mortuos à Chriſto excitatos, intelligimus eū habere uitæ, & mortis poteſtatem, nec ei fore difficile excitare in nouiſſimo die omnes mortuos, qui in mortali corpore adhuc exiſtens excitauit paucos, & hoc quaſi unico uerbo. Sic Regulus, cuius in hodierno Euāgelio mentionē audiuimus, audito miraculo illo, quo dñs Ieſus in Cana Galileæ aquā in uinū conuerterat, ſtatim ſpē concepit Chriſtū non hæc tantū poſſe, ſed etiā alia, & maiora, ideoq; Chriſtum acceſ-

Mat. 15. & 14.

Mat. 16.

sit, & filio suo sanitatem ab illo magnis precibus rogauit. Sic enim habet Euangelium.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Quidam dicunt hunc Regulum, siue Regium sic uocatū, uel quod Regio esset genere, uel quod dignitatē nactus erat, à qua Regius cognominabatur, uel quod minister esset Regius. Vnde quidā putant hunc fuisse Centurionē illum, de quo Matthæus, & Lucas mentionē faciunt: sed fallūtur. Siquidem, ut alias eorū differentias omitamus, ille Centurio erat. Hic Regulus: illius seruus ægrotabat, huius filius, & ibi morbus erat paralysis, hic aūt febris. Sed hęc aperta sunt. De Regulo itaq; dicitur. **Hic cum audisset, quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilęam, abijt ad eum: & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.** Humilitatis est quod Regulus hic nō mittit seruos suos ad Iesum, sed ipse abit ad Iesum, nec putat sibi hoc Iesum debere eo, q̄d Regulus sit, nec pro sua autoritate illi mandat, sed supplicit rogat, quatenus Iesus nō detrectet secū descendere ad decumbentē filium. Et certe quisquis aliquid à deo impetrare uoluerit, necesse, ut, posito fastu, reiectaq; propriæ dignitatis fiducia, humiliter petat misericordiam.

cordiã, nõ temere appellat iustitiã. Nõ intres in iuditiũ cum seruo tuo domine, aitalibi psaltes. quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Deinde paternũ affectum arguit erga filiũ, quod pater ipse nomine filij tã anxius est, tã diligenter pro eo dominũ rogat. Et certe parentũ est liberorũ non negligere salutem, sic liberorum est sua obedientia parentum demerere beneuolentiam. Sed nescio quã præpostere hac in re omnia fiant. Inuenias parentes, qui de corporali liberorum salute nimium soliciti sunt, de animarum uero illorum salute ne per somnium quidem cogitãt. Vt filios suos apud hũc mundum alte prouehere possint, nullis sumptibus parcunt: quanti uero apud Deum futuri sint, suscq; deq; ferunt. Quid igitur fit? Quoniam parentes non curant, quomodo à filijs suis colatur Deus, ipse subtrahit, aut non impartit liberis bonum spiritum, quo agitati parentibus obtemperarent, ficq; fit, ut unde parentes deberent habere solatium, accipiant tormentum. Et hoc dico tibi, quisquis tandem fueris parens. Si cupis habere liberos tibi obsecundantes, & morigeros: institue eos primum, ut Deum reuereantur, & colant, & re ipsa intelliges te tua beneficia nequaquam in ingratum Deum contulisse. Vis eius rei habere exempla lege ex sacris Biblijs, & inuenies TOBIAM obedientiorem habuisse filium, quam habuerit Heli suos liberos. Sed hæc hactenus.

Regulus noſter ualde diligebat filiũ ſuũ, ſicut iã diximus, unde non immerito quis coniecturã ſumat, etiã filiũ patris amori reſpondiſſe. Et primo quidẽ ſemper ſperabat pater morbũ hũc filio non fore lętalẽ, ſed forſã in breui deſeuiturũ: poſtq; aũt uidit filiũ ſic torqueri à febre, ut etiã inciperet agere animã, ſicq; omnis humana medicina, & omnium medicorũ ars deficeret, tum cogitabat de *miraculis Ieſu*, & pollicebatur ſibi rẽ filij *melius habituram, ſi modo in tempore* aduenire poſſet Ieſus: *Vnde non putabat ſibi* procraſtinãdũ, ſed periculũ in mora eſſe, ipſe ergo accingit ſe itineri, abit ad Ieſũ (quẽ audierat in Galilęã rediſſe) & rogat, ut ſecũ dignẽt deſcẽdere ad filiũ, & eũ ſanare. Mundus hic etiã ꝙd ad hãc procraſtinationẽ adtinet, plures habet Regulos. Multi enim nõ cogitãt de Ieſu, niſi uiderint, nullam ſupereſſe ſpẽ in mũdo. Vnde fit, ut multi nõ facta cõfeſſione, & deſtituti ſaluberrimo panis cœleſtis uiatico hinc diſcedant. Sed *audiamus quid Ieſus tandẽ reſpondeat Regulo.*

Dixit ergo ieſus ad eum. Niſi ſigna, & prodigia uideritis, non creditis.

Signa proprie ſunt, ſi doctis credimus, quæ ſecundum naturam fiunt, ut ſanare ægrotum: prodigia, quæ ſupra naturam, ut uiuificare mortuos, uiſum præſtare cæcis, quanquam abuſiue etiam dicantur è conuerſo. Miratur hic D. Gregorius, quare CHRISTVS

tam

tam seuere de perfidia, siue incredulitate arguat Regulum, quum haud dubie crediderit Regulus in Iesum. Qui enim à Domino salutem filio quærebat, proculdubio credebat. Facilis est responsio, si modo meminerimus fidem habere suos auctus, suaq; incrementa. Alij dicuntur nullam habere fidem; alij modicam, alij magnam. Petro dicitur. Modice fidei, quare dubitasti? Ad Cananæam. O mulier, magna est fides tua. De Centurione. Non inueni tantam fidem in Israel. Ergo Regulus ille nō habebat nullam fidem, sed non habebat tantam, quantam requirebat Dominus. Poposcit namq;, ut descenderet Dominus, & sanaret filium eius. Minus itaq; in illum credidit, quem non putauit posse salutem dare, nisi præsens esset & corpore. Rectius ergo de Domini nostri maiestate, & uirtute sentiebat centurio ille apud Mathæum, & ipse Capernaita, qui confidebatur nulla opus fore corporali præsentia, quippe qui diuina uoluntate, & uirtute efficere posset, quod postularat. Breuiter. Regulus talem habebat fidem in Christum, qualem olim Naamam Syrus in Elizæum. Aliam quæstionem hic mouet D. Gregorius, quam, quoniam ad reformationem morum nostrorum facit, nec curiosa, sed pia est, non grauabor adijcere. Quid est, inquit sanctus pontifex, quod Regulus rogat, ut ad eius filium ueniat: & tamen ire corporaliter recusat: Ad seruum uero Centurionis non inuitatur, & se tamen corporaliter ire

pollicetur? Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias ueneramur? Sed hic non uult filius dei ire ad filium Reguli, & tamen uenire paratus est ad salutem serui. Certe si nos cuiuspiam seruus rogaret, ut ad eum ire deberemus: protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacitè responderet, dicens. Ne eas, quia temetipsum decoras, & uiliorem facis &c. Ecce de cœlo uenit, qui seruo in terra occurrere non despicit: & nos tamen humiliari in terra renuimus, qui de terra sumus. Sed quid ad uerba Christi respondet Regulus?

Domine, inquit, descende priusquam moriatur filius meus.

Audis rursum argumentum modicæ fidei in Regulo. Sicut enim non credebat Chr̃m posse sanare filiũ nisi presens apud ipsũ esset: ita & iã non credit Chr̃m tantæ esse uirtutis, ut mortuũ ad uitã reuocare posset. Atqui utrumq; Christo facillimum est, sicut in multis Euangelij locis audimus. Videntur alibi Lazari Sorores Martha, & Maria in eodem incredulitatis luto hęsisse, dũ dicebant. Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Verum addunt. Sed nunc scio, quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus. His uerbis testãtur aliquousq; in fide pmouisse. Tertio ex prolixiori colloquio rursũ confirmatiores

tiores fiunt, unde illa Marthę uerba prodierunt. Ego credidi, quia tu es filius dei, qui in hunc mũdum uenisti. Sic & Regulus noster quanto longius Christum audit, tanto magis in fide confirmatur. Nam sequitur. Dicit ei Iesus. Vade filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Poterat Regulus ipse secum cogitare. Quid? An ne hic scit, quæ domi tuæ aguntur? Si absens nouit, quæ alibi aguntur, forte etiam absens alibi uirtutem suam exercere potest. Et ideo de bonitate, & uirtute Domini confisus recta redit domum, iã animequior factus. Nec fefellit hominem sua spes: nam ipso in itinere occurrunt ei famuli obuiam, nunciantes filium ipsius non solum non esse mortuum, sed etiam omnino conualuisse, & bene habere. Quam fœlicitatem ne adscriberet uel naturæ, uel fortunæ, intellexit ex famulis, eadem hora filium cõualuisse, qua à domino talia prolata sunt uerba. Vade filius tuus uiuit. Hæc apud nos, qui Christiani sumus, facile admittuntur, quum scimus uerbo Domini cœlum, & terram & creata esse, & hactenus constare. Sed Regulo, cui Christus nondum ex toto notus fuerat, uidebatur magnum quid filium suum tam facile citra omnem medicorum operam conualuisse, & quasi ex sepulchro resuscitatum fuisse. Vnde etiam sequitur, Credidit ipse, & domus eius tota, hoc est Christum habere uitæ, & mortis imperium habere credidit, uerũq; esse Messiam, hoc est Deũ,

&

& hominem. Et nos non minus illa credimus sic esse facta, etiamsi non præsentes fuerimus. Proinde nemo diffidat de potentia, uel bonitate Christi. Nullus morbus est illi incurabilis: nullus hostis illi inuincibilis. Confidite, inquit, ego uici mundum. Et rursum, uenite, ad me, qui labo ratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Eamus igitur ad eum, non pedum gressibus, sed pijs affectibus, & studio bonorum operum, comitati fide, spe, & charitate, rogemus pro filio nostro, pro anima nostra, quę ardentiss. & acutissima febri laborat, immo tot morbis premitur, quot sceleribus maculatur. Nec est, qui commodius eā possit subleuare, atq; Iesus Christus dominus noster, qui est unus cum patre Deus, in sæcula benedictus. Amen.

DOMINICA XXIII. POST Trinitatis. Mathæi. 18.



N illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cū seruis

seruis suis: Et cum cępisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem milia talenta. Cum autem non haberet, unde redderet, iussit eum dominus eius uænundari, & uxorem eius, & filios, & omnia, quę habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille adorabat eum, dicens: Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem domínus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centū denarios, & tenens suffocabat eum dicens, redde mihi, quod debes. Et procidens conseruus eius ad pedes eius rogauit eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Vidē-

tes

tes autem conſerui eius, quę fiebant, contriſtati ſunt ualde, & uenerunt & narrauerũt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant. Tunc uocauit illum dominus ſuus, et ait illi: Serue nequam, omne debitum illud dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut et ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuerſum debitum ei. Sic & pater meus cœleſtis faciet uobis ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus ueſtris.

EXPOSITIO.

MVltę ſunt ſententiæ in Euangelicis literis, quæ nos admonent Deũ non aliter nobiſcum acturum, atq; nos agimus cum fratribus noſtris, unde ſicut cupimus patrem cœleſtem noſtrũ eſſe Deũ, hoc eſt protectorem

tectorem & benefactorem, ita simus & nos Dñi, hoc est, benefactores, & protectores fratrum. i. proximorũ nostrorũ. Huc pertinet quod Christus apud Matheum dicit in celeberrima illa cõtione, quã in monte habuit. Omnia quæcumq; uultis, ut faciant uobis homines, ita et uos facite illis. Hæc est enim lex, & prophetæ. His adde illud Thobiæ. Quod ab illo oderis fieri tibi, uide ne tu aliquando alteri facias. Et Christus rursum. Eadẽ mensura, qua mensi fueritis, remetiet & uobis. Date, & dabitur uobis. Remittite, & remittetur uobis. Neq; hoc iniquè comparatum est, ut, qualia speramus, et petimus à Deo, talia etiam præstemus proximo. Deus benefacit homini: cur non etiam benefaceret homo homini? Et deus opera nostra nunq; indiget, tu aũt nũq; sic in bonis confirmatus es, ut proximi opera nũq; indigeas. Sic ẽm temporauit deus omnia inter hoies, ut nemo sibi solus sufficeret, sed semper alter alterius ope indigeret, Ceterũ q̃d uolumꝰ, facius explicabit prẽsẽtis euãgelij parabola. *Math. 7.* *Tob. 4.*

Assimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, qui uoluit rationẽ ponere cum seruis suis &c. Potuisset quidẽ Dominus pauciss. dicere, sicut & Math. 6. Si nõ remiseritis hominibus peccata sua, nec pater remittet uobis peccata uestra: Maluit tamen id per parabolam copiosissime, & exornatissime proponere, quo rem longe utilissimam, & tantum

tum non neceſſarium pectoribus hominum in-
figeret altius. Familiare autem fuit Syris(ſi D.
Hieronimo credimus)& palæſtinis maxime ad
omnem ſermonem ſuum parabolas iungere, ut
quod per ſimplex præceptum teneri ab audi-
toribus non poteſt,per ſimilitudinem,exempla-
que teneatur. Et hactenus ſolenne eſt, concio-
natoribus,& omnibus alijs,qui uulgo aliquid
proponere ſolent,ut exemplis, & ſimilitudini-
bus populum,quo uolunt, quaſi manducant.
Nam per exempla docere non ſolum facile, ſed
& iocundum,& delectabile eſt. Cæterum in hac
parabola Regis nomine intelligi debet Domi-
nus noſter Ieſus Chriſtus,cui pater omne iudici
um dedit. Hic á Deo conſtitutus eſt, ut Petrus
ait, Iudex uiuorum, & mortuorum. Iudicij dies
eſt conſummatio ſæculi,ſicut hoc ipſum multis
in locis ſcriptura ſacra teſtatur. In conſumma-
tione ſœculi,inquit Chriſtus, exibunt Angeli,
& ſeparabunt malos de medio iuſtorum. Serui
debitores homines ſunt in genere,omnes nimi-
rum, ad quos mandatorum domini impletio
pertinet. Decem milium talentorum nomine
intelligi uoluit ſummam maximam,& omni-
no inſolubilem, hoc eſt tantum peccatorum a-
ceruum,quantum nemo hominum ſua pietate
expiare poſſet. Et certe ſi Deus uellet nobiſcum
agere ſtricto iure,nemo noſtrum ſaluari poſſet.
Hoc intelligens Dauid dicebat. Ne intres in iu-
dicium cum ſeruo tuo Domine,quia non iuſti-
ficabitur

ficabitur in cõspectu tuo omnis uiuens. Hinc & in prẽsenti parabola dicitur. Seruum nõ habuisse, unde solueret. Quis.n. nostrũ est, qui nõ quotidie peccata peccatis accumulet? Quis nostrũ est, q nõ quotidie se magis, ac magis deo obstrictũ faciat? In multis offendimus omnes, inquit Iacobus. Et, Qui in uno deliquit, factus est omnium reus: quia scilicet unus est Dñs, qui iussit declinare à malo, & facere bonum, nec minꝰ offenditur hoc, quã illo peccato. Et Paulus ex lege in Galatis suis allegat. Maledictꝰ omnis, qui non custodierit omnia, quę præcepta sunt in lege. Hoc nimirum est grauissimum onus illud, de quo Petrus in Actis loquitur, quod neq; nos, neque patres nostri sustinere, ac adimplere potuerunt. Forsan non es contemptor Sabbati, reuerearis parentes tuos, non es homicida, neq; fur, neq; mœchus, neq; lusor, neq; Helluo, neq; tandẽ plasphemus, neq; tamen es à peccato alienus, neq; poteris dicere te Deo nihil debere, hoc est nullum peccatum habere. Si enim dixerimus nos non habere peccata, inquit Ioannes, mentimur, & ueritas in nobis non est. Quis obsecro nostrum est, qui deum ex toto corde, & tota anima ex totis item uiribus amet, & proximum, sicut semetipsum? Atqui Deus non minus hæc præcepit, quam grauissima illa, quæ enumerauimus peccata prohibuit. Consultum igitur nobis fuerit potius cum seruo illo ad Dominí pedes procidere, ac ueniam petere, quam

Iob. 9. eum illo uelle iudicio contendere. Vere scio, inquit Iob, quod ita sit, & q̃ non iustificet homo compositus Deo. Si uoluerit cõtendere cũ eo, non poterit respondere ei unũ pro mille. Et Dauid omnium peccatorum, qui ueniam dilectorũ quærunt, exemplar inquit. Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Et deinde Psalmum concludens inquit. Quia apud Dominũ misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Hoc quam uerum sit hodiernum testatur Euãgelium. Audiens enim Dominus seruũ dilationem petẽtem, atq; debitum fatentẽ, misertus est ipsius, sic, ut dimitteret eũ, ac uniuersum debitũ ei remitteret. Quod si hac parabola nihil moueare, q̃d absit, age habes eius rei multa in sacris literis exẽpla. Magnã summam, & multa talenta torũ milia debebat Dauid domino, quãdo coniunxerat homicidium adulterio. Veniens Prospheta Nathan, Dei nomine postulans debitum à Dauide. Hic cũ non esset soluendo, statim, dicebat, Peccaui domino. Et continuo ille Dominus transtulit à te peccatũ tuum. Hunus debiti solutionẽ clarius exponit nobis Dauid in Psal. 50. Vbi sic ait. Quoniam si uoluisses sacrificiũ dedissem utiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium deo spiritus contribulatus: cor cõtritum, & humiliatũ Deus, non despicies. Huc iam pertinent Lachrymæ Magdalenæ, & fletus Petri, & confessio latronis, quæ omnia si non satis declarant nobis dei misericordiam, nescio quid clarius

clarius exponi possit. Hæc autem non in hoc à me producuntur, ut posthac licentius peccemus aut indulgentius uiuamus, sed potius, ut à peccatis abstineamus, & pœnitentiam agentes ad Dominum reuertamur, scientes quod iusticiam exercituros est in eos, qui non reuerenter illius contemnere misericordiam. Et hoc est, quod in altera parabolæ huius parte sequitur.

Egressus autem seruus ille inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eū dicens, Redde quod debes.

Hic depinguntur maligni mores hominum, qui cum ipsi sint peccatores maximi, misellis peccatoribus sunt durissimi. Vide autem quam diligenter describat huius Nebulonis iniquitatē. Confert enim tacite inter se debita, maximo, scilicet uilissimum decē milia talenta centū denarijs. Et ibi rex remisit seruo debitum. Hic sæuit in conseruum seruus. Rex non iniecit seruo manum. At seruus inuolat in conseruū iniectaq; illi manu obtorto collo trahebat. Seruus ueniam precatꝰ facile exauditur. At idem conseruū supplicantem non modo repellit, sed insuper in carcerē conijcit. Talē exēpla quotidie in hoc mundo cernimus, siue de tēporalibꝰ, siue de spiritualibus rebus loqui uoluerimus. Inuenias eñ, qui nunq; aut raro æs alienū æquis animis soluunt, erga debitores uero suos sunt sæueriſſimi. Iam

ſtidem inuenies, qui putant ad ſua ſcelera omnes hoïes debere cõniuere, aliorũ uero ſcelera ſæuerissime cẽſent. Hinc rales uoces ſubinde & audimus ab aliis, & pares loquimur ipſi, Quid? An ad huius ſcelera conniuendum perpetuo? An non hic iam olim tales, ac tantas merebatur pœnas? Et quomodo poteſt Deus tam diu tanta diſſimulare crimina? Et, ut aliquid ex Pſalmis producam, Quomodo ſit Deus, & eſt ne ſciẽtia in excelſo? Ecce ipſi peccatores abundant in ſæculo, & obtinuerunt diuitias. Nõ ſic impĩj, non ſic. An non reuereris ſententiam illam domini, In quo iudicio iudicas aliũ, te ipſum condẽnas. Si peccatores continuo poſt perpetratũ peccatum pro merito puniendi fuiſſent, tu iam olim in inferno arderes. Si uero Deus ad peccata hominum aliquantulum conniuere debet, ut reſipiſcant, emendentur, & uiuãt: quare potius tua diſſimulare debet, quam aliena? Vide ne tua ſæueritate Chriſti miſericordiam expellas. Si debitum extorquendum eſt, quare hoc non magis licebit Regi, quam ſeruo? Si debitum omne ſoluendum eſt, nec debitori compatiendi, quare ergo Seruus præcatur dilationem à Domino? An ſæuerius licebit agere Seruo cum conſeruo, quam Regi cum ſeruo? Dignum ſcilicet eſt, ut Deus me precantem audiat, & ego precãtem conſeruum abominer, ac repellam. Hanc iniquitatem certe execratur ſcriptura inquiens, Homo hominum reſeruat iram, & à Deo quærit me-

Pſal. 72.

rit medelam? in hominem similem sibi non ha- Eccl. 28.
bet misericordiam: & de peccatis suis depreca-
tur? Ipse dum caro sit, reseruat iram: & pro-
pitiationem quærit à Deo? Quis exorabit pro
delictis istius? Quid igitur faciendum? Audi
eandem scripturam. Relinque proximo tuo no
centi tibi, & tunc deprecanti tibi peccata soluen
tur. An non est hæc breuiss. huius hodierni E-
uangelij expositio? Vis ut tibi peccata tua à
Deo condonentur? age ignosce etiam fratri in
te peccanti. Quid uero opus est de hac remul-
tis uerbis, præcipue apud eos, qui quotidie in
precationibus suis orant. Remitte nobis debita
nostra, sicut & nos remittimus debitoribus no-
stris. Et Christus hijs uerbis finit suã Parabolã.
Sic & pater meus cælistis faciet uo-
bis, si non remiseritis unusquisque
fratri suo de cordibus uestris. Breuissi-
ma sunt hæc uerba, sed non contemnenda, nec
neglectim cõsideranda. Sic faciet uobis, inquit
Christus, hoc est sic puniet uos, non ille, uel ille
homo, sed pater meus cęlestis, qui scilicet habet
potestatem animam simul, & corpus mittere in Heb. 10.
Gehennam. Horrendum est, inquit Paulus, in-
cidere in manus dei uiuentis. Multi multa & fa-
ciunt, & omittunt, nec hunc, aut illum hominẽ
offendant, hic uero caute fuerat agendum, ne
quis Deum offenderet: nam hic propitiatus de-
fendere nos poterit contra omnem hominum

uiolentiam, immo & contra Satanam, omnesq; que huius satellites. Secundo iubet nos Christus, ut unusquisque remittat, ubi neminem excipit, siue dominus fuerit, siue seruus, siue diues, siue pauper. Sunt enim superbi quidam, qui putant sibi omnia in alios licere, nec esse æquum, ut Diues multum pauperi condonet, atq; remittat. Verum ut diximus, Christum neminē hic excipit. *Tertio dicit nos remittere debere peccantibus in nos fratribus.* Quis autem non libenter condonaret fratri suo? Omnes autem nos fratres sumus, qui unum patrem habemus in cœlis. Quarto iubet nos fratribus remittere ex corde. Nam alias uera reconciliatio constare non potest. Valeant itaq;, qui dicunt se quidem uelle condonare offensam fratri, sed non obliuisci: item fratri se neq; bene, neq; male facere uelle. Qui enim hoc dicunt, & faciunt nunquam inuenient misericordiam apud Dominum quapropter uos, ô mihi Chariſſi. *fratres, radicitus ejcite omnem rancorem ex cordibus uestris, & inuicem condonate uobis* offensam ex corde: sic enim fiet, ut & pater uester cœlestis uobis remittat peccata uestra, nosq; ad Regna perducet cælestia, præstante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, & spiritu sancto regnat unus Deus in secula seculorum Amen.

DOMI-

DOMINICA XXIIII.

Mathæi. 22.



IN illo tempore abeuntes Phariſęi cõſiliũ inierunt, ut caperent Ieſum in ſermone, & emittunt ei diſcipulos ſuos cũ Herodianis, dicẽtes: Magiſter, ſcimus quia uerax es, & uiã Dei in ueritate doces, nõ eſt tibi cura de aliquo, nõ enim reſpicis perſonã hominum: dic ergo nobis quid tibi uidetur? Licet cẽſum dari Cęſari, an nõ? Cognita aũt Ieſus nequitia eorũ, ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis:

illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &, quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

EXPOSITIO.

QVam rebelles, seditiosi, & pertinaces semper, & ubicq; fuerint, libertatemcq;, aut potius peccandi impunitatem, per illicita etiam remedia quæsierint, non tam ueteris, quam Noui testamenti, immo & Gentium Historiæ satis supercq; testantur. Verum interim nõ fugerunt causas, propter quas sub iugum merito subiugarentur. Idem enim faciebant, quod Aegroti quidam, qui nusquam non conquerũtur de infirmitate, ac imbecillitate sua, interim tamen causas ægritudinum non cauent, sed omnia ex cupiditate animi, & cõtra Medicorum consilia instituere pergunt. Sic Judæi ex lege, & Prophetis nouerãt, quæ, & qualis causa huius captiuitatis, nimirum transgressio legis diuinæ. Sic enim in lege audierant. Si audieris, uocẽ domini Dei tui, ut facias, atcq; custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus deus tuus excelsio

rem

rem cunctis gẽtibus, quæ uersantur in terra. Et deinde post pauca addit. Dabit dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te, corruentes in conspectu tuo. Per unam uiam ueniunt contra te, & per septem fugient à facie tua &c. Deinde rursum ibi legunt. Quod si audire noluueris uocẽ domini Dei tui &c. traderet te dominus corruentem ante hostes tuos. Per unam uiam egredieris contra eos, & per septem fugies, & dispergeris per omnia regna terræ. Eius generis multa in Deuteronomio scripta sunt, ex quibus Iudæi facile discere potuerunt, quare sub Iugum grauissimũ subacti fuerint. Ponant igitur causas hoc est peccata, non erit cur conquerantur de alicuius Regis tyrannide. Verum hoc non cõsiderant Iudæi, nec aliud minus cogitant, quam pro peccatis suis hanc se dare pœnam. Vnde in hoc toti sunt, quomodo, excusso superiorum iugo, pristinam libertatem recuperare ualeant. Hinc est, quod toties mouerunt seditionem, quod toties adhæserunt hominibus seditiosis, qui illis promittebãt libertatem. Perpetuo clamabant indignum esse, ut populus domini seruiret Idololatris, filij Dei sustinerẽt tyrannidem Satanæ. Et in hoc recte dicebant. At qui ipsi nec populus domini, nec filij Dei erant. Parũ enim morabatur Deus externas illas cæremonias, cum cor eorum longe abesset à Deo. Sed quid multis? Si fuissent populus domini, hoc est si mandatis Dei obtemperassent, nunc

Deut. 28.

Esa. 3.

sub Romanorum, aut aliarum Gentiũ iugum ueniſſent. Quoniam uero nihil niſi externa quę dam filiorum Dei ſigna habebant, tradidit eos Dominus in manus Gentium, hiſque tributa rios fecit, quæ res alĩs uidebatur æqua, alĩs uero iniqua, iuxta quod quiſpiã uel Iudæis, uel Cęſareanis fauebat. Et hinc nata eſt queſtio illa, quã in hodierno Euãgelio proponũt Chriſto di ſcutiẽdã. Sed audiamꝰ ipſius Euãgeliũ cõtextũ.

Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent eũ in ſermone.

Quando hoc factum eſt? Quãdo Chriſtus alis quot parabolis indicarat Dei erga Iudæos be nignitatem, & rurſum eorum contra illum in gratitudinem. Sic enim ſcribũt Marcus & Lu cas. Et quærebant principes ſacerdotũ, & ſcri bæ mittere in eum manus in illa hora: & time bant populũ. Cognouerũt enim quod ad ipſos dixerat ſimilitudinẽ hanc, ſcilicet, de perfidis co lonis. Quum igitur ui nihil auderent inſtituere contra Chriſtũ, abeunt, & cõmunicato conſilio decernunt rem eſſe aſtu, & dolo tentandam, hoc eſt, Chriſto proponendum eſſe quæſtionem, ad quam nõ poſſet reſpõdere ſine magno ſuo pe riculo. Addit Lucas, quod Matheus reticuit. Et obſeruantes miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, ut tra derent illũ principatui, & poteſtati præſidis. O ſtupendũ conſilium. Conſultandũ erat, ut pro

Mat. 22.

Luc. 20.

poſitum

positum suum mutarent, & iram Dei effugerēt. Prohibebat misericors Deus tale cōsiliū à Christianæ Religionis capitibus fieri. Omnis cōsultatio piorū in hoc institui debet, ut ameť, & colatur Christus, nō ut perdať. Præstat em̄ omniū aliarum rerum iacturā facere, & Christū habere propitium: quā cum offensa dñi omnibus huiꝰ mundi delitiꝭ frui. Det dñs, ut principes nostri, penes quos est suma rerū, tandē consiliū ineant, quomodo huius seculi turbæ tandē sedari queant, quomodo Ecclesia pristino splendori restituať, quomodo hęreses tollanť, & ne diutius misser populꝰ tā periculose erret. Hoc aūt facile fiet qū scilicet propriꝭ, & prauis nostris affectibus renūciauerimꝰ, quādo Christi gloriā, et Ecclesię salutē ante oīa quęrimꝰ quādo maluerimꝰ de nostro iure nōnihil cedere, quā cū nostro cōmodo aliorū cōmodū impedire. Tale aūt cōsilium hactenus impediť nō solum à Pharisæis, sed etiā ab Herodianis: hoc est nō solū ab eis, qui, cū uolunt Ecclesię patres uideri, hypocrite sunt, sed etiam ab Herodianis, hoc est ab eis, qui uolūt uideri Reipublicæ fidelissimi tutores, quū interim perfidissimi, ac crudelissimi sint Tyranni. Sed hęc alias. Iā em̄ audiēdum est quō Christo parēt laqueū, & quales huius mali habeāt ministros.

Et mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis. Pharisæi mittunt Discipulos suos cum Herodianis ad Christū. De pharisæis

& hoꝭ

& horum discipulis nulla est quæstio: de Herodianis uero non item. Herodis enim milites uocatos fuisse Herodianos fere uulgo exponit, ut milites Herodis intelligãtur cõiuncti fuisse Pharisæorũ discipulis. Quorundam tamen sentẽtia est satis uerisimilis per Herodianos significari peculiarem quandam sectã, quę oppositа fuerit sectæ Iudę Galilæi, cuius capite S. Actũ. Apostolicorũ meminit Gamaliel. Hic enim Iudas in diebus descriptionis, siue possessionis Iudæorũ, quando exijt ędictũ à Cæsare, ut censeretur uniuersus orbis, & ire præcipiebatur unusquisq; ad ciuitatẽ suã professionis gratia (quemadmodũ Lucas meminit) hæresim suscitauit seditiosam contendẽs nequaq; licere Iudęis descriptionem eiusmodi, professionẽq; suscipere, nec aliũ debere agnoscere Dominũ, pręter Deũ cœli, ac proinde tributũ, uel censum non licere ipsis soluere Cæsari. Huic hęresi uidenť Herodiani fuisse cõtrarij, dicentes omnino iustũ esse temporalibus Dominis subiectos permanere, eisq; tributa pẽdere, neq; id uerę libertati aduersari. Sed nõ multum refert siue Herodianorũ sectę homines, siue Herodis milites intelligas. Fuerũt homines impij, et ad necẽ parãdã Christo paratissimi, si modo non turba, sed mentẽ illorũ inspexeris. Verba enim sunt melitissima, quæ iam audiemus.

Magister scim⁹ quia uerax es, & uiã Dei in ueritate doces, & non est tibi

cura

tura de aliquo, nõ ergo respicis per-
sonam hominũ. Implet hic scriptura, quæ
de talibus impijs dicit. Loquũtur pacem cũ pro-
ximo suo, mala aũt in cordibus eorum. Nõ po-
tuissent Pharisæi, & Herodiani magis laudare,
quã cum ei tam multa, ac magnifica attribuunt
tamẽ in cordibus suis ipsum angue peius, & ca-
ne odiebant. Et certe talis fuit Christus, qualẽ illi
hypocritæ eũ describunt, nimirũ Magister licet
ab homine literas nõ didicerit. Verax, quia nõ
est inuẽtus dolus in ore eius. Via Dei docet: quia
quicumq; ei obtemperauit, certo ad Deũ perue-
niet. Nec curat aliquem, sed omnibus ex æquo
dicit, quid sectandũ, quidue fugiendum. Nõ est
tibi cura de aliquo, inquiunt: Non em̃ perso-
rum es acceptor, nihil omnino externũ attẽdis,
neq; nobilitatẽ, neq; diuitias, neq; potestatẽ ne-
q; munera, neq; aliud quodcũq; externũ, ut pro-
pter metũ, uel fauorẽ cuiusq; aliter doceas, quã
habeat ueritas, et conscientia tibi docendũ teste-
tur, aut eorũ, quę ueritatis sunt quidq; omittas.
Omnia hæc uere de Christo dici, uniuersa Euã-
gelij historia abunde testatur. Iam quãuis Pha-
risęi hęc omnia cũ Herodianis praua intentione
dicant, tamẽ nos interim discimus etiã ex impio
rum confessione, quod nã sit officiũ boni cona-
cionatoris, ueracẽ uidelicet, fidelem, & constatẽ
esse, uiã Dei, religionẽ, inq;, diuinam in ueritate,
id est, ueraciter, simpliciter, integre, & recte doce-

re, non

re, non curare quemcꝫ, nec reſpicere perſonam cuiuſquam. Hęc omnia quã male ab Aduerſarijs noſtris nouis illis prophetis obſeruentur, ipſorum ſcripta abunde teſtantur. Sed ad contextum.

Dic ergo nobis, Quid tibi uidetur? Licet cenſum dare Cæſari, an non?

Quoniã (uolũt dicere) tã magnifice de te ſentimus, iam ad te uenimus, quæſtionem hactenus inter multos ſeditioſe diſputatam ſimplici determinatione à te poſtulantes diſſolui. Nec alia de cauſa hanc mouimus quęſtionẽ, ac eius ſolutionẽ quęrimus, quã quod cupimus per oĩa gloriæ dei ſtudere, necꝫ alicui iniuriã facere. Eſt aũt hęc quęſtio. Nũ populo Iudaico liceat dare tributũ aut cẽſum Romanorũ Imperatori, ut quidã ſentiũt dicentes iuſtũ eſſe, ut tributa ſoluantur ijs, ſub quorũ protectione ſeruamur: an id nõ liceat, ut ſentiunt, alij, arbitrãtes iniquũ eſſe, illicitũ, ac Diuino aduerſum honori, populũ, quẽ ſibi elegit *Deus in peculium ex omnibus Gentibus*, ullis alijs regi, aut *principi* tributũ ſoluere, pręter quã ſoli Deo: *His uerbis tã callidis* arbitrati ſũt phariſæi Chriſtũ in naſſã pertrahi poſſe. Erat em ad utrãlibet reſpõſionis partẽ parata calumnia. Si em dixiſſet, licere tributũ ſolui à populo, grauiter id accipiendũ ſciebant: qui licet tributa tũ ſoluerent ui, & neceſſitate coactus, animo tamẽ libertatẽ ſpirabat, maxime, quod recens eſſet adhuc tributi iugũ. Vehemẽter aũt illud cupiebant ſcirę, &

bæ,& Phariſæi,tale aliquid ex ore Chriſti rape re unde apud populũ eiꝰ poſſet exiſtimatio mi nui cuius ſolius timore ab illo cõprehẽdẽdo ab ſtinebant Si dixiſſet,non licere, aderant Hero diani, quid ad præſidẽ detuliſſent hãc reſponſio nem,& ipſi ſtatim apud pręſidem Chriſtũ accu ſaſſent, tanꝯ ſeditioſę doctrinæ,& rebelliones cõtra principes authorẽ. Cęterũ diligẽter ponde rãda ſunt uerba quęſtionis. Licet cẽſum dare Cę ſari,an nõ? Plus enim habent in receſſu,quã pri ma fronte promittãt. Senſus itaꝯ uerborũ talis eſſe uidet. An ne dignũ,ac æquũ iudicas,ut nos Iudæi, peculiũ nimirum tuum, cenſum demus, ac ſubꝯciamur Cæſari Idololatræ uidelicet illi, hoſti ueræ religionis? An ne dignum iudicas,ut nos noſtra ſubſtantia illius alamus luxũ? Neꝯ 1.Reg. 8. eñ ignorabãt ex primo Samuelis libro, quid, quantũꝯ deberẽt magiſtratui. Sed hoc male ha bebat pñdos,et ſeditioſos Iudęos,q̃d cogerenꝯ, cẽſum,& tributa dare magiſtratui gẽtili,& ido lolatrę. Hinc etiã ſerui gentiliũ,poſtꝯ baptizati eſſent,putabãt ſeſe liberos eſſe iugo infideliũ do minorũ,qua de re Paulus, Timotheũ ſuũ diligẽ ter inſtruit. Atqui Iudęi nõ debebãt negare cen ſum Magiſtratui Idololatrę,ſed potius cogitare cauſam,quare ſub tale iugum peruenerint, pec cãdi ſcilicet licẽtia, de qua inſuperiorib. diximꝰ. Habet hoc pręſens ſęculũ etiã tales Iudęos, no uos uidelicet Euãgelicos,qui nihil aliud quęrũt quã ſub prętextu Euãgelij omniũ rerũ licentiã,

& tes

& temerariam, seditiosam q̃ libertatem illã, quã putãt se nemini, quic̃q̃ debere, sed a ios omnes sibi subiectos esse debere. Hinc tumultus ille Rusticus exortus est: quamuis eius nolint accusari qui classicum in bello illo canebãt. Et hactenus quidam satis impudenter docent principibus, aut Magistratui Ecclesiastico nihil pendendum eo, quod bonis Ecclesiasticis abutantur. Iam si nemini, quid diuitijs abutitur, aliquid dandũ est cui dabis, obsecro, cẽsum, tributũ, uectigal, decimas, uel redditus, quum nemo non talibus sub inde abutatur. Sed putant hæc tantũ de Ecclesiasticis intelligi debere. Eiusdẽ farinæ est, quod omnem suam inobedientiam, seditionem, ac tumultum Euangelio, ac Religioni accepta ferũt: item quod iuramenta, quę Pontificijs fiunt, minime sint præstanda. Imperatorem non teneri iuramento, quo sese deuinxit Pontifici Romano. Principes nõ debere obedientiam Cæsari in rebus, ac negotijs religionis: quum tamen interim Cęsarem uocent Catholicissimum ac Christianissimum. Sed hæc quoniam odiosa sunt missa faciemus: quæ utinã illi iam olim missa fecissent: lã porro supereſt, ut audiamus, quam prudenter Christus ad illorum nebulonum tentationes responderit, laqueosq̃ illorum effugerit.

Cognita Iesu nequitia eorũ ait, Quid me tẽtatis Hypocritę? Ostẽdite mihi numisma census. At illi obtulerunt

ei dena-

ei denarium. Et ait illis Iesus. Cuius est imago hæc, & superscriptio?

Ad effugiendas uersutias insidiatorū primū est cognoscere malitiā illorū. Iā Christus satis cognita habebat omniū corda, nec opus est ei, ut, quid sit in homine, ab alio intelligat. Vnde sat̃ tim declarat, qualis sit Magister, qui etiā intelligat occulta cōsilia, immo & occultissimas cordis cogitationes. Ait itaq;. Quid me tētatis Hypocritæ? Speciē quidē pietatis habetis, sed nebulones estis. Interrogatio uestra etiā nō impia est, sed nō interrogatis, ut aliqd discatis, sed potiꝰ, ut me in uerbis meis capiatis. Persuasum est uobis me simpliciter, ac postposita omnium dilatione responsurū, aut Cæsari pendendū, aut nō pendendū tributū. Neutrū sic ex abrupto respondeo. Ostendite igitur mihi numisma Census. Audiētes hoc Pharisæi, & Hærodiani, nihil cunctantur dño exhibere denariū, hoc est, Monetā, qua tū iussu Cæsaris cōmuniter utebantur Iudæi. Quod si cognouissent mētem Christi, quē admodum hic illorum mentes cognouerat, detrectassent exhibere denarium. Viso ergo denario Christus rogat. Cuius est Imago hæc, & superscriptio? Quid hoc est? An qui cognitor est cordium, nescit cuius Imago, & superscriptio sit in denario? An, qui nouerat piscem habere Stateren in ore, ignorabat, qua moneta utebantur Iudæi? Nouerat quidem hoc, sed alia erat

causa, nec unica, quare simulabat se illud ignorare. Non ignorabat, inq̄, q̄d quęrebat Christus: sed quia negotiū habebat cū illis, qui insidias tēdebant uerbis illius, ideo uicissim extorquet ex ipsorū uerbis, unde insidiatores ipsi capiant. Et alioqui nō immerito dissimulat eorū scientiam, quæ nō ad institutū ipsius faciebāt, terrena non admodum curans, qui uenerat tradere cœlestia. Nec unq̄ fideliter tradat doctrinam Euangelij, qui plus æquo addictus est auaritiæ, qui supra, quā par est, delectatur pecunia. Veritas enim nō pecunias, sed odiū parit. Audite iā responsionē captatorum. **Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis. Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &, quæ sunt Dei, Deo:** Hęc tā prudens, & efficax fuit responsio, ut super ea etiā mirarent, licet nō emendarētur Pharisæi, & Hærodiani. Est aūt hic responsionis sensus. Quādoquidē res uestra iā eo deuenit, ut cogamini uti Numismate Cæsaris, quod certe huius in uos pietatis euidentissimū argumentū est, reddite illi, quod suū est. Quoniā uero deus uobis corpus, & animā immo & omnia, quę habetis, dedit, ideo nec uobis licebit uos à Dei obedientia subducere: quare & deo date, quod dei est, Vtriq; obedire debetis, & deo, & Cęsari, sic ut, q̄d huius est, alteri ne detis. Cęsar nō curat uestrā Religionē, hanc uero deus à uobis postulat, sed uestras pecunias: ergo alteri sine alterius præiu-

dicio

ditio facile obedire poteſtis. In his, quæ contra deū nō ſūt, iubeo parere prophano principi, inquit. Qđ ſi quid contra deū præceperit, deo plus oportet obedire quā hominib. Exēpla utriuſq; extāt Ieremię 29. ubi propheta iubet fideles Iudæos obedire Nabucho donozori Regi Babyloniæ. Et in hiſtoria Danielis, & ſociorum eius, qui in omnib obtēperāt Regi Ethnico, in Idololatria, & ſuperſtitione nō obtemperant. Iā ſi parendū eſt prophano Magiſtratui, certe multo magis obedire oportet ſancto, & Chriſtiano, Sed qm̄ hæc clara ſunt, ad finē huius cōcionis properemus. Præcipuū, quod obſeruationę dignū iudicamus, hoc eſt, ut Magiſtratui ſuo unuſquiſq; fideliter, humiliter, & ex animo obediat, & cui tributū debetur, tributum, cui uectiual, uectigal, cui honor, honorē, iuxta Pauli admonitionem, præſtet. Secundo ſcias nullū eſſe aduerſus Tyrānidē remediū, quā diligenter obedire deo, hoiuſq; præceptis ex animo ſtudere. Nā ſcriptura teſtatur qđ deus finit hominē hypocritam. i. malū, & uerſipellē regnare propter peccata populi. Et alibi dicit. *Dabo eis Reges in furore meo.* Reddamꝰ itaq;, quę Cęſaris ſūt, Cęſari: et, q̄ dei ſūt, deo: & ab utriuſq; recipiemꝰ, qđ noſtrū eſt, à Cęſare tēporalē, protectionē, à deo uero uitā ęternā, præſtāte dño noſtro Ieſu Chriſto etc. Amen.

DOMINICA XXV. POST Trinitatis. Math. 6.



N illo tempore, loquente Iesu ad populum, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, mea filia defuncta est, sed ueni, impone, manum tuam super eam, & uiuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius, dicebat enim intra se. Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & uidens eam dixit, Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum uenisset Iesus in domum principis, & uidisset tibicines, & turbam tumultuantẽ, dicebat: Recedite, non

est

est enim mortua puella, sed dormit. Et derídebant eum. Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit puella, surge, & surrexit puella: & exit fama hæc in uniuersam terram illam. Et, transeunte inde Iesu, sequuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicẽtes, Miserere nostri, Fili Dauid. Cum autem uenisset domum accesserunt ad eum cæci, dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere? Dicunt ei: utiq; domine. Tũc tetigit oculos eorum dicens: secundum fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt oculi eorum, Et comminatus est illis Iesus dicens, uidete ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.

EXPOSITIO.

MIracula Dñi nostri Iesu Christi quæ nobis in Euãgelicis, ac Apostolicis

literis proponũtur,nõ sic obiter, ac negligenter inspiciẽda sunt, quasi ad nos nihil pertineant: sed meminerimus omnia hæc scripta esse ad doctrinam nostram,plusq; habere in recessu,quam prima fronte præseuerunt. Primo enim miracula nobis testantur Iesum Nazarenũ,qui talia operatur,uere esse Christum, hoc est, Messiam iã olim patribus promissum,nec alium à nobis uel expectandum,uel amplectendũ esse. Nam prophetæ testantur *Messiam talia operaturum.* Sic enim Esaias Euangelicus ille propheta iam olim ante natum Christum cecinit.Ipse (de Messia loquitur) infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Et rursum, quod etiam Mathæus adducere uidetur Math. 15. Deus ipse ueniet,& saluabit nos. Tunc aperientur oculi cælorum, & aures surdorum patebunt. Tunc salier, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum &c. Huc iam pertinet, quod Christus ipse, dum ad eum Ioannes suos *discipulos mitteret, tam multa miracula operaretur, ut ex his illi intelligerent,ac iudicarent,Christus ne Ioanne præstaret,nec ne.* Ioannes enim Baptista, Euangelio teste,nullum miraculum edidit. Christus uero,huius discipulis præsentibus, & uidẽtibus, multos curauit à languoribus,inquit, Lucas,& plagis, & spiritibus malis,& cæcis multis donauit uisum, Et respondens dixit illis, Euntes renunciate Ioanni,quæ audistis,& uidistis &c. Quasi diceret. Ipse magister uester uobis interpretabit,quid sibi uelint miracula mea,

Esa. 53.

Esa 35.

Esa. 61.

Mat. 4.

Luc. 7.

& cuius sit hæc, & talia operari, nõ alius uidelicet, quã Messiæ patrib. iã olim promissi. Ad hãc rem probandã facit, q̃d Christus apud Ioãnem dicit. Opera, q̃ dedit mihi pater, ut perficiã ea: ipsa, in q̃, opera quæ ego facio, testimoniũ perhibent de me, quia pater misit me. Et iterum. Si opera nõ feciſſem in eis, quę nemo alius fecit, peccatũ nõ haberent. Iã quod etiã ſimplici Iudæorum plebi perſuaſum fuerit. Meſſiam operaturũ maxima miracula, teſtatur idem Euãgeliſta Ioannes dicens, de turba autẽ multi crediderunt in Ieſum, & dicebãt. Chriſtus cum uenerit, nũquid plura ſigna faciet, q̃ quę hic facit? Primus ergo uſus miraculorũ Chriſti eſt, ut per hæc cõfirmet noſtra fides, quia credimꝰ Ieſum Nazarenũ uere eſſe uerũ Meſſiã. Secũdus uſus eſt, ut in miraculorũ operatiõe intelligamꝰ potentiã Chriſti, ſcilicet q̃d ipſe poteſtatẽ habeat uitæ, & mortis, nemoq̃ illi uel in cęlo, uel in terra pręualere queat. Ex his ſequitur tertium, uidelicet, ut intelligamus uolũtatẽ dei erga nos. Quis. n. in talib. miraculis nõ uidet, Chriſtũ ex aĩo nobis bene uelle, noſtrã cupere ſalutẽ, nollecq̃ mortẽ peccatoris, ſed magis, ut cõuertatur, et uiuat. An nõ magnã uirtutẽ arguit, q̃d mulier, cuius Euãgelium meminit, tãgẽs ueſtimentũ Chriſti, cõtinuo ſanatẽ? Quod puellã uere mortuã unico uerbo reſuſcitauit? An nõ magnę beneuolẽtię ẽ, magnũ argumentũ, q̃d Ieſus Nazarenus, nõ Ioſephi fabri, ſed dei uiuẽtis unigenitus filius, tã prompte

Ioan. 5. & 10.

Ioan. 15.

Ioan. 7.

audit, & exaudit Archisynagogam illum, cum eoq; uadit domum? Sed ordiemur tandem Euangelij historiam ab initio. Loquente Iesu ad eos. Scilicet Ioannis Baptistæ discipulos. Ecce princeps unus accessit, & adorabat eũ dicẽs, Dñe, filia mea modo defuncta est, sed ueni impone manum tuam super eam, & uiuet. Et surgens Iesus sequebatur eũ, & discipuli eius.

Math. 9. Colloquium, quod Iesus habuit cum discipulis Ioannis, erat calumniæ expurgatio, quã illi discipulis Christi intendebant, quod scilicet non tam frequenter ieiunarent, atq; discipuli Ioannis, & Pharisæorum. Hac enim querela, uolebant insimulare discipulos Christi uoracitatis, sicq; tacite arguere Christum quod ipse tales haberet discipulos. Nã & alibi Christũ uocãt hominem epulonẽ & uinosum. Sed finamus hæc in aliud tempus. Cæterum quẽ Matheus hic uocat Principem, Marcus uocat Archisynagogũ nomine latrũ. Lucas dicit eũ tantũ unicã habuisse filiã, & hanc duodecim annorũ. Mirũ est ꝙd Iesus cũ illo Archisynagogo tã facile uadit, cum alibi cũ regulo ire renuerit. Sed habet Christus eius rei causas sibi certas, nobis uero occultas: Et magis familiariter uiuere uoluit cũ Iudæis, ꝙ cũ Gẽtib9 ne uideret & legẽ, & Gẽtẽ contẽnere.

Mar. 5. Luc. 8.

Adde

Adde, quod magna hæc erat fides Archisynagogi, qui credidit Christum etiam mortuos resuscitare posse. Docemur autem hoc loci, quam prompti debeamus esse ad benefaciendum proximis nostris, quum uideamus, quam non cesset Christus, sed libenter, & statim cum illo uadat. Discamus etiam pro alijs apud Deum intercedere, ut à morte animæ liberentur. Nouimus hunc morē iam olim obtinuisse in Ecclesijs, ut communibus precibus commendemus proximos nostros ægrotantes Deo. Vides ergo Deo nō displicere, sed sic potius placere, ut propter præcationes, & fiduciam nostram, etiam, alijs subuenire nō pigritetur. Licet enim Archisynagogus ille imperfectam adhuc fidem haberet, tamen propter hanc non est contemptus à Christo: Hic enim Linum fumigans non extinguit, nec arundinem quassatam confringet: adde, quod nemo repente fit summus. Quod enim Archisynagogus ille imperfectā fidem habuerit, ex ipsius uerbis intelliges, dum scilicet petit, ut secum descendat Christus, & imponat manū suam super puellam mortuam. Debebat dicere cū Centurione. Sed tantum dic uerbo, & uiuet filia mea. Quoniam uero dicit, Sed ueni, & impone manum tuam super eam, satis declarat se nihil aliud de Christo adhuc credere, quam esse illum uirum aliquem Dei, Prophetam, & qui oratione, & interpellatione sua apud Deum multa posset. Nam illud, & impone manum tuam

ſuper eam, nihil eſt aliud, quam &, ora ſuper ea ad Deũ. Deinde credebat præſentiã eius, ut hominis ſancti, filiæ plurimũ profuturũ. Sed hæc hactenus. Iam aliã hiſtoriã, quã Mathæus huic interſerit, uideamus, quæ itidem pulchra eſt:

Et ecce mulier quę ſanguinis fluxũ patiebatur duodecim annis, acceſſit retro &c. *In præmiſſis cõmemoratum eſt, quæ fuerit in Iairo Principe fidei imbecillitas.* Iam *ordinãte* Domino inter eundum occaſio datur, qua Mulieris infirmæ exemplo & huius Iairi fides imbecillis corroboretur, & ſimul oſtendatur, quam nonnunq̃, quæ huius mundi ſunt infirma, excellant in fidei negotio ſanctos, & prudentes huius mundi. Porro Marcus hanc hiſtoriã infirmæ Mulieris fuſius, & diligentius conſcribit, nimirum ut illius fidem, & Chriſti uirtutẽ magis, ac magis illuſtret. Et ecce mulier, quædam, quæ fuerat obnoxia profluuio ſanguinis, *hauſit annos duodecim* (audis morbum inueteratum) *fueratq; multum perpeſſa à complurib. medicis, & inſumpſerat omnia ſua, neq; quidq̃ adiumẽti ſenſerat, ſed magis in deterius uenerat.* Ecce malũ deſperatum. Non eñ dicit ab uno, & altero medico, ſed à complurib*us*, q̃d nihil aliud dicit, quã quorumuis *medicorũ* operam in hac muliere ſananda fuiſſe *inualidam*. Deinde fuiſſe omnia iam bona *inſumpta*, ut nihil fuerit, quod alĩs *medicis* poſſet amplius dari. Poſtremo

stremo non solum nihil accessisse adiumenti, sed malum redditum auctius. In his rebus ita desperatis, quid fecerit Mulier, & quanta huius fuerit fides, uideamus. **Dicebat intra se. Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero.** Necesse est, hanc Mulierem multa magnifica, & admiranda & audisse, & credidisse de Christo: si enim eum existimasset similem alijs Medicis, nequaq; accessisset, & hoc duplici nomine, tum quod de illius ope desperasset, tum etiã quod cogitasset se non habere, quod solueret medico, & ideo se passuram repulsam. Nec putauit Christum aliquo ad medendũ opus habere medico, unde etiam ait. Si tantum attigero fimbriam uestimenti eius salua ero. Q.d. Valeant mei Medici, qui hactenus me frustra torserunt, qui malum non solum non sustulerunt, sed potius accumularunt, imõ plusq; conduplicarunt. Hic est uerus Medicus, hic est uere saluator missus in terram diuinitus. Huius est tãta uirtus, hic tam est sanctus, ut etiamsi uestimentum eius utcumq; tetigero, salua sim futura. Hac itaq; fide de Christo cõcepta, turbæ se imiscet Christũ sequenti, & à tergo uestimenti eius oram contingit, nihil dubitans se uoti fore compotẽ. Hic ergo satis adũbratur, quid uires hominum, quid eorundem studia, & artes ualeant, si non adsit uigor diuinę potentię, ac gratię. Nõ reiicitur hic quidem ars medẽdi, quę & ipsa est donũ spiritus; sed ostenditur

medicinam

medicinam effectu suo carere, nisi Deus ipsam efficiat efficacem. **Et salua facta est mulier ex illa hora.** Marcus, ceu diximus, hanc rem tam copiose, ac diligenter describit, ut non possim illius contextum silentio præterire. Ait itaq; Et confestim (si ad contactum uestis) siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpora qa sanata esset à plaga. Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit uestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui, Vides turbam comprimentem te, & dicis. Quis me tetigit? Hic addit Lucas. Et dixit Iesus. Tetigit me aliquis. Nam & ego noui uirtutẽ de me exĩsse, Videns autem mulier quia non latuit: tremens uenit, & procidit ante pedes eius, &, ob quã causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo &c. Quæ hæc omnia significent, non est præsentis sermonis explicare. Summam, & precipuam huius rei causam antea diximus, uidelicet omnia hic fieri, ut & Mulieris magna fides demonstretur, & imbecillis fides Archisynagogi roboretur. Iam interruptam historiam de Iairo expediemus. **Et cũ uenisset Iesus in domum Principis, & uidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis recedite, non est enim mortua puella**

sed

sed dormit. Hanc rem Lucas sic expositit, Flebant autem, inquit, omnes, & plangebant ipsam: quæ quidem omnia fuerant certissima argumenta puellam uere esse mortuam. Ergo q̃d Dominus dicit, Non mortua est Puella, sed dormit, id quidem propter consequentem mox resuscitationem dicit. Alioqui enim non loquebatur, de naturali somno, neq; ignorabat ipsam, uere esse mortuam. Eadem ratione mors omnium sanctorum dicitur somnus, & scriptura eos dormire ait, qui mortui sunt. Nam corpora nostra mox ad iudicij diem excitabuntur, & animæ nunc uiuunt apud Deum. Nihil hoc in loco difficultatis est. Nam, quod ad Tibicines attinet, morem patrium refert, ubi his lugubribus cantibus uocabatur populus ad lamenta. Quærat forsan hic quispiam, licitum ne sit, an illicitum deplorare, ac lamentari amicos nostros defunctos? Dicam, quod alius ante me admonuit, hac in re dupliciter ab hominibus peccari. Sunt enim, qui iustum modum lugendi excedunt, contra quos D. Chrysostomus in multis concionibus seuerissime inuehitur. Et D. Paulus tales alloquitur dicens. Nolo uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut cæteri, qui spem non habent. Deinde sunt alij, qui Stoicis ipsis stupidiores sunt in mortibus amicorum, ita, ut nullã prorsus compassionem, ne naturæ quidem, erga suos ostendent. Quidam eorum etiam eo progrediuntur, ut eos, qui uel

parum

parum suorum mortes lugent, tanq̃ non Chri-
stianos iudicent, quasi Deus ex hominibus uelit
fieri saxa & truncos sine omnibus affectibus na
turę agnatis. Hoc genus hominum, si modo ho
mines sunt, interrogauero, cur Christus dicatur
misertus esse Mulieris uiduæ, quæ mortuũ filiũ
um suum flebat, deinde cur etiam ad sepulchrũ
Lazari fleuerit. Sed quid opus est multis illorũ
stipitum insaniam traducere? Euidentiss. mũ de
se testimonium his rebus dant, se nõ multũ ama
re uiuos, quos mortuos nullis prosequuntur la-
chrymis. Et hæc quidem hactenus. Quid porro
turba respondit ad uocem Christi adferentis pu
ellam non esse mortuam, sed dormire?

Et deridebant eum. Cogitabant enim stul
tum esse Prophetam, qui non uideret puellam
uere mortuam. An putat Chr̃s totam hanc tur-
bam insanire, & nõ intelligere utrũ puella mor-
tua sit, an dormiat? Et ideo irridendo Chr̃m ni-
hil aliud uolebant, quam significare illũ esse in-
sanum, qui mortuam puellam dicat uiuere. Sic
ubiq̃ irridentur, & exibilantur Christi ministri,
quoties inueteratos peccatores ad pœnitentiã
inuitant, ac putant adhuc aliquam emendatio-
Hier. 20. nis spem superesse. Sic enim quorundã malorũ
hominum ingenium deprauatum est, ut non so
lum uerbo Dñi non assentiatur, sed & illud irri-
deat, maxime cũ corripitur illius malicia, & præ
dicũtur futura supplicia. Si corripitur uerbo do
mini auaritia, stultitia, & insania, mox adest ir-
risio,

risio. Ita deridebant Pharisæi Christum. Lu. 16. Cū adhortaretur iniqui Oeconomi parabola, ut amicos sibi facerēt ex Māmona iniquitatis, et ne conarētur duobꝰ Dominis, deo, & Māmonæ seruire. Cæterū risus ille miraculū dñi magis comēdabile reddit: Si em̄ quis dicere uellet puellam nō fuisse uere mortuam, & ideo non uerè à Domino resuscitatā: habemus hic, quod contra illius blasphemiā dicamus. Tam uere siquidem fuerat mortua, ut ministri lairi testarētur illā uerè obijsse, iamq; aderāt Tibicines lamētationes mouētes, & dominū Iesum, quasi negaret illam mortuā esse, irridentes. Sed suffecerint hæc.

Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit. Puella surge, & surrexit puella. Lucas testatur Chr̄m nō oēs abegisse in uniuersum, sed secū introduxisse Petrū, Iacobū, & Ioannē, patrē item, & matrē puellæ, quos solos uoluit esse spectatores. Quare uero istos, & nō alios tāto spectaculo iudicauit dignos? Ipse solus nouit, qui nihil sine certa ratiōe facit. Nos, qm̄ plus æquo hāc cōcionē produximus, ad finē properemus. Vos interim, quæ dicta sunt, memori mēte reuoluite, atq; in uestrū usum conuertite. Diximus aūt qua ratione miracula dñi considerare debeamus, uidelicet ut uidentes illius potentiā, & beneuolentiā, in omniū necessitatib. ad eū confugiamus, nihil dubitantes, quin possit, & uelit nos adiuuare.

Hæc

Hæc autem Christi benefaciendi facilitas omnibus Christianis est imitanda, maxime uero illis, quibus datum est præ alijs proximo suo plurimum prodesse posse. Sic autem imitanda est, ut primum nihil exprobrent, si quisq; antea læsit, sed mox beneficium impendant. Secundo ne pro tanto beneficio auram popularem uenētur. Diximus item quatenus mortui nostri à nobis plangendi sint, scilicet ne usq; ad Gentilium infidelitatem perueniamus, sed bonam spem capiamus nos illos in die iudicij rursum in gloria uisuros. Nam Christus Iesus, qui hic predicatur puellam mortuam resuscitasse, nos omnes in illa die resuscitabit. Hinc est, quod in Euangelio dicit. Venit hora, quando omnes, qui in monumētis sunt, audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent. Et addit alibi, quod certe nunquam mentibus nostris excidere debebat. Et qui bona fecerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala egerunt, in resurrectionem Iudicij. Tum enim, post generalem uidelicet resurrectionem, nō cōcedetur nobis rursum per aliquod annos hic uiuere (quemadmodum impie sentiebant Chiliastæ hæretici) sicut datū est eis, quos Christus, & Apostoli à morte reuocauerunt: sed oportebit nos omnes, ut Pauli uerbis utar, manifestari ante tribunal Christi, ut unusquisq; referat, prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum, &, ut Euangelica parabola habet, nunc ibunt, qui à sinistris erunt in ignem æternum:

qui

qui uero à dextris in uitam æternam, quam utinam & nobis aperiat, & in eam introducat Dominus noster Iesus Christus, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA XXVI.
Post Trinitatis. Mat. 24.



IN illo tempore, dixit Iesus Discipulis suis. Cum uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est, à Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro, nō reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga uestra in hyeme, uel sab

bato: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usq; modo, neq; fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabũtur dies illi. Tunc si quis uobis dixerit, ecce *hic est Christus*, aut *illic*, nolite credere: Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabũt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiã electi: Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere: *Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usq; in occidentẽ*, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunq; fuerit corpus, illuc cõgregabũtur & aquile. Statim aũt post tribulationẽ dierum illorũ sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suũ, & stellæ cadent

cadent de cœlo, & uirtutes cœlorum commouebuntur, & tunc apparebit ſignum filio hominis in cœlo. Et tũc plangent omnes trib. terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute multa, & maieſtate. Et mittet Angelos ſuos cũ tuba, & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, & à ſummis cœlorum uſq; ad terminos eorum. Ab arbore autem fici diſcite parabolam cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas. Ita & uos, cum uideritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in ianuis. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia iſta fiant. Cęlũ, & terra tranſibunt, uerba aũt mea non præteribũt.

EXPOSITIO.

LEctio hodierni Euãgelij & prolixior, & interpretatu difficilior est, quam ut à me in tanta breuitate temporis commode explicari, & à uobis cũ fructu percipi, aut intelligi possit: nos itaq; argumentũ totius lectionis ipsius Euãgelij uobis primũ exponemus, & deinde nõnulla pro emendatione morũ nostrorum certo quodã numero subijciemus. Est itaq; Euangelij hodierni lectio nihil aliud, nisi *Prophetia de futura Hierosolymorũ destructione*, ac deuastatiõe, qua nouissime à Romanis fũditus, & radicitus euersa est, ita, ut in illa, iuxta aliã Chri Prophetiã, ne lapis quidẽ super lapidẽ relinqueret. Quid enim Mathæus noster dicit.

Cum uideritis abominationem desolationis stantẽ in loco sancto &c.

Lucas explicatius dicit. Cũ aũt uideritis ab exercitibus circũdari Ierosolymã, tunc scitote, q̃d imineat desolatio eius. Exercitus romanos *ideo abominationem* desolationis, hoc est, *abominãdos deuastatores* uocat, q̃d *per illos* inuehenda erat desolatio, & urbis, & tẽpli, qui essent impij, Gentiles, ac Idololatrę. Alij, q̃d tamẽ in idem recidit, per abominationẽ desolationis intelligũt abominabilem, & stupendam tam ipsius Dei iram, desolationemque, qua populum reliquit, quam horribilem terræ uastationem, urbisque obsidionem grauissimam. Stupendum enim, & abominabile erat, quod dominus illã Gentem, quam

quam hactenus ardentiſſ. amauerat, nunc tradiderit in manus Ethnicorum calcandam. Hiſ enim primo uaſtarunt Galilæam, & Samariam crudeliſſime, deinde adduxerunt Legiones, & Aquilas ſuas ad mœnia urbis ſanctæ (ſic enim Euangeliſtæ Hieruſalem uocant) Hic ſtetit aliquamdiu, id eſt, uictrix exultauit Ethnica uirtus, hæſitq; impauidus in caſtris uaſtator miles Romanos, urbi minitans exitiũ. Poſtremo ipſam urbem cæpit, toramq; diripiens, ſanguine, & cadaueribus oppleuit, mox ipſum quoq; tẽplum irrupit, quod poſtremo ſæuiſſimis animis una cum urbe inflammauit, deleuitq; funditus. Proinde ſenſus uerborum Domini hic erit. Cũ uideritis terram Galileæ, & Samariæ deuaſtatã fumare, peruentũq; eſſe ad ipſa urbis ſanctę mœnia, cumq; uideritis deũ tanta contra populũ, et urbẽ ſanctam permittere Gẽtibus, ut ubi quoq; ſuas erigãt Aquilas, impauidi cõſiſtentes, nulla prohibeantur loci religione, ſed cõſtanter, & ubi, & Templo excidiũ minitentur, ſcitote deum deſolaſſe locũ & populũ ſuum, neq; aliud iã reſtare, quã abominabilẽ uaſtationem, quã futurã prædixit propheta Daniel. Locus uero Danielis ſic habet. Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et Ciuitatem, & ſanctuariũ diſſipabit populus cum uenturo duce: & fic eius uaſtitas, & poſt finẽ belli ſtatuta deſolatio. His certe uerbis apertiſſ. ſignificatur poſt Chriſ- Dan. 9.

stum in Cruce mortuum Hierusalem, & Tem-
Lu. 19. plum, deuastata esse à populo Gētium eo, quod Iudaicus populus abnegauerit Christum, siue, sicut alibi loquitur Christus, quod non cognouerit tempus uisitationis suæ. Intelligimus igitur iam, quā desolationem intelligi uelit, & quare eam abominalem, & stupendam uocauerit dominus, Iudæi nunq̄ crediſſent, etiam multis prophetarum uaticinijs admoniti, deum unq̄ passurum, *ut Hierusalem, & Templum sic destruerentur*, ut posthac reædificandi illa nulla spes esset reliqua. Imo & Apostoli ipsi, persuasum habebant Hierusalem cū Tēplo perdura-
Mat. 24. tura usq̄ ad cōsumationē seculi. Hinc est, quod alibi, dum loqueretur Christus de Hierosolymorū excidio, Christum interrogant dicentes, Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui? & consummationis seculi? Vides, quod de tribus interrogant, quæ putant esse inuisibilia, & nullum sine alijs uenturum. *Vides*
Mat. 26. *licet de deuastatione Hierosolymorū, Aduentu domini ad iudiciū, & de cōsumatione seculi.* Sic blasphemiæ instar erat apud Iudæos, uel unico uerbo innuere templū destruendum, Scitis quæ in passionis historia Christo obijciūtur. Hic dixit aiunt falsi testes. Possum destruere Templū
Act. 6. dei, & post triduū reædificare illud. Et idipsum obijciebant Iudæi Stephano, sicut in Apostolorū actis legimus. Hic homo nō cessat loqui uerba blasphema aduersus locū sanctum, & legem,

audiuimus

audiuimus enim eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Ex his omnibus intelligitis, quantam spem conceperint Iudæi Templum suum post hac fore perpetuum. Et certe super hac re magnificas à deo, ac infallibiles habebant promissiones, quas tamen ipsi non recte intelligebant, & conditiones appositas negligebant. Legunt in regnorum libris dominum post consumationem templi, & Salomonis precationem, dicere, Exaudiui orationē tuā, & deprecationē tuam, quā deprecatus es corā me: sanctificaui domū hanc, quā ædificasti, ut ponerē nomen meum ibi in sempiternū, & erunt oculi mei, & cor meū ibi cunctis diebus. Magnifica est hæc pro conseruatione tēpli promissio, et hāc, sicut dixi, legūt Iudæi Cur aūt nō legūt, q̄d continēter ibidē sequitur: Si aūt à uersione auersi fueritis uos, & filij uestri, non me sequētes, nec custodientes mādata mea, et cęremonias, quas proposui uobis, sed et abieritis, & colueritis deos alienos, & adoraueritis eos: auferā Israel de superficie terræ, q̄ dedi eis, & tēplū, q̄d sanctificaui nomini meo, proijciam à conspectu meo, eritq; Israel in prouerbiū, & in fabulā cūctis populis. Et domus hęc erit in exēplū omnis, qui trāsierit per eā stupebit, et sibilabit, et dicet, Quare fecit dominus sic terræ huic, & domui huic? Ex his audimus promissionem de cōfirmādo Tēplo nō esse simplicē, sed cōditionatā.

Vide Rupert. Tuitien. in, cap. Oseæ. 8. lib. 3. Pag. 33.

3. Reg. 8. & 9.

Vnde nō mirum est, quod dominus passus fuit magnificentissimā illam domū radicitus dirui, ac deuastari. Huc pertinet, qđ apud Hieremiam Iudæos alloquitur his uerbis Nolite confidere in uerbis mendacij dicentes. Templum domini, Templum domini, Templum domini est, quoniā si bene direxeritis uias uestras, & studia uestra habitabo uobiscum in loco isto. Sed quid hæc ad nos? Multum supra modum hæc ad nos pertinent, nostraq; periculosissima tempora. An non iam multi conqueruntur super crudelissima multorum splendidissimorum templorum deuastatione, dicentes, & serio cōquerentes, O bone deus, quot egregia templa, quot monasteria, quot religiosorum honesta collegia destructa sunt? Quot inclytę Ciuitates, relicta uetere religione, ac Catholica fide, abierunt post Satanā, secutæ sunt hæreses, detestantur sacra Ecclesiæ, uenerātur Idola hæreticorū. Nō uitupero tales querulationes, est enim res non solū querelis, sed & lachrymis dignissima: Quid ergo? Cur non potius uertimus oculos nostros ad causas tantæ uastationis, tante Barbarici, tantarum turbarum? An non dictum est à domino? Auferetur à uobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Putas tu hæc solis Iudæis dicta esse? Nequaq; ita est. Sed quod Iudæis dictum est, etiam ad nos pertinere putamus. Illi enim uidebantur esse, quod nos cupimus appellari uidelicet filij Dei, populus electus, gens sancta.

Verum

Verum quoniam illi, ceu diximus, nomine tenus tantum, & externa quadam umbra erãt filij dei, uerbis autem, & factis diuersum testabãtur, ideo tantum naufragium fecerunt. Quum igitur in Templis, & Monasteriis multis, plus Hypocrisis, & superstitionis, quã ueræ pietatis, & religionis fuerit, quis miretur idem in nostris templis, fieri, quod in illorum Templo factum esse constat? Nam idem Deus & Iudæorum, & Christianorum: & quod in illis puniuit, nobis nequaq; laudi dabit. Recte ergo faciunt, inquit aliquis, illi qui inuadunt res sacras, diruũt Templa, deuastãt monasteria? Nequaq;. Nam tales sacrilegi non detestantur hypocrisim, & superstitionem, sicut Deus: sed concupiscunt Sacrilegium, & inhiant diuitijs, sicut Mammon. Si nõ peccauit Nabuchodonosor spoliando Templum Hierosolymitanũ, & Balthasar abutens uasis Templi: dicemus, & Hostes Ecclesiæ iam non peccare spoliando omnia, quæ modo possunt, Templa, & collegia. Sed certum est Nabuchodonozorem peccasse. Sic enim ait Dominus per Propheram. Væ Assur. Virga furoris mei, & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam &c. Ipse aũt non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum cor eius, & ad internecionem gentiũ non paucarũ &c. Et post pauca. Esa. 10.

Et erit cum impleuerit dominus cuncta opera
sua in monte Sion, & in Hierusalē, uisitabo super
per fructū magnifici cordis regis, Assur, et super
gloriā altitudinis oculorū eius. Dixit enim. In
fortitudine manus meæ hęc fecit &c. Ex his uel
hoc aperte intelligimus, uidelicet Deū propter
peccata populi eum mittere sub iugū Tyranni,
non ut populū suum penitus perdat, sed ut ma-
num domini intelligens, emendetur, conuertatur, & uiuat. *Quoniam uero* Tyranni *illi* non
quærunt populi salutem, sed superbiæ suæ ambitionem, nec uolunt seruire Deo, sed propriæ
libidini, & in fortitudine sua confidunt, ideo &
ipsi grauius puniuntur tandem, quam populi.
Quod si adhuc rem intelligis, considera exemplum Israelitarum, qui haud dubie propter sua
peccata in potestatem Pharaonis, & Aegyptiorum peruenerant: uerum quoniam Pharao durius æquo tractabat illos, quas pœnas ipse cum
uniuerso populo suo dederit, nemini, nō notū.
Addā & *hoc ex hodierno Euangelio: Quod illi*
impiorū, ac Idololatrorum exercitus, qui per diuinā ultionē *populo Dei, ut ut* corrupto, ac meritissime puniēdo ímittūtur, abobimnabiles uocantur. Licet enim sint flagella dei, hoc tamē sicut admonuimus, non spectant, ut ministri sint
diuinæ ultionis, sed propriæ uindictæ. Proinde
nullā sibi impunitatē promittāt, qui iā non immeritas pœnas summunt de nobis: nam cum illi nihilo meliores nobis sint, & tamen nos con-

demnant

demnant, ac castigant, pœna illorũ nõ tardabit. In quo enim iudicio iudicãt alios, in eo etiã ipsi iudicabũtur, Non enim magis placebit deo illorũ impietas, quã nostra hypocrisis. Sed hæc forsan prolixius produximus, quã putabatis. Atq; in tanta huius seculi corruptione necesse est, ut multũ, ac sæpius admoneamur, nos ob peccata nostra tã graues pœnas merito sufferre debere. Necesse itẽ est, ut flagella ista nihil aliud iudicemus, quã certissima iræ dei exẽpla, & argumẽta. Multi iã confidunt in fortiter munitas suas ciuitates, in magnã uim armorũ & multitudinem populi, sed, Deo nobis repugnante, quid faciemus, quõ impetũ illius sustinebimus? Certũ est aũt deum peccatis nostris offensum stare à Castris aduersariorũ nostrorum, Proinde, ó mihi chariss. malui in hac cõcione uobis Iudæorũ, & nostras meritas pœnas ob oculos ponere, quam lõgiori tractatu de Excidio Hierosolymorum differere, Det dñs ut tãdem in sinũ nostrum inspiciamus, uitam nostrã examinemus, moresq; nostros in *melius reformemus, tunc enim facile à terrestribus illis hostibus liberabimur*, & perpetuo sub gratia dei securi uiuemus, donec nos ad sua Regna secũ rapiet Iesus Christus dñs noster, qui est deus benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA XXVII. POST Trinitatis. Ioan. 6.



IN illo tempore: Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia uidebant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.

EXPOSITIO.

QVisquis transit mare Galilææ, hoc est contemnit huius mundi uanas, ac fallaces delicias, & sequitur Christū, nullam unquam, nec animæ, nec corporis famē patietur. Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Et alibi Primum quærite Regnum dei, & iusticiam eius, & omnia adiicientur uobis.

Signa uero, & miracula Christi, quum nō solum miracula, & supernaturalia quædam opera, sed & beneficia sint, nos merito, sicut has tur bas

bas, monere debent, ut sequamur Dominum. Nec abhorreamus desertum. Non enim in deserto est, qui conditionem cœli, & terræ secum habet. Et Iudæi in ipsa solitudine melius habebant, quam aliquando in magnificentiss. & opulentiss. Hierosolymorum urbe.

Turba hæc ad sequendum Dominum signis mouebatur, id quod uaria ratione poterat fieri. Pars enim, ut credibile est, quoniam ex his signis hunc uirum à Deo missum esse colligebāt, hoc illum nomine sequebantur, ut doctrinam dei ex ore illius audirent. Pars curiositate impulsa, cupiebat res insolentes, ac nouas spectare, & audire. Pars uel sibi, uel suis corporalem salutem quærebat.

Et licet quidem etiã pro corporalibus rebus sequi Christum tamen, qui spiritales res præponunt, melius, & rem filijs dei magis dignam faciunt. In precatione Dominica primum petimus, ut adueniat Regnum Patris cælestis, deinde ut panem quotidianum, hoc est uictum, & amictum nobis largiatur. Vnde qui Christi doctrinam magis cupiunt, quam corporalem salutem, maiori laude digni sunt, quam qui alia quærunt.

Qui cum Christo sedere uult, & huius discipulus, necesse est montem conscendat, hoc est, iuxta Pauli admonitionem, quæ sursum sunt, sapiat, non quæ super terram.

Christus, & discipuli in monte, & in deserto

sedent, Pharisæi uero, & summi sacerdotes in o-
2. Reg. 4. & 6. pulentiss urbe Hierusalem. Atqui sinamus deli-
tiari sacerdotes Baal in regum aulis, nos malu-
mus cum filijs prophetarum Elisæo in deserto
conuiuere. Et cum Dauide dicere, Elegí abie-
ctos esse in domo dei mei, quam habitare in ta-
bernaculis peccatorum. Amen.

DOMINICA XXVIII. POST *Trinitatis*, *Matthæi*, 11.



IN illo tempore re-
spondens Iesus di-
xit: Confitebor ti-
bi pater domine
cœli, & terræ, quia
abscondisti hæc à
sapientibus, & prudentibus, & re-
uelasti ea *paruulis. Ita pater; quoni-*
am sic fuit placitum ante te. Omnia
mihi tradita sunt à patre meo. Et ne
mo nouit filium, nisi pater, neque pa-
trem quis nouit, nisi filius, & cui uol
uerit filius reuelare. Venite ad me
omnes

omnes, qui laboratis, et onerati estis, & ego reficiã uos. Tollite iugũ meũ super uos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris. Iugũ enim meũ suaue est, & onus meũ leue.

EXPOSITIO.

QVod Christus hic Deo Patri gratias agit, suo exemplo docet omnem boni operis fœlicem successum Deo acceptum esse ferendum, nec propterea superbiendum, sed potius Deo gratias agendum.

Idonei autem Euangelistæ Philosophiæ auditores sunt non illi, qui animo sunt turgido, & elato, sed humiles potius, & animo, contrito. Esa. 66. Nam qui sibi uidentur bene ualere, non facile admittũt, multo minus consulũt medicũ, tantũ abest, ut illius medicinã plurimi faciebant.

Distinguendum inter ueram, & falsam sapientiam, sic inter laudabilem infantiam, & uituperabilem: de qua re consulendi Apostoli Paulus, Iacobus. 1. Cor. 2. Iacobi. 3.

Omniũ rerũ dominus est, qui nos ad se uocat, Deus uerus, & æternus. Nihil enim in cælo, & in terra est, quod non illius potestati subiectũ sit.

Vocat aũt omnes ad se, qui laborant, & grauati sunt tã in anima, quàm in corpore, siue fuerint senes, siue iuuentes, siue infimates, siue summates. Et uocat, non ad laborem, sed ad quietẽ.

Rectè uerò ad Christum ueniunt, uerèq; recreabuntur, qui Iugo Satanæ, & huius mundi abiecto, Iugo domini sese submittunt, hoc est, qui sese totos in seruitutem Dei dedunt, serui facti iusticiæ in sanctificationem.

Hĩ autem dicuntur, & probantur Domini iugum in se suscepisse, qui mites sunt, & humiliatis cordibus, qui alienas iniurias libenter perferunt, nec alicui nocere animum inducunt.

Admonemur in hoc Euangelio, nõ esse discutiẽda cõsilia dei, & iudicĩ illius sed magis laudãda illa, & prædicanda esse tantũ hac ratione, q̃d Deo placeat. Non enim ad discussionẽ operum Dei inquit alibi Chrysostomus, sed ad honorãdum Deũ conditi sumus. Nõ simus ergo iudices operum Domini, sed serui præceptorũ eius.

Etiamsi solus pater dicatur reuelare filiũ &c. Tamẽ nemo putet frustraneum esse uerbi ministerium. Quemadmodum etiam & hoc uerum est, quod nemo pascitur, nisi uirtute diuina, & tamen nemo ita insanit, ut usum externi cibi reiiciat, ita & hic habet. Sine opere spiritus sancti nemo docetur ueritatem, utitur tamen ad hoc ministerio externi uerbi. &c.

FINIS.

Tomi

TOMI SECVNDI.

INDEX HOMILIARVM Euangeliorum de tempore, & de Sanctis. A paſcate uſq; ad primam, Dominicam Aduentus.

Dominica Paſcæ: Euangelium, Cum tranſiſſet Sabbatũ, Maria Magdalene. Marci. 16. fo 1.
Feria ſecunda paſcę: Euangeliũ, Duo ex diſcipulis Chriſti, ibant ipſa die, in caſtellũ. Lu. 24. 8.
Feria tertia, Paſcæ Euangelium. Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum. Luc. 24. 14.
Feria quinta Euangelium, Maria ſtabat ad Monumentum foris plorans. Ioan. 10. 20
Feria Sexta poſt Paſca Euangelium: Abierunt diſcipuli in Galilæam. Math 28. 25
In feſto Philippi, & Iacobi Euangelium, Non turbetur cor ueſtrum. Ioan. 14. 30
Dominica Quaſimodo geniti Euangelium, Iohannis. 20. 38
Feria quarta poſt Quaſimodo geniti Euãgeliũ. Quis ueſtrum habebit amicum. Luc. 11. 45
Feria ſexta poſt Quaſimodo geniti Euangeliũ. Ecce quidam de cuſtodibus. Math. 28. 51

Dominica Misericordię Domini Euangelium, Ego sum pastor bonus. Iohan. 10. 55
Dominica Iubilate Euangelium, Modicum & iam non uidebitis me. Iohan. 16. 62
Dominica Cantate Euangelium, Vado ad eũ qui misit me Iohannis. 16. 66
Dominica uocem Iocunditatis Euangelium: Amen Amen dico uobis, si quid petieritis patrem. Iohannis. 16. 72
In festo Ascensionis Christi Euangelium, Recumbentibus undecim. Marci. 16. 80
Dominica Exaudi Euangelium, Cum uenerit Paracletus, quem ego mittã uobis. Ioan. 15. & 16. 86
Dominica Pentecostes Euangelium, Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit. Ioan. 14. 91.
Feria Secunda Pentecostes Euangelium, Dixit Iesus Nicodemo, Sic Deus dilexit mundum. Iohannis. 3. 105
Dominica Trinitatis Euangelium. Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine. Io. 3. 101
In festo S. Eucharistiæ Euangelium. Caro mea uere est cibus. Iohan. 7. 121
Dominica prima post octauas Pentecostes. Euangelium: Appropinquantibus ad se Pharisæis. Lucæ. 16. 127
Dominica secunda post Trinitatis Euangeliũ. Homo quidem fecit cænam magnam. Lucæ. 14. 133
Dominica tertia post Trinitatis Euangelium. Erant appropinquantes domino, Iesu publicani,


cani. Lucæ. 15. 140
In festo Ioannis, Baptistæ Euangelium. Impletum est tempus Elisabeth pariendi. Lucæ 1. (145
Dominica quarta post Trinitatis Euangelium, Estote Misericordes. Lucæ. 6. 151
In festo Apostolorum, Petri, & Pauli Euangelium, Venit Iesus in partes Cęsareæ Philippi. Math. 16. 156
In festo Visitationis Mariæ Euangelium, Exurgens Maria in diebus illis. Lucæ. 1. 165
Dominica quinta post Trinitatis Euangelium, Cum turbæ irruerent in Iesum. Lucæ. 5. 171
Dominica sexta post Trinitatis Euangelium: Nisi abundauerit Iustitia uestra. Matthæi. 5. (177
In festo Margarethæ Euangelium, Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matthæi. 13. 183
Dominica septima post Trinitatis Euangelium Iterum cum turba multa esset cum Iesu. Marci 8. 186
In festo Magdalenę Euãgelium, Rogabat quidam de Pharisæis Iesum Lucæ. 7. 190
In festo Iacobi Apostoli Euangelium, Accessit ad Iesum mater filiorũ Zebedæi, Math. 20 (197
Dominica octaua post Trinitatis Euangelium, Attendite à falsis Prophetis, Matthæi. 7. (202
In festo Diuæ Annæ Euangelium, Simile erit Regnum

Regnum cœlorum decem Virginibus. Matthæi. 25. 209
Dominica Nona post Trinitatis Euangelium, Homo quidam erat diues. Luc. 16. 210
Dominica decima post Trinitatis Euangelium, Vt appropinquauit Iesus, uidens Ciuitatem, Lucæ. 19. 215
Dominica Vndecima post Trinitatis Euangelium, Dixit Iesus ad quosdam, Lucæ. 18. 219
Dominica Duodecima post Trinitatis Euangelium, Exiens Iesus de finibus Tyri. Mar. 7. (225
Dominica decima tertia post Trinitatis, Euangelium, Beati oculi, qui uident, quæ uos uidetis. Lucæ. 10. 230
Dominica XIIII. Post Trinitatis Enangeliũ, Dum iret Iesus in Hierusalem. Lucæ 17. 236.
Dominica XV. Post Trinitatis Euangelium, Nemo potest duobus dominis seruire, Matthæi. 6. 240
Dominica XVII. Post Trinitatis Euangelium, Ibat Iesus in ciuitatem, quæ uocatur Naim. Lucæ. 7. 254
Dominica XVIII. Post Trinitatis Euãgelium, Cum introisset in domum cuiusdam Principis Pharisæorum. Lu. 14. 250
Dominica XIX. Post Trinitatis Euangelium, Pharisæi autem audientes. Matthæi 22. 255
Dominica XX. Post Trinitatis Euangelium. Ascendens Iesus in nauiculam. Math. 9. 261
Dominica XXI. Post Trinitatis, Euangelium, Simile

Simile factum est Regnum cœlorum Homi-
ni Regi, Matth. 22. 267
Dominica XXII. Post Trinitatis Euangelium,
Erat quidem Regulus, cuius filius infirmaba
tur Caphernaum. Iohan. 4. 274
Dominica XXIII. Post Trinitatis Euangelium,
Assimilatum est regnum cœlorum homini
regi. Matthæi. 18. 278
Dominica XXIIII. Post Trinitatis Euangeli-
um, Abeuntes Pharisæi Consilium inierunt,
ut caperent Iesum in sermone. Matthæi. 22.
(284
Dominica XXV. Post Trinitatis Euangelium,
Loquente Iesu ad populum. Mat. 9 290
Dominica XXVI. Post Trinitatis Enangeliū,
Cum uideritis abominationem desolationis.
Math. 24. 297
Dominica XXVII. Post Trinitatis Euangeli-
um. Post hæc abijt Iesus trans mare Galileæ.
Iohan. 6. 302
Dominica XXVIII. Post Trinitatis Euangeli-
um, Respōdit Iesus dixit, Confitebor tibi pa-
ter domine cœli, & terræ. Mathei. 11. 303

FINIS.

INGOLSTADII
excudebat Alexander &
Samuel Vueiſ.
ſenhorn.



BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14121



